Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/tractatusdebeati0000fral_c7v1

TRACTATUS THEOLOGICUS

DE

BEATISSIMA VIRGINE MARIA

MATRE DEI

INSTITUTIONES THEOLOGIAE SPECULATIVAE

TRACTATUS
DE
BEATISSIMA VIRGINE MARIA
MATRE DEI

AUCTORE

FR. ALEXIO HENRICO MARIA LÉPICIER, O. S. M.

ARCHIEPISCOPO TIT. TARSENSI
OLIM IN COLLEGIIS URBANO DE PROPAGANDA FIDE, S. ALEXII ET S. BEDAE DE URBE
SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORE

Editio quinta notabiliter aucta

Lignum vitae est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam, beatus. PROV., III, 18.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library



ROMAE
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA
VIA EZIO 19
1926

29851

Omnia iura proprietatis auctor sibi vindicat.

IMPRIMATUR

† Ioseph Palica, Arch. Vices Gerens.

DILECTO FILIO

ALEXIO MARIA LÉPICIER, O. S. M.

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Almam Dei Matrem, quam Nos a pueris impense amavimus, nunc vero in devexa aetate, post tot benefacta Eius, adamamus impensius, ab omnibus rite aestimari ac vehementer diligi magnopere desideramus.

Cum igitur volumen a te accepimus, in quo de Beatissima Virgine Maria Matre Dei *data opera disseris, iucunditate animum perfundi sensimus, teque peculiari benevolentia complexi sumus. Neque solum materia id fecit quam tractandam sumpsisti, sed illud praeterea quod, etsi non aequa ea sit mortalium viribus, ita tamen tractasti, ut eruditione ac soliditate nulli cesseris, multos facile superaveris. Accedit autem estque sane ea laus potissima, quod, cum in scribendo disputandoque scholastica methodo, ut decet, uti decreveris, non ieiune id egeris, sed quadam animi suavitate qua, dum mens illustratur, fertur lector in amorem Deiparae. Benigna igitur e caelo ac propitia respiciat Virgo, ac tibi pro votis fortunet labores. Nos vero, ut et gratiam rependamus, et tibi, de re theologica ulterius scribenti, divina munera conciliemus, apostolicam benedictionem, peculiaris Nostrae caritatis testem, amantissime in Domino impertimus.*

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVI Augusti, anno MCMI, Pontificatus Nostri vicesimo quarto.

LEO PP. XIII.

Reverendissimo Padre,

Dall'unita lettera Pontificia la Paternità Vostra Rev.ma potrà rilevare con quanto gradimento abbia accolto il Santo Padre l'omaggio del di Lei Trattato teologico de Beata Virgine Maria Matre Dei. *Di me poi devo dirle che ho avuto carissimo l'esemplare a me destinato. Nei brevi intervalli, che mi concedono le molte occupazioni, sono venuto prendendone conoscenza. E mentre ho ammirato la sodezza delle dottrine, tratte dalle pure fonti teologiche, e il metodo strettamente scientifico dell'esporle: sono stato colpito da un non so che di spirituale unzione che per tutto s'incontra, e che, mentre rivela l'amore che nella mente le ragionava, infiamma i lettori di santo affetto verso la Madre di Dio. Mi congratulo adunque di tutto cuore con Vostra Reverenza. E dall'aver Ella cominciate le sue pubblicazioni teologiche da così bel trattato sulle grandezze della Vergine, traggo i migliori auspici pei susseguenti lavori, pei quali avrà senza dubbio l'aiuto di Colei che è Sede di Sapienza.*

Mi raccomandi di cuore alla Vergine benedetta. E creda alla distinta stima con cui mi protesto,

Di V. P. Rev.ma

Aff^mo^ nel Signore
M. Card. RAMPOLLA

Roma, 27 Agosto, 1901.

R^mo^ P. ALESSIO M. LÉPICIER,
Procuratore generale dell'Ordine
dei Servi di Maria.

DILECTO FILIO

ALEXIO MARIA LÉPICIER

SAC. EX ORDINE SERVORUM MARIAE

DOCTORI DECURIALI SACRAE THEOLOGIAE TRADENDAE

IN SCHOLIS COLLEGII

CHRISTIANO NOMINI PROPAGANDO

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quum tu magisterium sacrae theologiae in scholis Collegii Urbaniani iamdudum egregia cum laude obtineas, recte facis planeque secundum vota peritorum, ea vulgando quae his non paucis annis commentatus es in usum disciplinae. Sic enim non modo alumnis tuis melius consulis; sed multo pluribus copiam praebes de ingenio, eruditione studioque tuo proficiendi.

Itaque existimare debes pergrata accidisse Nobis oblata a te nuper volumina, in quibus ad mentem Doctoris Angelici de Deo Uno, de Sanctissima Trinitate, de Incarnatione Verbi *tractas. Et quidem probari in his videmus vel subtiliter explanatam copioseque ex similibus locis illustratam doctrinam Aquinatis, vel nervose Scripturarum Patrumque fundamentis constituta dogmata, vel idoneos e scientiae incrementis petitos fructus, vel perspicuum ac tamquam pietatis odore imbutum scribendi genus.*

Nec minus placuisse doctis viris intelligimus cetera tua scripta, quae Nobis pariter obtulisti, libros de Opere sex dierum *ac* Tractatum de Beatissima Virgine Maria

Matre Dei, *iterum a te emendatiorem auctioremque editum. Quare gratulamur tibi: atque etiam magnopere auctores sumus, ut quidquid praeterea in hoc genere confeceris, ne intra tuae scholae fines contineas, verum cum bono multorum emolumento in lucem proferas.*

Auspicem caelestium munerum ac testem singularis benevolentiae Nostrae tibi, dilecte Fili, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXXI Mai, anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

MARIAE

DEI · HOMINVMQVE

MATRI

IMMACVLATAE

LEONIS

PAPAE XIII

AD BEATAM VIRGINEM MARIAM PRECATIO

Auri dulce melos, dicere, Mater, Ave.
Dicere dulce melos, o pia Mater, Ave.
Tu mihi deliciae, spes bona, castus amor;
Rebus in adversis tu mihi praesidium.
Si mens sollicitis icta cupidinibus,
Tristitiae et luctus anxia sentit onus;
Si natum aerumnis videris usque premi,
Materno refove, Virgo benigna, sinu.
Et cum instante aderit morte suprema dies,
Lumina fessa manu molliter ipsa tege,
Et fugientem animam Tu bona redde Deo.

PRAEFATIO

AD PRIMAM EDITIONEM

Post Dei, divinarumque rerum considerationem, nulla est ad vitam christiano more informandam adeo utilis disciplina, ac ea quae Beatae Virginis Mariae privilegia, virtutes, vitamque totam complectitur. Tantis siquidem beneficiis a Deo cumulata est ista gloriosa Dei Mater, tanta sanctitatis praerogativa excelluit, ut divinae iustitiae et bonitatis purissimum speculum meruerit appellari, quasi ea omnia, quae divinitatis propria sunt, ipsa sibi, quantum creaturae fas sit, appropriata habuerit. Cum igitur hominis perfectio in hoc potissimum consistat, ut imitator sui fiat auctoris, ea quae Dei sunt, in semetipso, tanquam in imagine, quantum possibile sit, referendo, hinc efficacissime propriae saluti ille providere censendus est, qui huius, quae post Christum generis nostri nobilissimum est decus, cognitione et affectu, laudes, vitamque prosequi studuerit.

Quod nunc specialiter obtinet, cum, ut ait B. Grignion de Montfort, *Deus voluerit novissimis hisce temporibus revelare et patefacere Mariam, princeps manuum suarum opus, eumque de ultimis, dirisque diaboli persecutionibus, quae quotidie usque ad Antichristi regnum crescere debent, intelligi debeat celebris illa prophetia simul et maledictio Dei:* INIMICITIAS PONAM INTER TE ET MULIEREM, ET SEMEN TUUM ET SEMEN ILLIUS: IPSA CONTERET CAPUT TUUM, ET TU INSIDIABERIS CALCANEO EIUS [1]. Quapropter Sanctissimus Dominus

[1] *Dieu veut révéler et découvrir Marie, le chef-d'œuvre de ses mains dans ces derniers temps... C'est principalement de ces dernières et cruelles persécutions du diable, qui augmenteront tous les jours*

Noster Leo XIII [1] testatus est se iamdudum cupivisse *societatis humanae salutem in aucto Virginis cultu, tanquam praevalida in arce, collocare:* ex quo abunde patet quanti sit facienda plenior et profundior eorum quae ad Dei Matrem pertinent, cognitio, qua illius cultus, ex quo societatis salus quodammodo pendet, tam efficaciter promovetur.

Sed si omnibus christifidelibus tantae utilitatis est ista de Beata Virgine Maria cognitio, iis profecto necessaria prorsus dici debebit, quos in sortem suam Dominus hoc pacto advocavit, ut sint sal terrae mundique lumen: hac enim saluberrima doctrina imbuti, facile poterunt sacrorum ministri, hominum, quorum Deipara Mater est, mentes instruere, cordaque movere, eosque sic ad salutis portum feliciter perducere.

Quae cum ita sint, quoniam huc nostri qualescumque tendunt labores, ut novella levitici ordinis germina in sacrae Doctrinae semita ducamus, haud modicam provinciae nostrae partem duximus, huius magnae Dominae praerogativas, laudes atque mores, quantum fieri possit, exponere, illustrare, defendere, iuxta sanioris teologiae, quae Angelici Doctoris est, principia: Maria siquidem, utpote operum Dei mirabile compendium, in se adunat quidquid in tota theologia sparsim invenitur: unde etiam nostrarum theologicarum praelectionum seriem, quae mox, largiente Deo, in lucem prodibit, a digniori themate auspicari haud possumus; siquidem Maria, ut iterum ait B. Grignion de Montfort, *aurora est, iustitiae solem qui Iesus Christus est, praevertens ac manifestans; ideoque agnosci prius et conspici debet, ut Iesus Christus ipse agnoscatur atque conspiciatur* [2].

---

jusqu'au règne de l'Antéchrist, qu'on doit entendre cette célèbre prédiction et malédiction de Dieu, portée dans le paradis terrestre contre le serpent: .... Je mettrai des inimitiés, etc. Traité de la vraie dévotion a la Sainte Vierge. Première partie, chapitre 1er. Paris, 1891, pp. 31, 33.

[1] Epist. Diuturni temporis, 5 sept., 1898. — [2] *Comme* (Marie) *est l'aurore qui précède et découvre le Soleil de justice, qui est Jésus-Christ, elle doit être reconnue et aperçue, afin que Jésus-Christ le soit* Traité de la vraie dévotion, p. 31.

Quod quidem spe haud modica erecti praestitimus, fore ut plures inde in huius excellentissimae Matris et Reginae dilectionem, servitiumque devenirent, cum haud possit Deipara plenius cognosci, quin maiori etiam affectu diligatur, et ratio tepescentis in eam amoris in illius ignoratione sita sit. Cum autem ista Deiparae cognitio, iste amor, ad Dei cognitionem et amorem recta conducat, constat de hac disciplina illud dici posse, quod de divina Sapientia praedicatur [1]: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius.*

Romae, in Collegio S. Alexii Falconerii, in festo Immacolatae Conceptionis B. M. V., anno Iubilaei, MCM.

[1] Sap., VII, 11.

PRAEFATIO

AD HANC QUINTAM EDITIONEM

Prodiit in lucem iam ante annos vigintiquinque hic noster de Beatissima Virgine Maria Matre Dei tractatus teologicus quem, longo at grato labore, eo fine confeceramus, ut et nostram de tanta Regina existimationem atque venerationem testificaremur, et iuvenibus quorum in sacra doctrina et ascesi religiosa erudiendorum provincia nobis demandata fuerat, opportuna documenta subministraremus, quibus ipsimet in cognitionem, amorem et imitationem tantae Matris, quam nobis post Christum certam spem vitae Deus benignissima miseratione dedit, proficere possent.

At ex quo in lucem opus primo prodiit, nullam praetermisimus curam, ut sacrum hoc thema plenius investigaremus, probe rati fulgidissimum illud profundissimumque ac nullis circumscriptum limitibus divinarum perfectionum oceanum, qualis est profecto gloriosa Dei Genitrix, numquam posse, quamdiu vita praesens perdurat, ab hominum oculo plene explorari et, ut decet, aestimari. Est quippe Virgo Beata omnium divinorum operum mirabilis synthesis, ad quam ineffabile Trinitatis mysterium quadantenus refertur, cum eam Dominus possederit *in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio* [1]; est piissima ac dulcissima Mater, ad Christum efficacissima Mediatrix, a qua incepit et in qua clauditur tota redemptionis occonomia, quam proinde merito poeta perbelle nominat

Quella
Ch' ad aprir l'alto amor volse la chiave [2].

[1] Prov., VIII, 22. — [2] Dante, Purg., C. X, v. 41.

Quapropter in hac nova operis nostri recensione adornanda, sigula adserta iterum iterumque relecta et ut decebat, accurate a nobis recognita sunt, quatenus opus prodiret tam excelsa Regina minus indignum. Id igitur imprimis cordi habuimus, ut quos ad veritates constabiliendas, sive ex Patribus, sive ex ecclesiasticis scriptoribus, loci protuleramus, cum authenticis fontibus probe conferrentur. Deinde plura de novo ad Deiparam pertinentia sedula investigatione inquisivimus, verbi causa, de eius dignitate quatenus ad Deum, ut eius vera Mater, refertur, de eius copiosissima gratia ac uberi scientia, de eius singulari virginitate, glorioso transitu, mediatione et cooperatione in salute nostra procuranda, necnon de illius ad Santissimum Sacramentum relatione, aliaque similia, quae nacta occasione scripto separatim ediderамus, hic suo quaeque loco addenda censuimus. Nonnulla demum, quae maturo examine discussa, mutanda ac corrigenda visa sunt, aut emendavimus, aut retractavimus. Quapropter declaramus praesentem operis nostri editionem, salvis utique illis mendis quae omnem vel attentiorem oculum effugiunt, nostram mentem fideliter repraesentare: quod quidem opus tamquam speciale obsequii pignus erga gloriosam hanc Dei hominumque Matrem esse volumus: illam exorantes, ut quia Mater est eius qui nos Deo per suam mortem reconciliavit, ideo in nostro atque lectorum cordibus divinae gratiae munera copiosa largitate conciliet.

Desinam verba referens quibus Pius X, Mariae partes in opere salutis humanae complendo non ita pridem recensebat. *Quid enim?* quaerebat ille [1]: *Annon potuisset Deus Restitutorem humani generis ac fidei Conditorem alia, quam per Virginem via impertiri nobis? Quia tamen aeternae providentiae Numinis visum est ut Deum-Hominem per Mariam haberemus, quae illum Spiritu Sancto fecunda suo gestavit utero, nobis nil plane superest, nisi quod de Mariae manibus Christum recipiamus.*

Romae, in festo Assumptionis B. M. V., 1926.

[1] In Encycl. *Ad diem illum*, 2 Febr. 1904.

TRACTATUS

DE

BEATISSIMA VIRGINE MARIA MATRE DEI

INDEX RERUM

PROEMIUM.

PAG.

1. Necessitas huius tractatus 1
2. Dignitas huius tractatus 2
3. Mariae partes in Ecclesia 3
4. Intentio operis 4
5. Divisio huius tractatus 5
6. Invocatio 5

PARS I.

DE BEATISSIMA VIRGINE CONSIDERATA PER RESPECTUM AD DEUM.

Prologus.

1. Ratio huius partis 7
2. Divisio huius partis 7

CAPUT I.

DE IIS QUAE DIVINAM MATERNITATEM PRAECEDERE INTELLIGUNTUR.

Prologus.

PAG.

Ordo Capitis 8

ART. I. — *De convenientia divinae maternitatis.*

1. PRAENOTANDUM 8
2. Errores circa divinam maternitatem 9
3. PROP. — Supposito Incarnationis decreto, conveniens fuit ut Filius Dei nasceretur de muliere 9
4. Auctoritas 9
5. Prob. rat. theol 10
6. Exponitur argumentum — α) Attributa divina manifestata relucent per divinam maternitatem 10
7. I. Sapientia 10
8. II. Iustitia 11
9. III. Fortitudo 12
10. IV. Bonitas 12
11. β) Adstruitur veritas Incarnationis 13
12. γ) Opportune subvenitur humanae naturae 13
13. Confirmatur 14
14. Difficultates solvuntur 16
15. COROLLARIUM. — Dici non debet Christum referri ad Matrem relatione reali increata 16

ART. II. — *De praedestinatione Beatissimae Virginis Mariae.*

1. Ratio articuli 17
2. ADVERTENDUM. — Accommodatio S. Scripturae de increata Sapientia ad Beatam Virginem non improbanda . . . 17
3. Quid sit praedestinatio 18
4. PROP. I. — Ita praedestinatio Beatae Virginis in Matrem Dei pendet a praevisione peccati Adae, ut si homo non peccasset Maria non fuisset praedestinata esse Mater Dei . . . 19

PAG.
5. Auctoritas 19
6. Rat. theol. 19
7. Prop. II. — Maria Virgo fuit praedestinata ut esset Mater Dei, omnino gratuita Dei voluntate, ante praevisa cuiuscumque merita 20
8. Auctoritas 20
9. Prob. rat. theol. — I. Nulla merita propria Beatae Virginis praecesserunt eius praedestinationem ad Matris Dei dignitatem 20
10. Confirmatur. — I. Ex praedestinatione Christi; II. Ex habitudine Incarnationis ad quaecumque merita 21
11. — II. Nec opera alterius cuiuscumque hominis . . . 22
12. — III. Nec praevisa ipsius Christi merita 22
13. Scholia. — I. Beata Virgo *de congruo* meruit divinae maternitatis aliquas circumstantias. — II. Item, sancti Patres . 23
14. Prop. III. — Beata Virgo non fuit praedestinata ad habendam gloria aeternam, α) post praevisa merita, β) nec tamen sine meritis 24
15. Prob. 1ª Pars 24
16. Ratio theol. 24
17. Prob. 2ª Pars. 25
18. Prop. IV. — Ordine et gradu Maria praedestinata est ante omnem puram creaturam. — Prob. 25
19. Auctoritas 25
20. Ratio theologica 26
21. Confirmatur. — Ex maiori propinquitate Mariae ad Christum 27
22. De sanctissimo Nomine Mariae 28
23. Huius Nominis significatio 29
24. Efficacia Nominis Maria 31

Art. III. — *De figuris et vaticiniis Beatae Mariae Virginis in Veteri Testamento.*

1. Ratio articuli 32
2. Prop. — Conveniens fuit ut Beata Virgo variis figuris et prophetiis praenuntiaretur 33
3. Patrum traditio 33
4. Prob. rat. theol. — I. Ex ipsa Matris Dei dignitate . . 34

PAG.

5. — II. Ex fine adstruendae veritatis Incarnationis dominicae 35
6. — III. Ex fine Veteris Testamenti 35
7. Potiora vaticinia Deiparam respicientia 35
8. Personae in Veteri Testamento Beatam Virginem praesignantes 37
9. Res quae in Veteri Testamento figurae fuerunt Beatae Virginis 37
10. Liber Cantici Canticorum 39
11. Quomodo Beata Virgo ex Scripturis penitius possit cognosci 40
12. Quomodo Spiritus Sanctus fideles ad cognitionem Deiparae perducat 41
13. Donum intellectus 42
14. Scholion. — Licet scripturisticis figuris uti in doctrina de Beata Virgine exponenda 43

Art. IV. — *De annuntiatione Beatae Mariae Virginis.*

1. Ratio articuli 44
2. Prop. I. — Congruum fuit Beatae Virgini annuntiari ipsam fore Christum concepturam 44
3. Convenientiae rationes. — I. Ex parte Beatae Virginis . . 44
4. — II. Ex parte humanae naturae 45
5. Confirmatur. — I. Ex modo agendi Dei in homines. — II. Ex conceptione spirituali Christi in anima fideli . . . 46
6. Prop. II. — Annuntiatio convenienter facta fuit per Angelum 46
7. Probatur haec convenientia 44
8. Quaestio. — *Quisnam fuerit iste angelus?* 44
9. Prop. III. — Angelus annuntians congruenter apparuit Beatae Virgini visione corporali 48
10. Exponitur 48
11. Ex triplici capite ostenditur ista convenientia 48
12. Prop. IV. — Congruus fuit ordo ab Angelo in annuntiatione servatus 49
13. Exponitur 49
14. Quaestio I. — *Quid tenendum sit de turbatione et timore Mariae ab Evangelista narratis?* 50
15. Quaestio II. — *Cur Maria quaesivit ab Angelo*: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, *cum ipsa in Scripturis edocta probe sciret Messiam ex Virgine nasciturum, iuxta illud Isaiae* (VII, 14): Ecce virgo concipiet, *ecc.?* . . 51
16. Sententiae Virginis sanctitati detrahentes sedulo respuendae . 52

CAPUT II.

DE DIVINA MATERNITATE.

Prologus.

PAG.

Ratio et ordo capitis 55

ART. I. — *De eo quod Beata Virgo egit ni conceptione Christi.*

1. Ratio articuli 55
2. PROP. I. — Spiritus Sanctus fuit principium activum conceptionis Christi 56
3. Exponitur 56
4. Quisnam sit sensus verborum S. Lucae: *Spiritus Sanctus*, etc. 56
5. QUAESTIO. — *Cur conceptio corporis Christi specialiter attribuitur Spiritui Sancto?* 57
6. CONFIRMATUR, ex hoc quod conceptio Christi fuit miraculosa 58
7. SCHOLION I. — Ipse Christus convenienter dicitur conceptus de Spiritu Sancto 58
8. SCHOLION II. — Spiritus Sanctus in conceptione Christi se habuit ut semen, attenta virtute activa quae in eo continetur . 59
9. SCHOLION III. — Licet Christus sit conceptus de Spiritu Sancto, non tamen recte dicitur Filius Spiritus Sancti, aut etiam filius Trinitatis 60
10. PROP. II. — In conceptione Christi α) Beata Virgo nihil active operata est, β) sed tantum materiam ministravit . . . 61
11. Auctoritas 61
12. PROB. 1ª PARS. 61
13. Beata Virgo nihil active est operata naturali virtute . . 61
14. Sed nec virtute supernaturali 62
15. CONFIRMATUR, ex hoc quod secus Maria esset dicenda pater Christi 62
16. PROB. 2ª PARS 63
17. SCHOLION. IV. — Beata Virgo aliquid active operata est ante ipsam conceptionem, praeparando materiam . . . 63

ART. II. — *De modo quo Beata Virgo Christum concepit.*

1. Ratio articuli 64
2. PRAENOTANDUM 64

PAG.

3. Prop. I. — Filius Dei sibi ipse compegit, ex castis et purissimis sanguinibus Beatae Virginis, carnem animatam anima rationali 65
4. Exponitur 65
5. Materia de qua formatur fetus 66
6. Distinctio inter conceptionem Christi et formationem Evae . 67
7. Christi conceptio fuit simpliciter miraculosa . . . 67
8. Prop. II. — Corpus Christi, in primo instanti suae conceptionis, fuit α) formatum, β) animatum anima rationali, γ) et a Verbo assumptum 68
9. Auctoritates 68
10. Prob. 1ª Pars 69
11. Tacita obiectio 70
12. Scholion. — Quantitas corporis Christi in illo instanti . . 70
13. Corpus Christi formatum fuit in utero Virginis . . . 71
14. Scholion. — Quomodo accipiendum sit dictum quod Maria Christum corde conceperit 71
15. Prob. 2ª Pars. 72
16. Corollarium. — Differentia inter conceptionem Christi et conceptionem aliorum hominum 72
17. Solvitur tacita obiectio 73
18. Prob. 3ª Pars 74
19. Conclusio. — In Christo simul fuit concipi et conceptum esse 74

Art. III. — *Utrum Beatissima Virgo sit Mater Dei.*

1. Divinae maternitatis ad caetera fidei dogmata intima connexio 75
2. Prop. I. — Beatissima Virgo debet dici Mater Dei . . . 76
3. Exponitur 76
4. Prob. — I. Ex Sacra Scriptura Novi Testamenti . . 76
5. — II. Ex definitionibus Ecclesiae 77
6. — III. Ex Patrum traditione 79
7. — IV. Ratione theologica 81
8. Confirmatur. — I. Ab indirecto 81
9. — II. Directe 82
10. Quaestio. — *Quod miracula in Christi conceptione et nativitate sint agnoscenda?* 82
11. Scholion. — Controversia inter Paschasium Ratbertum et Ratramnum de modo quo Salvator de utero Matris egressus est 83

PAG.
12. Difficultates ex Sacra Scriptura 84
13. Difficultates ex ratione theologica 84
14. Conclusio. — Beata Virgo dicitur vere et proprie, non abusive, Mater Dei 88
15. Verba Ven. Bedae 89

CAPUT III.

DE CONSEQUENTIBUS DIVINAM MATERNITATEM.

Prologus.

Ratio et ordo capitis 91

Art. I. — *De Matris Dei dignitate.*

1. Ratio articuli 91
2. Sententiae Suarez et Vasquez 92
3. Prop. I. — Dignitas Matris Dei superat totum creatum ordinem gratiae et gloriae 92
4. Prob. α) ex parte termini utriusque unionis 92
5. β) Ex ratione mensurae et mensurati 93
6. γ) Ex cultu propter divinam maternitatem debito . . . 94
7. Solvuntur obiectiones 94
8. Corollarium. — Divina maternitas formaliter non pertingit usque ad parentes Beatae Virginis nobilitandos . . . 95
9. Prop. II. — Unio quam ex divina maternitate Beata Virgo habet cum Deo, ad unionem hypostaticam per accessum et reductive pertinet 95
10. Probatur 95
11. Scholion. — Ideo haec unio omnem aliam unionem hominis ad Deum superat 96
12. Auctoritates 96
13. Divina maternitas infinitatem quamdam induit . . . 97
14. Comparatio inter Adam et Beatam Virginem 97
15. Scholion. — Beata Virgo fuit instrumentum in Incarnatione Verbi 98
16. Advertendum. — Beata Virgo non est causa Dei . . . 99

ART. II. — *De Christi erga Matrem officiis.*

PAG.

1. Ratio articuli 100
2. Christi erga Matrem reverentia et amor 100
3. Quomodo Christus Matrem sublevaverit 101
4. PROP. — Christus Mariae de iure quodammodo subiectus fuit 101
5. Exponitur 101
6. Quo pacto Christus Mariae subiectus dicatur 102
7. Triplex subiectionis genus 102
8. COROLLARIUM. — In quibusnam Christus Mariae subiectus fuerit 103
9. TACITA OBIECTIO SOLVITUR 104
10. SCHOLION I. — Christus Mariae subiectus fuit non solum *de iure*, sed etiam *de facto* 104
11. SCHOLION II. — Dicta emphatica de Christi ad Virginem subiectione, quomodo intelligenda 105
12. SOLVITUR OBIECTIO 105
13. QUAESTIO. — *Qua ratione Christo Maria subdita fuerit?* . . 106

ART. III. — *De relatione Beatae Virginis ad Deum.*

1. Ratio articuli 107
2. PROP. I. — Ex eo quod Beata Virgo est Mater Dei, quamdam affinitatem cum personis Sanctissimae Trinitatis contraxit 107
3. I. Affinitas Beatae Virginis cum Patre 108
4. II. Cum Filio 108
5. III. Cum Spiritu Sancto 109
6. Maria Filia Patris, Sponsa Christi, Sacrarium Spiritus Sancti 110
7. COROLLARIUM. — Quantum divina maternitas Beatam Virginem exaltaverit 113
8. PROP. II. — Beata Virgo recte vocatur complementum totius Trinitatis, non quidem essentiale et intrinsecum, sed accidentale et ad extra 113
9. Exponitur 113
10. α) Beata Virgo per divinam maternitatem contulit Patri auctoritatem in Filium aliunde sibi coequalem 113
11. β) Beata Virgo per divinam maternitatem contulit Filio generationem temporalem 114
12. γ) Beata Virgo per divinam maternitatem contulit Spiritui Sancto ut fecundans fieret generatione temporali Christi Domini 114

PAG.
13. Solvitur tacita difficultas 115
14. Scholion I. — Quomodo Beata Virgo ad Trinitatem proxime accedat 115
15. Scholion II. — Divina maternitas fuit causa omnium charismatum quibus Maria a Deo donata fuit 116
16. Scholion III. — Dantes Alighierius de excellentissima Beatae Virginis dignitate 117

PARS II.

DE BEATA VIRGINE CONSIDERATA PER RESPECTUM AD SEMETIPSAM

Prologus.

1. Ratio huius partis 119
2. Quam difficile sit rem hanc congrue tractare 119
3. Dionysi Petavii monitum 120
4. Ordo huiusce partis 121

CAPUT I.

DE PERFECTIONIBUS ANIMAE BEATAE VIRGINIS MARIAE.

Prologus.

1. Ratio capitis 122
2. Ordo capitis 123

Art. I — *De Immaculato Conceptu Beatae Mariae Virginis.*

1. Peccati originalis traductio 125
2. Christus originale peccatum non contraxit 126
3. Prop. — Beatissima Virgo Maria, in primo instanti suae conceptionis, fuit singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservata immunis . 127
4. Exponitur 128
5. Cur dicatur *in primo instanti* 129

PAG.

6. Conceptio activa et conceptio passiva 129
7. Quid significent verba: *Singulari omnipotentis Dei gratia*, etc. 131
8. Duplex redemptio 133
9. Beata Virgo fuit a Christo redempta 134
10. Probationes ex S. Scriptura. — I. Ex Veteri Testamento. — α) Ex protoevangelio 136
11. Sensus huius vaticinii 137
12. β) Ex figuris quibus Beata Virgo in Veteri Testamento praesignatur 139
13. II. Ex Novo Testamento. — α) Ex annuntiatione Gabrielis Archangeli 140
14. β) Ex Cantico Beatissimae Virginis 143
15. Corollarium. — Beata Virgo serpentem antiquum devicit . 144
16. Probationes ex Ecclesiae Traditione 145
17. I. Ex Ecclesiae Conciliis 146
18. II. Ex Patrum traditione 148
19. Patrum modus loquendi de Beatissima Virgine . . . 149
20. III. Ex actis Romanorum Pontificum 157
21. IV. Ex liturgia 160
22. V. Universitates catholicae 162
23. VI. Ex sensu fidelium 164
24. Probationes ex ratione theologica 167
25. I. Nulla est repugnantia 168
26. II. Quinimmo multiplex convenientia adseritur . . . 169
27. Rosminii Sententia reiicitur 172
28. Quaestio. — *Utrum dici possint sancti Ioachim et Anna Deo cooperati fuisse in mysterio Immaculatae Conceptionis perficiendo?* 176

APPENDIX.

§ I. — DE S. BERNARDO.

I. Epistola ad Canonicos Lugdunenses 178
II. Controversia de Immaculata Conceptione B. M. V. . . 179
III. Beatae Virginis sanctitas a S. Bernardo celebrata . . . 180
IV. Rationes quibus S. Bernardus impugnare videtur Immaculatam Conceptionem 180
V. Solvuntur istae rationes 182
VI. Conclusio 184

§ II. — DE S. THOMA AQUINATE ET S. BONAVENTURA.

PAG.

I. Sententia horum sanctorum 186
II. Loci S. Thomae in favorem Immaculatae Conceptionis . . 186
III. Loci in contrarium 187
IV. Observanda circa eosdem locos 188
V. Conclusio de mente S. Thomae 190
VI. S. Bonaventurae doctrina 191
VII. Eius pietas in Beatissimam Virginem 192

Art. II — *Utrum Beata Virgo habuerit fomitem peccati.*

1. Quid sint *formale*, quid *materiale* in peccato originali . . 193
2. Duplex fomitis accepto 194
3. Prop. — Beata Virgo non habuit fomitem, α) in *actu secundo*, sed nec β) in *actu primo;* quandoquidem fomes in ea fuit totaliter sublatus in primo instanti illius conceptionis passivae 195
4. Prob. 1ª Pars 195
5. Sententiae reiiciendae circa fomitem in *actu primo* . . 195
6. Prob. 2ª Pars 197
7. Confirmatur triplici ratione 198
8. Reprobanda sententia 198
9. Scholion I. — Parentes Beatae Virginis eam genuerunt sine actuali fomitis motu 199
10. Scholion II. — Beata Virgo delectabilia sibi iuxta rationem concupivit 209
11. Scholion III. — In eius anima fuerunt passiones 209
12. Solvitur difficultas 201
13. Corollarium. — Beata Virgo sub Christo et cum eo est typus perfectae et integrae naturae a Deo primitus conditae . . 203

Art. III. — *De Beatae Mariae Virginis impeccabilitate.*

1. Ratio articuli 204
2. Prop. I. — Beatissima Virgo nulla unquam actualis peccati labe commaculata est 204
3. Prob. — I. Auctoritate 205
4. II. Ratione theologica 205
5. Exponitur argumentum 206
6. Corollarium. — Beata Virgo rite tota pulcra praedicatur . 207
7. Scholion. — B. Virgo confirmata in iustitia ex singulari Dei privilegio 207

PAG.

8. Triplex modus confirmationis in bono 208
9. PROP. II. — Beata Virgo α) non fuit in bono confirmata per aliquam formam intrinsece superadditam, sed β) per hoc quod Deus specialiter eius voluntati iugiter adstitit, ne in malum aliquando inclinaretur 208
10. PROB. 1ª PARS 209
11. PROB 2ª PARS 209
12. EXPLICATUR propositio 210
13. COROLLARIUM. — Beata Virgo in bono confirmata fuit perfectius quam caeteri sancti 211
14. Et quidem usque a primo instanti suae existentiae . . . 212
15. SOLVUNTUR DIFFICULTATES 212
16. Patrum voces ambiguae 213
17. SCHOLION. — Non est oppositio inter Scripturam et sensum populi christiani 215
18. OBIECTIONES ex Sacra Scriptura solvuntur 215

ART. IV. — *De prima sanctificatione Beatae Mariae Virginis, scilicet in momento suae conceptionis.*

1. Ratio articuli 217
2. PRAENOTANDA. — I. Quo sensu de sanctificatione Mariae hic agitur. — II. Criterium in hac questione dirimenda . . 218
3. PROP. I. — In primo instanti suae conceptionis passivae Beata Virgo sanctificata fuit 220
4. PROBATUR 220
5. QUAESTIO. — *Utrum Beata Virgo ad hanc sanctificationem se proprio actu disposuerit?* 221
6. PROP. II. — Beata Virgo in momento suae conceptionis sanctificata fuit proprio liberi arbitrii motu 221
7. PROBATUR 221
8. EXPONITUR 221
9. COROLLARIUM. — Beata Virgo in primo instanti suae conceptionis potuit mereri 222
10. Usus rationis in Beata Virgine in utero matris existente . 222
11. SOLVITUR OBIECTIO 225
12. Differentia inter Christum et Beatam Virginem . . . 225
13. QUAESTIO I. — *Utrum huiusmodi usus rationis in Beata Virgine fuerit miraculosus?* 227
14. QUAESTIO II. — *Utrum fuerit permanens?* 227

PAG.

15. PROP. III. — Beata Virgo in initio suae conceptionis gratiam recepit in gradu superiori quam ulli unquam creaturae, sive humanae, sive etiam angelicae, in eius prima sanctificatione fuerit concessa 228
16. Prob. rat. theol. 228
17. NOTANDUM. — Cur dicatur *in eius prima sanctificatione* . 228
18. COROLLARIUM. — Beatae Virginis gratia fuit maior gratia S. Ioannis Baptistae 229
19. PROP. IV. — In momento Incarnationis Verbi, gratia Beatae Virginis superavit gratiam finalem omnium simul sanctorum et angelorum 229
20. EXPONITUR 229
21. PROB. propositio 229
22. Initialis Deiparae gratia probabiliter non aequavit gratiam finalem omnium sanctorum et angelorum simul sumptorum 230
23. COROLLARIUM. — Gratia Beatae Virgini tunc concessa fuit proportionaliter ad eius statum 233
24. ADVERTENDUM. — Quomodo homo in gratia crescat . . 234
25. SOLVITUR DIFFICULTAS ex verbis Pii IX 234

ART. V. — *De secunda sanctificatione Beatae Mariae Virginis, seu de eius profectu in gratia.*

1. Ratio articuli 235
2. PRAENOTANDUM. — Duplex augmentum in gratia . . . 235
3. PROP. — Beata Virgo crevit in gratia toto decursu vitae suae mortalis 236
4. EXPONITUR 236
5. PROB. RAT. THEOL. 236
6. DIFFICULTAS ex S. Thoma, B. Alberto Magno et S. Bernardino Senensi 236
7. COROLLARIUM. — Plenitudo gratiae diversimode in Christo et in Beata Virgine praedicatur 237
8. QUAESTIO I. — *Quomodo Beata Virgo creverit in gratia?* . 238
9. QUAESTIO II. — *Quaenam sacramenta Beata Virgo suscepit?* 239
10. Utrum Beata Virgo susceperit Extremam Unctionem . . 241
11. SCHOLION I. — Sacramenta Poenitentiae et Ordinis Beata Virgo non suscepit 243
12. SCHOLION II. — Quid de matrimonii sacramento dicendum sit 244
13. Solvitur tacita difficultas 245
14. QUAESTIO. — *Quo pacto gratia in nobis augetur?* . . . 246

PAG.

15. Augmentum gratiae in Beata Virgine 247
16. Ecclesiae traditio circa quantitatem gratiae in Beata Virgine 247
17. NOTANDUM. — Gratia Beatae Virginis in via non fuit superioris ordinis quam gratia sanctorum in patria . . . 249
18. Comparatio inter gratiam Christi et gratiam Mariae . . 250
19. Beata Virgo in somno non meruit 252
20. DIFFICULTAS ex S. Francisco Salesio 253
20. SCHOLION I. — Quomodo solvuntur hac super re aequivocationes 253
21. SCHOLION II. — Beata Virgo in somno recepit divinas communicationes 254
22. Gratia Beatae Virginis in momento Incarnationis Verbi . . 255
23. Gratia Beatae Virginis sub Cruce consistentis . . . 256
24. Gratia Beatae Virginis in fine vitae suae mortalis . . . 258
25. Progressus Mariae in gratia 259
26. ADVERTENDA. — I. Gratia Mariae fuit praemium eius cooperationis. — II. Efficacia mediationis Beatae Virginis in Annuntiatione 260
28. Meritum Beatissimae Virginis. — I. eius *obiectum*, II. *quantitas* 261

ART. VI. — *De virtutibus et donis Beatae Mariae Virginis.*

1. Ratio articuli 264
2. Verba Leonis XIII 264
3. PROP. — In Beatissima Virgine excellentissime fuerunt virtutes et dona Spiritus Sancti 265
4. PROB. 265
5. SCHOLION. — Quare dicatur *excellentissime* 265
6. Patres generaliter asserunt omnes virtutes fuisse in Maria . 267
7. Virtutes theologicae in Maria 267
8. Virtutes morales in Beata Virgine 270
9. SCHOLION. — Quomodo Beata Virgo exercuit omnes virtutes 272
10. De fide Beatae Mariae Virginis contra Lutherum et Erasmum 272
11. QUAESTIO I. — *Utrum in triduo mortis Christi in sola Beata Virgine fides permanserit?* 273
12. QUAESTIO II. — *Utrum Beata Virgo habuerit virtutes liberalitatis et magnificentiae?* 275
13. QUAESTIO III. — *Utrum Beata Virgo habuerit virtutes temperantiae et continentiae?* 276
14. QUAESTIO IV. — *Utrum Beata Virgo habuerit virtutem poenitentiae?* 276

PAG.
15. Beatitudines et fructus 277
16. Scholion. — Beata Virgo habuit etiam virtutes *per accidens* infusas 277
17. Quaestio. — *Utrum in Beata Virgine fuerint gratiae gratis datae* 278
18. Advertenda circa usum sapientiae et miraculorum in Beata Virgine 279

Art. VII. — *De scientia Beatae Mariae Virginis.*

1. Quotuplex sit scientia 281
2. Prop. I. — Beata Virgo non habuit permanenter scientiam beatam, seu visionem beatificam 282
3. Probatur 282
4. Scholion. — Eam tamen habuit transeunter 282
5. Quaestio. — Quid Christus resurgens Matri suae manifestaverit 284
6. Prop. II. — Resurgens Christus Matri suae primo apparuit . 284
7. Probatur 284
8. Confirmatur 285
9. Solvitur difficultas 286
10. Cur de huiusmodi apparitione silent Scripturae . . . 286
11. Prop. III. — Cristus resurgens suam divinitatem Mariae monstravit 287
12. Ostenditur 287
13. Conclusio 287

Art. VIII. — *De scientia indita et acquisita Beatae Mariae Virginis.*

1. Ratio articuli 288
2. Quid sit scientia infusa per se, et per accidens . . . 288
3. Prop. I. — Beata Virgo *a)* non habuit permanenter scientiam per se infusam; *b)* scientiam autem per accidens infusam habuit de pluribus per modum propheticae revelationis . 288
4. Prob. 1ª Pars 288
5. Corollarium. — Beata Virgo in hac vita non vidit angelos per essentiam 289
6. Scientiam infusam per se habuit Deipara modo transeunti . 289
7. Prob. 2ª Pars 290
8. Scholion. — De extensione scientiae per accidens infusae in Deipara 290

PAG.

9. Prop. II. — Beata Virgo scientiam proprio marte sibi comparavit 291
10. Exponitur 291
11. Quaestio I. — *Utrum Beata Virgo aliquid ab angelis didicerit?* 292
12. Quaestio II. — *Utrum Beata Virgo aliquid didicerit ab hominibus?* 293
13. Solvuntur tacitae obiectiones 294
14. Corollarium. — Ex tribus potissime capitibus Matris Dei scientia aucta est 295
15. Amplitudo scientiae Beatissimae Virginis 295
16. Maria, evangelistarum et apostolorum magistra 296
17. Difficultas 298
18. Quaestio III. — *Utrum Beata Virgo decipi potuerit?* . . 298

Art. IX. — *De assumptione et gloria Beatae Mariae Virginis.*

1. Ratio articuli 299
2. Praemonenda. — I. Corpus Beatae Virginis omnino incorruptum post mortem mansit 300
II. Eius anima fuit statim in caelum assumpta . . . 300
3. Sensus quaestionis 301
4. Prop. I. — Certum omnino est Beatam Virginem, quoad corpus, fuisse in caelum assumptam 302
5. Qualiter haec veritas sit tenenda 302
6. Prob. I. — Ex traditione 303
7. Prob. II. — Ex rat. theol. - α) Ex parte Christi . . . 305
8. β) Ex parte Beatae Virginis 305
9. γ) Ex parte nostri 306
10. Scholion. — Beata Virgo super omnes Angelorum choros exaltata fuit 306
11. Prop. II. — Beata Virgo α) tum quod gloriam animae essentialem, β) tum quoad gloriam accidentalem, omnes beatos, sive homines, sive Angelos longe antecellit . . . 307
12. Praenotandum. — Gloria essentialis et accidentalis . . 307
13. Sensus primae partis 307
14. Prob. 1ª Pars 308
15. Exponitur per partes 308
16. Scholion. — Profundius qualibet creatura figit Virgo gloriosa oculum in divinam essentiam 309
17. Prob. 2ª Pars 310
18. Quaestio. — *Utrum Beatae Virgini aureola debeatur?* . . 310

PAG.
19. Consideratio de singulis aureolis relate ad Deiparam . . 311
20. Excellentia fructus virginitatis in Maria 313
21. Dantis Alighierii de gloria Virginis Deiparae descriptio . . 314

CAPUT II.

DE QUALITATIBUS CORPORALIBUS BEATAE VIRGINIS.

Prologus.

Ratio et ordo capitis 316

ART. I. — *De perfectione corporali Beatae Mariae Virginis.*

1. Ratio articuli 317
2. PROP. I. — Beata Virgo fuit genere nobilissima . . . 317
3. Errores 317
4. α) Beata Virgo fuit de stirpe regia 317
5. CONFIRMATUR ex genealogia Christi per S. Ioseph deducta . 318
6. SOLVITUR TACITA OBIECTIO 319
7. β) Beata Virgo fuit cognata stirpi sacerdotali . . . 319
8. PROP. II. — Beata virgo perfectissimam corporis complexionem et dispositionem habuit 321
9. EXPONITUR 321
10. CONFIRMATUR ex maiori perfectione animae 321
11. SCHOLION I. — Beata Virgo aegritudini aut morbo nunquam subiacuit 322
12. SCHOLION II. — Beatae Virgini fuit condecens pulcritudo corporalis 323
13. Nulla fuit in Beata Virgine deformitatis umbra . . . 324
14. Beata Virgo in nativitate sua nullam iniuriam intulit matri suae 325
15. QUAESTIO I. — *Utrum Beata Virgo Christum lactaverit?* . 326
16. QUAESTIO II. — *Utrum Beata Virgo habuerit angelum custodem?* 327

ART. II. — *De passibilitate Beatae Mariae Virginis.*

1. Ratio articuli 329
2. Passio corporalis et passio animalis 329
3. PROP. I. — α) Beata Virgo non habuit debitum patiendi dolore corporali, β) conveniens tamen fuit ut eidem subiaceret. 330

PAG.

4. PROB. 1ª PARS 330
5. PROB. 2ª PARS 331
6. QUAESTIO. — *Quanam necessitate Beatissima Virgo hisce defectibus subiacuit?* 331
7. SCHOLION. — Non fuit in B. Virgine voluntatum contrarietas . 332
8. PROP. II. — Beata Virgo dolores animi vere passa est . . 332
9. PROBATUR 332
10. SOLVITUR TACITA DIFFICULTAS 334
11. Magnitudo tristitiae Beatae Mariae Virginis 334
12. SCHOLION. — Dolor est malum poenae 335
13. NOTANDUM. — Comparatio inter tristitiam Beatae Virginis et tristitiam Christi 336
14. In quoniam martyrii ratio consistat 337
15. Quid de Deiparae martyrio sit retinendum 338
16. Causae martyrii Beatissimae Virginis Mariae 339
17. COROLLARIUM. — Martyrium Beatae Virginis fuit excellentissimum 341
18. NOTANDUM. — Toto vitae suae tempore Beata Virgo Christo compassa est 342
19. Patrum et Doctorum auctoritates 342
20. Verba Leonis XIII 346
21. SCHOLION I. — Tristitia Deiparae nullo modo eius rationem perturbavit 347
22. Deiparae in patiendo constantia 348
23. SCHOLION II. — Quaenam sint vitanda in praedicando martyrio Beatae Mariae Virginis 350

ART. III. — *Utrum Beata Virgo fuerit immortalis.*

1. Quomodo primus homo fuerit immortalis 352
2. PRAEOCCUPATUR ALIQUA DIFFICULTAS 353
3. Necessitas cibi et ligni vitae in statu innocentiae . . . 354
4. COROLLARIUM. — Mors est simul naturalis et poena peccati . 356
5. PROP. I. — Certum est Beatam Virginem non fuisse immortalem ex titulo naturae 356
6. EXPONITUR 356
7. PROP. II. — Nec ex titulo gloriae, immortalitatem habuit Beata Virgo, dum adhuc in hac terra degeret . . . 357
8. EXPONITUR 357
9. PROP. III. — Beata Virgo immortalis fuit ex titulo gratiae 357
10. EXPONITUR 357

PAG.
11. Corollarium. — Beata Virgo ex parte convenit cum Christo et ceteris hominibus et ex parte ab eisdem differt . . 358
12. Tacita obiectio solvitur 359
13. Adae privilegium immortalitatis in Beata Virgine non fuit revocatum 360
14. Confirmatur. — I. Ex incorruptione corporis Deiparae. — II. Ex damnata Baii propositione 360
15. Prop. IV. — Beatissima Virgo vere mortua fuit . . . 361
16. Opinio reprobanda 361
17. Prob. prop. 362
18. Scholion. — Quo sensu dici potest Beata Virgo mortua propter peccatum Adae 363
19. Ecclesiae traditio 363
20. Solvuntur obiectiones 364
21. Verba S. Epiphanii 365
22. Scholion. — Cur apud priscos Patres nil certi de obitu Deiparae habeatur 366
23. Beata Virgo non diu mortua iacuit 367
24. Quaestio. — *Quomodo Deipara sit mortua?* 367
25. Solvitur tacita difficultas 371
26. Verba S. Francisci Salesii et Bossuetii 372
27. Scholion. — Corpus Beaae Virginis corruptioni non subiacuit 373
28. Verba S. Ioannis Damasceni 374
29. Corollarium. — Omnes homines, nullo prorsus excepto, aliquando morti subiacent 375
30. Figura obitus Beatae Mariae Virginis 376
31. Quaestio. — *Utrum aliquis homo mortalis fuerit testis resurrectionis et assumptionis Beatae Virginis?* 376
32. Notandum. — Beata Virgo species eucharisticas in pectore non conservat in caelo 377
33. Conclusio 388

CAPUT III.

DE VIRGINITATE ET MATRIMONIO BEATAE MARIAE MATRIS DEI.

Prologus.

1. Ratio capitis 380
2. Ordo capitis 380

ART. I. — *Utrum Mater Dei fuerit virgo.*

PAG.

1. Quid sit virginitas 381
2. Ratio articuli 382
3. ERRORES. — α) Cerinthus, β) Iovinianus, γ) Helvidius . . 383
4. PROP. — α) Mater Christi, toto vitae suae decursus, integritatem corporis servavit; β) ideoque virgo fuit — I. in concipiendo, II. in partu, III. post partum 383
5. EXPONITUR 383
6. PROB. 1ª PARS. — I. Auctoritas S. Scripturae 384
7. CONFIRMATUR ex S. Matthaeo 386
8. COROLLARIUM. — Virgo ab Isaia designata, est ipsamet Mater Dei Maria 387
9. PROB. II. — Ex Ecclesiae Traditione 388
10. PROB. III. — Ex figuris 390
11. SCHOLION I. — Conceptus et partus virgineus Mariae sunt vera et proprie dicta miracula 391
12. SCHOLION II. — Sententia non probanda circa partum Beatae Virginis 392
13. PROB. 2ª PARS 393
14. I. Deipara fuit virgo in concipiendo 393
15. DIFFICULTATES SOLVUNTUR 394
16. II. Deipara fuit virgo in partu 396
17. DIFFICULTAS SOLVITUR 397
18. COROLLARIUM. — Cur Beata Virgo legi purificationis se subiecit 397
19. III. Post partum, Maria virgo permansit 398
20. DIFFICULTATES SOLVUNTUR 399

ART. II. — *Utrum Beata Virgo votum virginitatis emiserit.*

1. Ratio articuli 401
2. SOLVITUR TACITA OBIECTIO 402
3. PROP. I. — Deipara votum virginalis emisit 403
4. PROB. I. — Ex auctoritate S. Scripturae 403
5. II. Ex Patribus 404
6. III. Ex rat. theol. 405
7. REFELLUNTUR FALSAE SENTENTIAE 406
8. PROP. II. — Beatissima Virgo votum virginitatis prima omnium α) et tempore, et β) perfectione, nuncupavit . . . 407
9. PROB. 1ª PARS. — I. Auctoritate 407
10. II. Rat. theol. 408

PAG.
11. Difficultates solvuntur 403
12. Secunda propositionis pars ostenditur 410
13. Quaestio. — *Quonam vitae suae tempore Maria votum virginitatis nuncupavit?* 410
14. Corollarium. — Mater Dei rite per antonomasiam Virgo et Regina Virginum vocatur 411
15. Solvitur tacita obiectio 412
16. Quaestio I. — *Utrum votum fuerit a Deipara absolute emissum ante eius cum S. Ioseph matrimonium* 412
17. Prop. III. — Mater Dei votum virginitatis absolute emisit ante contractum cum S. Ioseph matrimonium . . . 413
18. Exponitur 413
19. Solvuntur difficultates 414
20. Cur S. Thomas sententiam de voto conditionato tenuerit . . 415
21. Confirmatur argumento Suarezii 416
22. Quaestio II. — *Quamnam pluris aestimaverit Maria, virginitatem, an divinam maternitatem?* 417
23. Confirmatur 418
24. Scholion. — Ante annuntiationem, Maria nesciebat, se futuram esse Matrem Dei 419

Art. III. — *De desponsatione et matrimonio Beatae Mariae Virginis cum S. Ioseph.*

1. Ratio articuli 419
2. Errores 420
3. Prop. I. — Deiparam inter et sanctum Ioseph verum intercessit matrimonium 422
4. Natura huius prop. 422
5. Prob. I. — Ex modo loquendi S. Scripturae generaliter . . 422
6. Praefatae locutiones propriae sunt 422
7. Prob. — II. Specialiter ex auctoritate S. Matthaei . . . 425
8. α) Modus loquendi Evangelistae 425
9. β) Sancti Ioseph agendi ratio 426
10. Tacita obiectio solvitur 427
11. Prob. — III. Ex eo quod S. Ioseph vocatur pater Christi . 429
12. Evolvitur argumentum 429
13. Quanam ratione S. Ioseph pater Christi vocetur . . . 431
14. Prob. — IV. Ex officiis sancto Ioseph in Scriptura assignatis 431
15. Perfectio matrimonii B. M. V. cum sancto Ioseph . . . 433
16. Probationes ab extrinseco 434

PAG.

17. Difficultates ex Patribus 435
18. Solvuntur difficultates 435
19. Confirmatur veritas matrimonii Beatissimae Virginis, ex eius sponsalibus cum sancto Ioseph 436
20. Corollarium. — Votum virginitatis Deiparae non officit veritati et validitati matrimonii eiusdem 437
21. Quaestio. — De liceitate matrimonii Beatae Virginis cum sancto Ioseph 438
22. Prop. II. — Beata Virgo in matrimonio contrahendo nihil illiciti commisit, imo maximam sibi laudem promeruit . . 439
23. Exponitur 439
24. Corollarium. — Beata Virgo exemplar et Regina eorum qui in matrimonio virginitatem servare statuunt . . . 440
25. Rationes cur Deus voluerit nasci ex desponsata Virgine . 440
26. I. Rationes ex parte Christi 441
27. II. Rationes ex parte Beatae Virginis 443
28. III. Rationes ex parte nostri 445
29. Difficultas solvitur 447
30. Quaestio. — *Cuiusnam aetatis esset Beata Virgo, quando S. Ioseph nupsit?* 448

PARS III.

DE RELATIONIBUS BEATAE MARIAE VIRGINIS AD HOMINES.

Prologus.

1. Ratio huius partis 449
2. Divisio 450

CAPUT. I.

DE OFFICIIS BEATAE MARIAE VIRGINIS ERGA HOMINES.

Prologus.

1. Praemonenda 451
2. Ordo capitis 452

ART. I. — *De officio Matris hominum in Maria.*

PAG.

1. Maria hominum Mater 453
2. Inchoatio officii Matris hominum in Maria 454
3. Consummatio officii Matris hominum in Maria . . . 455
4. Propria huius articuli intentio 456
5. ADVERTENDUM circa hoc nomen *adoptio* 456
6. Verborum Christi sensus litteralis 456
7. Sensus spiritualis 457
8. PROP. — Per verba S. Ioannis (XIX, 26-27), α) Christus Beatam Virginem constituit Matrem omnium Cristifidelium: β) quod quidem Redemptionis oeconomiae convenientissimum erat 458
9. PROB. 1ª PARS. — I. Theologicis rationibus 458
10. EVOLVITUR MINOR. — *a*) SUBSTRATA MATERIA 458
11. *b*) CIRCUMSTANTIAE 459
12. *c*) VERBA IPSA 460
13. II. ECCLESIAE TRADITIONE 460
14. PROB. 2ª PARS 462
15. COROLLARIUM I. — Beatissima Virgo Christifideles spiritualiter genuit 463
16. COROLLARIUM II. — Beatissima Virgo erga Christifideles matris munia gessit 463
17. QUAESTIO. — *An Beata Virgo sit Mater omnium hominum?* . 464
18. DIFFICULTAS proponitur 465
19. RESPONSIONES 465
20. Verba Leonis XIII 467

ART. II. — *De officio Mediatricis in Maria.*

1. Ratio articuli 468
2. Quid ad mediatoris officium pertineat 469
3. Duplex mediatoris ratio 469
4. PROP. — Deus hominibus Beatissimam Virginem ad mediatorem Christum excellentissimam mediatricem benignissima miseratione promisit 470
5. EXPLICATUR 470
6. PROB. I. EX RAT. THEOL. — α) Ex Immaculato Beatae Virginis Conceptu 471
7. β) Ex opera Mariae in reconciliatione generis humani . . 471
8. γ) Ex eo quod per Mariam fides promota fuit . . . 472

PAG

9. Explicatur quo pacto fides catholica, per veram fidem in Deiparam, promoveatur 472
10. Prob. II. Ex Ecclesiae traditione 473
11. Prob. III. Ex figuris a Patribus adhibitis 475
12. Mediatio Beatissimae Virginis in institutione sanctissimae Eucharistiae 476
13. Mediatio Mariae pro Eucharistiae fructibus plene percipiendis 478
14. Quaestio. — *Utrum Mater Dei, mortalem adhuc vitam degens, causa instrumentalis extiterit gratiae hominibus conferendae?* 478
15. Scholion. — Quid post Ecclesiae constitutionem . . . 480
16. Confirmatur praecedens doctrina 481
17. Triplex genus nominum 482
18. Analogia inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem 482
19. Beatissima Virgo, excellentissima mediatrix ad Christum . 483

Art. III. — *De officio Coredemptricis in Beata Virgine.*

1. Ratio articuli 484
2. Quisnam sit salutis nostrae causa 484
3. Prop. I. — Rite dicitur Beata Virgo operi nostrae salutis cooperata fuisse 485
4. Prob. α) Ex eo quod Beata Virgo Incarnationem meruit . 485
5. β) Ex eo quod suo consensu ad Incarnationem concurrit . 485
6. Corollarium. — Beata Virgo vere Dei cooperatrix in ordine ad nostram salutem 487
7. Prop. II. — Beata Virgo sua compassione Christo patienti cooperata est, in eo quod cum ipso α) meruit nostram salutem; β) peccatis nostris satisfecit; γ) obtulit dignum Deo sacrificium 487
8. Exponitur per partes. — α) Meritum Beatae Mariae Virginis 487
9. Beatissima Virgo *de congruo* meruit omne id quod Christus *de condigno* 488
10. Ecclesiae professio 489
11. β) Satisfactio Beatae Mariae Virginis 490
12. γ) Sacrificium a Maria Deo oblatum 492
13. Quid et quotuplex sit sacrificium 492
14. Sacrificium proprie dictum 493
15. Sacrificium proprie et stricte acceptum 494
16. Sacrificium definitur 495

PAG.

17. Christus verum, proprium et stricte acceptum sacrificium obtulit 496
18. Effectus sacrificii Christi 496
19. Christus est vere et proprie sacerdos 497
20. Prop. III. — Beata Virgo obtulit Deo sacrificium late acceptum, non autem stricte 498
21. Exponitur 498
22. Excellentia sacrificii Deiparae, vi cuius dici potest Virgo Sacerdotalis 499
23. Quaestio II. — *An et quo pacto Maria dici possit coredemptrix generis humani?* 500
24. Christus redemptor noster 501
25. Quomodo alii praeter Christum redimere nos dicantur . . 501
26. Quid Beata Virgo in nostra Redemptione praestiterit . . 502
27. Conclusio. — Beata Virgo rite vocatur generis humani Coredemptrix 504
28. Patrum et Doctorum auctoritas 505
29. Scholion. — Quomodo Beata Virgo aliis sanctis praecellat in cooperando operi redemptionis 506
30. Obiectiones solvuntur 507
31. Conclusio 508

Art. IV. — *De intercessione Beatae Mariae Virginis.*

1. Haereticorum sententiae 509
2. Fidei catholicae professio 510
3. Nullam Christo iniuriam irrogat sanctorum veneratio . . 511
4. Advertenda circa modum quo sancti pro nobis orant . . 511
5. Beata Virgo pro seipsa oravit 513
6. Prop. I. — α) Beatissima Virgo in caelis orat pro nobis non modo in communi, sed etiam in particulari; β) immo nulla gratia alicui mortalium post lapsum unquam conceditur, nisi per respectum ad illius aut intercessionem aut meritum . 514
7. Prob. 1ª Pars 514
8. Secundae partis terminorum expositio 515
9. Prob. 2ª Pars 516
10. Ecclesiae traditio 517
11. Scholion. — Intercessio Beatae Virginis non excludit intercessionem aliorum sanctorum 518
12. Corollarium. — Beata Virgo rite dici potest *omnipotens impetrando* 519

PAG.

13. Prop. II. — Beatissima Virgo non aequaliter apud Deum pro omnibus hominibus intercedit 520
14. Exponitur 521
15. Rationes huius inaequalitatis 521
16. Efficacia intercessionis Deiparae in caelum assumptae . . 523
17. Prop. III. — Devotio erga Beatam Virginem rite in Ecclesia habetur tanquam singulare praedestinationis indicium . . 523
18. Exponitur 523
19. Deiparae pro peccatoribus intercessio 525
20. Advertendum circa efficaciam intercessionis Beatae Virginis 526
21. Triplex in Deiparam devotio 526
22. Mariae adsistentia in divino iudicio 527
23. Scholion. — Dici non debet B. Virginem obtinere a Deo ut adultus inferno finaliter deputatus salvetur 528
24. Deiparae in animas in purgatorio detentas beneficia . . 529
25. Privilegium sabbatinum 530

CAPUT II.

DE IURIBUS BEATAE MARIAE VIRGINIS IN HOMINES.

Prologus.

Ratio et ordo capitis 531

Art. I. — *De Beatissimae Virginis Mariae potestate sive dominio in mundo.*

1. Praenotandum 531
2. Prop. I. — Deipara Virgo merito appellatur Regina hominum et angelorum 532
3. Exponitur 532
4. Prob. propositio 533
5. Tacita obiectio solvitur 534
6. Confirmatur argumento ex S. Thoma deprompto 535
7. Prop. II. — Beatissimae Virgini, tanquam summae Dominae, famulari debent et angeli et homines, immo ipsi daemones 536
8. Prob. 536
9. Traditionis vox 537
10. Ordo Servorum Mariae 538

PAG.

11. Servitus Mariana 539
12. Scholion. — Quo pacto homines dici possint *captivi* vel *mancipia* Mariae 540
13. Prop. III. — Beatae Virgini competit ius proprietatis super omnes res creatas 542
14. Exponitur 542
15. Prob. proposito 543
16. Beatae Virginis dominium in animalia 544
17. In vires naturales corporis 546
18. Solvitur obiectio 545
19. In plantas ac corpora inanimata 546
20. Corollarium. — Non omnis immutatio circa creaturam a creatura fieri potest 546
21. Quaestio. — *Utrum Beata Virgo, cum in terris degeret, legi humanae aut mosaicae esset subiecta?* 547

Art. II. — *De cultu Beatissimae Virgini debito.*

1. Ratio et ordo articuli 547
2. Haereticorum sententiae 548
3. Prop. I. — Beata Virgo est omnino digna quae plus quam alia quaecumque creatura honoretur 549
4. Prob. I. Ex ipsa honoris ratione 549
5. II. Ex iis quae Beatissima Virgo operata est . . . 550
6. III. Ex eo quod iste honor redundat in honorem Christi, necnon in bonum Ecclesiae et totius societatis . . 550
7. IV. Ex honore qui Mariae in Sacra Scriptura tribuitur . 552
8. Prop. II. — Beatissimae Virgini α) debetur cultus β) et quidem religiosus, γ) necnon externus 554
9. Exponitur 554
10. Prob. propositionis prima pars 555
11. Scholion. — Plures sensus vocis *adorare* 555
12. Probatur secunda pars 556
13. I. Ex Patribus et Doctoribus Ecclesiae 557
14. II. Ex sacra liturgia 557
15. III. Ex historiae monumentis 559
16. IV. Ex ordinibus et sodalitatibus Marianis 560
17. Solvuntur obiectiones 561
18. Probatur tertia pars 563
19. Solvitur difficultas 565
20. Cultus latriae et cultus duliae 565

PAG.

21. Distinctio hyperduliae a dulia 567
22. Distinctio cultus absoluti et cultus respectivi . . . 568
23. Prop. III. — Deipara Virgo α) non est colenda cultu latriae, sive absoluto, sive etiam relativo; β) neque solum simplicis duliae cultu; γ) sed proprie et formaliter cultu hyperduliae 569
24. Prob. 1ª pars 569
25. Solvitur tacita difficultas 570
26. Prob. 2ª pars 572
27. Prob. 3ª pars 572
28. Auctoritates 574
29. Scholion. — Aliis Christi consanguineis non debetur cultus hyperduliae 575
30. Corollaria. — Cultus *nomini, imaginibus*, necnon *reliquiis* Beatae Virginis debitus 575
31. Conclusio 579

Appendix I. — Bibliographia marialis 581
Appendix II. — De Nomine Maria 583
Appendix III. — Litaniae peruvianae 589

Epilogus 592

Pia ad Beatam Virginem precatio 593

Index analyticus ordine alphabetico digestus 595
Index capitum et articulorum 647

TRACTATUS

DE

BEATISSIMA VIRGINE MARIA MATRE DEI

PROOEMIUM

Ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem.... et terra splendebat a maiestate eius [1].

1. — **Necessitas huius tractatus.** — Cum Dei Filius Patri coaeternus, in suis manens, in terram descendere decrevisset, ut homines vocis suae praeconio caelestia edoceret, illosque cum Patre, pretio Sanguinis sui, reconciliaret, in purissimo Virginis utero carnem sumere dignatus est; unde illa vera Dei Mater effecta est, quam proinde splendor divinae maiestatis undequaque perfudit, sicut orientalis plaga solis nascentis lumine repletur. Quocirca, inter omnia opera Dei eminet ista singularissima creatura, quae conditione suae evectionis ad Matris Dei dignitatem, fines creati transcendisse quodammodo videtur et divinitatis confinia attigisse [2], singulari gratiarum et donorum cumulo supremas angelorum hierarchias longissime antecellens; ideoque *luci comparata invenitur prior* [3].

[1] Ezech., XLIII, 2. — [2] *Ad fines divinitatis propria operatione* (Maria) *attigit, dum Deum concepit, peperit, genuit, et lacte proprio pavit.* Card. Caiet., in 2 2ae, Quaest. CIII, art. 4, ad 2m. — [3] Sap., VII, 29.

Porro, cum theologi partes sint ea quae ad Deum spectant speciali studio prosequi, sub ea formali ratione qua divinae revelationis lumine nobis manifestata traduntur, hinc apparet nullo censu ab eo praetermitti debere tractationem de Beatissima Virgine Maria, utpote quam, Deo manifestante, novimus ad tam sublimem dignitatem fuisse elevatam, ut vere et proprie esset Unigeniti Filii Dei Genitrix.

Nequit enim perfecte cognosci Filius, nisi cognoscatur et Mater, et vicissim omnis quae de Matre instituitur quaestio, ad Filium quadam ratione pertinet; praesertim, *cum in filium redundet quidquid honoris et laudis in matrem impenditur*, ut ait Pius IX in Bulla *Ineffabilis Deus* [1]. Unde S. Ambrosius, rationem reddens cur Evangelista de S. Ioanne Baptista locuturus, verba prius de eius parentibus intexuerit, dicit [2]: *Docet nos Scriptura divina, non solum mores in iis qui praedicabiles sunt, sed etiam parentes, oportere laudari; ut velut transmissa immaculatae puritatis hereditas in iis quos volumus laudare praecellat.*

Igitur, quemadmodum per Verbum incarnatum in pleniorem divinitatis cognitionem devenimus, ita et per Deiparam in ulteriorem ipsius Verbi notitiam perducimur. Hinc quotquot etiam extiterunt adversarii Filii, Matris quoque hostes sese probaverunt; nec vicissim Beata Virgo potuit unquam vel levissime impugnari, quin et divino Verbo offensio fieret; ita ut catholica fides in Virginem Deiparam possit dici cunctas haereses omni tempore interemisse.

2. — Dignitas huius tractatus. — Sed et ipsa *nobilitas* ac *dignitas* materiae argumento sunt ut specialis de Beata Virgine tractatio habeatur. Ex hoc enim quod Maria Dei Mater effecta est, ad tam sublimem statum fuit evecta, ut quo altius ascenderet non habuerit, sublimissimos quosque ordines sua elevatione transcendens et creati universum quadam ratione in se complectens: ita ut vere sit singularis illa mulier a S. Ioanne descripta, *amicta sole et luna sub pedibus eius* [3]. — *Solo Deo excepto*, ait quidam pius au-

[1] 8 Decemb., 1854. — [2] Lib. I, in Luc., n. 15, Mediol., 1877, t. III, col. 21. — [3] Apoc., XII, 1.

ctor [1], *cunctis superior* (Maria) *extitit, natura formosior est ipsis Cherubim et Seraphim, et omni exercitu angelico* : pariter S. Thomas non dubitat asserere neminem Deo tantopere appropinquasse ac Beatam Virginem, ratione divinae maternitatis : *Beata Virgo propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam* [2]. Ex quo patet, rite dici solere Beatissimam Virginem fines divinitatis quodammodo attigisse.

Quapropter, dum perfectior de Maria cognitio ex aliis theologicae disciplinae elementis postulat informari, abundantiorem quoque vice sua lucem in totam de Deo divinisque rebus speculationem ipsamet diffundit. Si igitur de creaturae corporalis origine et motu theologus sermonem instituit ; si hominis ortum facultatesque sedulius investigat ; si de angelorum natura, virtute, productione, longiori tractatu disserit, num de illa silendum erit quae est mundi Regina, humanitatis insigne decus, regiae stirpis generosa propago, ac totius caelestis exercitus inclita Domina ? — *Ego*, ait eximius Suarez [3], *post ipsius Dei ac Christi cognitionem, nullam aut utiliorem, aut viro theologo digniorem esse existimo. Neque intelligo cur de gratia angelorum, deque illorum meritis ac statu viae, ac denique de eorum gloria, caeterisque scientiae et gratiae donis et ministeriis seu officiis, tam accurate theologi disputent, de angelorum vero Regina eiusque dignitate, gratia, scientia, meritis, ac singulari felicitate, longe maiori diligentia disserendum non sit, cum haec doctrina et per se dignior ac iucundior, et ad pietatem magis sit accommodata.*

3. — Mariae partes in Ecclesia. — Demum *exigit oeconomiae christianae ratio* ut doctrinam de Beata Virgine theologus apprime calleat. Cum enim ipsa constituta divinitus fuerit nostra ad Christum mediatrix, mediatrix quidem

[1] *Orat. de laud. Sanctae Mariae Deiparae*, inter op. S. Epiphan. Migne P. Gr. t. XLIII, col. 478. — [2] 3. Quaest. XXVII, art. 5. — [3] In tertiam Partem D. Thomae, Praefatio. T. XVII. Venetiis, 1746. Ad hoc volumen pertinent omnes citationes ex Suarezio in hoc opere depromptae, nisi aliter notetur.

non perfectionis absolutae, sed ministerii et dispositionis [1], ideo pretium operae est ut qui in divinarum rerum studium sedulius incumbit, huius Mediatricis originem, dignitatem, officia cognoscat, quo facilius possit et ipse talis mediationis fructus percipere, et ad illos capiendos ceteros homines vicissim perducere.

Quae ratio speciali modo urgetur ex eo quod hunc cultum, ita divina disponente Providentia, crescere in dies cernimus, auctis admodum et Virginis Beatae sanctuariis, et familiis ipsi speciali devotione colligatis [2]; quo profecto certiores fieri debemus, Dei esse voluntatem, ut per Mariae patrocinium, speciale salutis auxilium, ad homines, labentibus temporibus, perveniat [3]; ex altera vero parte, nominis christiani hostes nil intentatum reliquerunt, quatenus dotes et privilegia Virginis Beatae, omni quo possent studio, niterentur obfuscare: quae omnia profecto evincunt debere theologum, quin dicam christianum quemque hominem, Deiparae proprietates accuratius perpendere ac rimari, quo et devotionis suae lactiora incrementa percipiat, et hostium impugnationes tutius superare valeat.

4. — Intentio operis. — Quocirca pretium operae nostrae duximus speciali quodam volumine, et quidem iuxta S. Thomae doctrinam, in cuius operibus, maxime in Summa Theologica, tutissima huius tractatus principia traduntur, ea per ordinem digesta tradere, quae ad gloriosae Deiparae proprietatum privilegiorumque cognitionem quoquo modo pertineant. Quod eo libentius praestitimus, quod strictioris ad ipsam servitutis, immo filiationis, divinae vocationis beneficio, vinculo obstringimur; rati, nostro nos muneri haud satis unquam facturos esse, nisi incomparabile hoc Ecclesiae κειμήλιον in clariorem lucem posuerimus.

[1] Cf. 3, Quaest. XXVI, art. 1. — [2] *Dieu veut que sa sainte Mère soit à présent plus connue, plus aimée, plus honorée que jamais elle n'a été.* Traité de la vraie dévotion a la sainte Vierge, par le B. Grignion de Montfort. Paris, 1891, p. 37. — [3] (Marie) *est le moyen le plus assuré, le plus aisé, le plus court et le plus parfait pour aller à Jésus-Christ.* Ibid.

At, quantumvis operis excellentia vires erigat, robur adiiciat, conterret tamen animum argumenti magnitudo, deiicit comperta nostra insufficientia. *Non est equidem*, ut verbis utar S. Bernardi [1], *quod me magis delectet, sed nec est quod terreat magis, quam de gloria Virginis Mariae habere sermonem*. Nimirum, ut ait Emmanuel Palaeologus [2], *alterum e duobus erit omnino: aut nihil dicere de Virgine, aut si dicas laudare: nulla enim ratione fieri potest ut loquaris de illa, et laus non sit quod loqueris: quandoquidem et ipsa, et quidquid spectat ad ipsam celebratissimam habent gloriam.*

5. — **Divisio huius tractatus.** — Porro, quia eorum omnium quae de Beatissima Virgine dici possunt, ultima ratio ex eius elevatione ad dignitatem Matris Dei repeti debet, ideo in *prima* parte divinam maternitatem considerabimus, tum in seipsa, tum in eis quae illam aut praecedunt aut subsequuntur; unde in *secunda* parte de ipsiusmet gloriosae Virginis in seipsa consideratae dotibus et praerogativis specialiter erit pertractandum. At, quoniam divinae Bonitati complacuit ut Dei Mater multiplici ad nos ratione referretur, ideo *tertia* quoque pars adiicienda erit, in qua Beatae Virginis officia in nos, iuraque perpendentur. — Quapropter *prima* huius operis pars erit de Beata Virgine considerata per respectum ad Deum; *secunda* de eadem, considerata per respectum ad semetipsam; *tertia* de eadem, considerata per respectum ad nos.

6. — **Invocatio.** — Haec ea sunt quae, auspice Deo, in hoc opere praestabimus; pro quo tamen magnae Dominae opem imploramus, ut nostros conatus potenti dignetur ope cumulare; unde nonnisi eius confisi suffragiis ad propositum accedimus. Aderit favens generosa Virgo, laudes nostras, licet impares, acceptura, cultoribusque suis aeternae vitae praemia largitura; ait enim [3]: *Qui elucidant me vitam aeternam habebunt.*

[1] *In Assumpt. B. M.* Serm. IV; Venetiis, 1568, t. I, f. 95. — [2] *Orat. in Virg. Dormit.*, apud PASSAGLIA. *De Immac. Deip. Conceptu.* COMMENT., Romae, 1854. T. I, p. 39. — [3] ECCLI., XXIV, 31.

DIGNARE ME LAUDARE TE, VIRGO SACRATA!

Vergine bella, che di sol vestita,
Coronata di stelle, al Sommo Sole
Piacesti sì, che 'n te sua luce ascose!
Amor mi spinge a dir di te parole.
Ma non so 'ncominciar senza tu' aita
E di Colui ch'amando in te si pose.
Invoco lei che ben sempre rispose
Chi la chiamò con fede.
Vergine, s'a mercede
Miseria estrema delle umane cose
Giammai ti volse, al mio prego t'inchina:
Soccorri alla mia guerra,
Ben ch'i' sia terra, e tu del ciel Regina [1].

[1] FRANCESCO PETRARCA in carmine cui titulus. *Pentito invoca Maria e la scongiura a voler soccorrerlo in vita ed in morte.*

PARS I.

DE B. VIRGINE CONSIDERATA PER RESPECTUM AD DEUM

PROLOGUS.

1. — **Ratio huius partis.** — Cum Deus sit per se essentialis bonitas, hinc omnis perfectio quae in mundo habetur, non est nisi quaedam participata similitudo infinitae illius perfectionis. Bonitatem autem suam Deus in mundo communicavit, non solum res in earum natura creando et conservando, sed etiam creaturas rationales supra earum conditionem ita elevando, ut ipsis communicaret, per gratiam, specialem sui cognitionem et amorem. Supra istos autem ordines naturae et gratiae, adest ordo hypostaticus, in quo Deus ipse, assumpta nostra carne, factus est verus homo et hominis filius.

Porro, cum ultima ratio supereminentis excellentiae Beatissimae Virginis ex eiusdem cum ordine hypostatico relationibus repeti debeat, ideo de divina maternitate, qua Beata Virgo reali consanguinitatis relatione ad Deum refertur, primo loco rite proponitur investigandum, ut veluti fundamentum statuatur omnium eorum privilegiorum, quae in Deipara fides catholica agnoscit.

2. — **Divisio huius partis.** — Ubi tria per ordinem ita investiganda erunt, ut in *primo* capite statuantur ea quae divinam Beatae Mariae Virginis maternitatem praecedere intelliguntur; cui, in *secundo* capite, succedet propria disquisitio de divina maternitate in semetipsa considerata; in *tertio* demum, ea resolventur quae divinam maternitatem sponte sua sequi intelliguntur.

CAPUT I.

De iis quae divinam maternitatem praecedere intelliguntur.

PROLOGUS.

Ordo capitis. — Acturo de eis quae divinam Beatae Virginis maternitatem praecedere intelliguntur, primo subit exploranda illius convenientia (art. 1), et secundo illiusmet ratio. Ratio autem divinae maternitatis alia est in mente divina, quae est praedestinatio (art. 2), alia vero in tempore, scilicet in figuris et vaticiniis Veteris Testamenti (art. 3), et in ipsa huius mysterii annuntiatione (art. 4).

Quapropter, quatuor hic quaeruntur:

Primo. De convenientia divinae maternitatis.

Secundo. De praedestinatione Beatae Virginis.

Tertio. De figuris et vaticiniis Beatae Virginis in Veteri Testamento.

Quarto. De annuntiatione Beatissimae Mariae Virginis.

ARTICULUS I. — *De convenientia divinae maternitatis.*

1. — Praenotandum. — In antecessum lectorem praemonere volumus, formaliter nos de convenientia divinae maternitatis, praetermissa quaestione de possibilitate, pertractare. Cum enim in rebus mirabiliter factis, quae scilicet potentiam creaturae superant, tota ratio facti sit potentia facientis [1], hinc quaestio an potuerit mulier parere Deum resolvitur in hanc alteram, an hoc in Dei potentia fuerit, ut mulieri tantum munus conferret, de quo certe dubitandum non est, cum apud Deum nihil sit impossibile [2].

Igitur de rationibus convenientiae mysterii maternitatis

[1] Cf. S. AUGUSTIN., Ep. II, *ad Volus.*, C. II: Paris., 1679, t. II, col. 405. — [2] LUC., I, 37.

divinae hic proprie quaerimus, non quidem a priori, tanquam temerarii scrutatores, sed a posteriori, tanquam humiles adoratores: quae quidem convenientia ex parte ipsius Virginis Beatae consideratur, non quasi in ea fuerit quaedam dispositio ut ad hanc dignitatem eveheretur, sed quia specialiter relucet divini consilii altitudo ex hoc quod Verbum ex muliere oriri voluerit.

2. — Errores circa divinam maternitatem. — *Verae maternitati*, ait S. Thomas [1], *derogatur per duos errores: quorum unus ponit Christum non veram carnem, sed phantasticam assumpsisse, et Beatam Virginem non mulierem, sed angelum fuisse, unde nec vera mater esset. Alius vero ponit Christum non carnem naturae nostrae assumpsisse, sed caelestem secum portasse, et secundum hoc Beata Virgo non vere mater eius esset, quia quamvis in ea natus est, non tamen de ea. Hi autem errores veram humanitatem Christi negant: unde a fide catholica sunt alieni.* Sed potissime huic rei adversatus est Nestorius, cum Mariam non Dei, aut Filii Dei Matrem appellandam voluerit, sed tantum hominis aut Christi. — Contra quos sit

3. — PROP. — Supposito Incarnationis decreto, conveniens fuit ut Filius Dei nasceretur de muliere.

4. — Auctoritas. — Haec veritas ita traditur [2]: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Ubi notandum est, nomine mulieris, iuxta morem linguae hebraicae, nihil virgineo decori detrahi, sed tantum femineum sexum indicari; unde, sicut Eva de substantia viri, Adae scilicet virginis, facta est [3], ita Christus de substantia

[1] In 3. Dist., IV, Quaest. II, art. 1. — [2] Gal., IV, 4. — [3] Gen., II, 23. Quod hic mulier solum ob femineum sexum dicatur, patet etiam ex hoc (Gen., III, 12): *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno et comedi*: nam, ut advertit Angelicus (Comment. in c. II Io., l. I, n. 4), constat tunc Evam adhuc fuisse virginem, cum eam Adam in paradiso non cognoverit. Ad rem quoque S. Augustinus (Tract. X in Io., n. 2. Opp., t. III, p. II, col. 368): *Dicta est autem* (Maria) *mulier secundum femineum sexum, non secundum corruptionem integritatis.*

mulieris Virginis formatus est [1]. Cum igitur Filius Dei humanam naturam potuisset aliunde assumere, hinc convenientiae rationes cur maluerit illam ex muliere assumere, proponuntur, et quidem, ut diximus, ex parte eiusdem mulieris [2].

5. — **Prob. rat. theol.** — Illud convenientissimum est, per quod α) divina attributa manifestata relucent; β) adstruitur veritas Incarnationis; γ) opportune subvenitur humanae naturae reparandae. Atqui ex eo quod Dei Filius voluit nasci de muliere, α) divina attributa manifestata relucent; γ) adstruitur veritas Incarnationis; β) opportune subvenitur humanae naturae reparandae. Ergo convenientissimum fuit ut Filius Dei, ad hoc ut fieret homo, nasceretur de muliere.

6. — **Exponitur argumentum.** — Per hoc quod Verbum de muliere nasci dignatum est, α) **attributa divina manifestata relucent,** scilicet: primo sapientia, secundo iustitia, tertio bonitas, quarto fortitudo.

7. — **I. Sapientia.** — Et primo quidem per divinam maternitatem relucet *sapientia* Dei, decernentis ut quemadmodum uterque sexus ad nostram ruinam operatus erat, ita etiam uterque ad nostram salutem efficaciter concurreret. *Hominis liberatio,* ait S. Augustinus [3], *in utroque sexu debuit apparere; ergo quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, consequens erat ut feminei sexus liberatio hinc appareret, quod ille vir de femina natus est.* Et S. Bernardus [4]: *Congruum magis ut adesset nostrae reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset.* Quod et Bossuet ita pulcherrime expressit: *Si tel est le dessein de Dieu, que tout ce qui a eu part à notre ruine doive coopérer à notre salut, puisque les deux sexes sont intervenus en la désolation de notre nature, il fallait qu'ils se trouvassent en sa délivrance;*

[1] Cf. Estius, in h. l. — [2] Cf. 3, Quaest., IV, art. 6. — [3] L. de divers. Quaest., q. XI, t. VI, col. 4. — [4] Serm. in verbis apocalypsis S. Io., *Sign. Magn.*, t. I, f. 98.

et parce que le genre humain est précipité à la damnation éternelle par un homme et par une femme, il était certainement convenable que Dieu prédestinât une nouvelle Ève, aussi bien qu'un nouvel Adam : afin de donner à la terre, au lieu de la race ancienne, qui avait été condamnée, une nouvelle postérité qui fût sanctifiée par la grâce [1].

Accedit quod per hunc modum completur omnis diversitas generationis humanae : primus enim homo ex limo terrae productus est absque viro et femina ; Eva autem formata fuit de viro sine femina ; Adae vero progenies ex viro et femina formatur ; ideoque hoc quasi proprium Christo relinquebatur, ut nasceretur de femina sine viro [2].

8. — **II. Iustitia.** — Pariter ex quo Filius Dei de muliere nasci decreverit, divina *iustitia* egregie manifestata est : hinc enim factum est ut Deus genus humanum in peccatum prolapsum in illa erigere coeperit, in qua nostra miseria originem duxerat. Ubi Deus videtur consilio pietatis suae aemulatus fuisse inimici consilium, dum omnes illae circumstantiae, quae in lapsum nostrum concurrerant, reparationi servire iubentur.

Virgini desponsatae, sicut olim, defertur non mortis sed vitae nuntium, et loco maledictionis copiosa succedit benedictio. Angelus lucis angeli tenebrarum promissa corrigit ; divinam enim aequalitatem hic ausus fuerat inferre [3] : *Eritis sicut Dii* ; ille autem Dei praesentiam Virgini annuntiat [4] ; *Dominus tecum* ; quae illius verbis obtemperans, meretur in castis visceribus suscipere salutis fructum, dum Eva serpentis antiqui illecebris annuens, mortis venena nobis propinaverat : ita ut reparationis nostrae ordo ordini damnationis nullo modo cedat, quin potius hunc ille, iustitia vincente, longe antecellat.

[1] 4me Sermon pour la fête de l'Annonciation, 1r Point. *Œuvres complètes*. T. II. Liège. 1862. p. 722. — [2] 3. Quaest., XXXI. art. 4. Haec ratio desumitur, fere ad verbum, ex S. Anselmo, L. II, *Cur Deus Homo*, c. 8. Col. Agrip., 1612, t. III, p. 56. — [3] Gen, III, 5. — [4] Luc., I. 28.

9. — III. Fortitudo quoque, vel omnipotentia Dei ex hoc specialiter relucet, quod ex infirma muliere Deus nasci decreverit. Profecto in miraculis, quorum potissimum est Incarnatio, maxime splendet divina omnipotentia; in rebus enim mirabiliter factis, ut diximus, tota ratio facti est potentia facientis [1]. Atqui, potentia manifestius apparet, cum per viliora instrumenta magna opera perficiuntur. Qualis igitur nobis de divina potentia existimatio ingeritur, cum videmus ex creatura Creatorem nasci, ex vase figulum produci, ex luna solem, illum Deum quem immensitas caelorum capere non potest, inter angustias materni uteri contineri, quin tamen administrandae rerum universitatis curam deserat? Quid mirabilius quam ut ex pura filia Adae Domini mundi Mater, et ex ancilla angelorum Regina constituatur?

Ad quae attendens Beatissima Virgo, dum salutaretur ab Elisabeth, laetabunda exclamabat [2]: *Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius:* et rursus [3]: *Fecit potentiam in brachio suo.* Quapropter, concludit S. Bernardus [4]: *Salomon requirebat, cum dicebat:* MULIEREM FORTEM QUIS INVENIET? *Noverat quippe vir sapiens huius sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem: quia tamen et Deum legerat promisisse, et ita videbat congruere, ut qui vicerat per feminam, vinceretur per ipsam, vehementer admirans aiebat* [5]: MULIEREM FORTEM QUIS INVENIET?

10. — IV. Demum bonitas Dei, cuius proprium est seipsum creaturis communicare, in hoc pulcherrime manifestatur, quod ad divinae maternitatis sublimitatem in immaculata Virgine mulieris sexum evexerit, qui quidem primus in peccatum ruerat, amissa divina gratia. Profecto, nulla est, citra unionem hypostaticam, Deum inter et creaturam, coniunctio maior coniunctione quae est inter Creatorem et illam mulierem quae Deo, ut homo fieret, carnis suae materiam subministravit. In quo et mulieres argumentum sumere possunt, sibi de sua conditione minime desperandum, quam in

[1] Supra, n. 1, p. 8. — [2] Luc., I, 49. — [3] Ibid. 51. — [4] Homil. II. Super *Missus est*, t. I, f. 9. — [5] Prov., XXXI, 10.

Deipara tantopere elevatam cernunt. *Nolite vos ipsos contemnere, viri*, ait S. Augustinus [1]. *Filius Dei virum suscepit; nolite vos ipsas contemnere, feminae: Filius Dei natus ex femina est.*

11. — β) **Adstruitur veritas Incarnationis.** — Profecto, absolute loquendo, Verbum Dei potuisset humanam naturam aliunde quam ex muliere suscipere: per hoc autem quod de muliere illam sumere voluerit, veritas Incarnationis adstruitur: concipi enim, nasci, et veram habere matrem, non est nisi eius qui humanam naturam habet. *Multa in* (Christo), ait S. Ambrosius [2], *et secundum naturam invenies et ultra naturam: secundum conditionem etenim corporis in utero fuit...: sed supra conditionem virgo concepit, virgo generavit; ut crederes quia Deus erat qui innovabat naturam, et homo erat qui secundum naturam nascebatur ex homine.* Et S. Augustinus [3]: *Quid, si Omnipotens hominem ubicumque formatum non ex materno utero crearet, sed repentinum inferret adspectibus?... Nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum suscepisse ullo modo crederetur, et dum omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit? Nunc vero ita inter Deum et homines mediator apparuit, ut in unitate personae copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret.* Quocirca, dum legimus Dominum Iesum Matri suae subditum [4], non erit cur dubitemus illum esse verum hominem, et ita vere Patri subiectum, quem ipse agnoscit secundum humanam naturam ex Matre desumptam seipso maiorem [5].

12. — γ) **Opportune subvenitur humanae naturae.** — Per hoc quod Filius Dei voluit humanam naturam ex mulieris utero suscipere, efficacissime *providit operi regenerationis humanae.* Qui enim per Verbum incarnatum Patrem habe-

[1] L. *De Agone Christiano*, c. 11, t. VI, col. 251. — [2] *De Incarn.* c. 6, t. IV, col. 889, n. 54. — [3] Ep. CXXXVII *ad Volusian.*, c. III, n. 9, t. II, col. 405. — [4] Luc., II, 51. — [5] Io., XIV, 28; cf. S. Thom., in h. l.

mus in caelis, per ipsum etiam, ex muliere natum, Matrem habemus in terris, ita ut per hanc ex illo omnia bona percipere mereamur.

Revera, cum Christus, homo factus, sit Filius Dei naturalis, per gratiam quam nobis promeruit, filiationem adoptivam nobis concessit ad similitudinem filiationis suae naturalis, ut essemus *Dei haeredes* et suiipsius *cohaeredes* [1], et vi huius gratiae adoptionis Deum alloqui possemus appellatione quam Salvator ipse nos docuit [2]: *Pater noster*. Sed cum ex muliere Christus nasci voluerit, sicut Filius eius naturalis exstitit, ita et nos ad huius filiationis consortium assumere dignatus est, ita ut Beatam Virginem, eius secundum naturam humanam Genitricem, agnoscere et nos possimus tanquam nostram Matrem secundum gratiam.

In filiationem Dei, ait S. Anselmus [3], *per benedictum Filium benedictae Matris Mariae transimus, eumdemque Filium eius nobis fratrem ipso auctore arcessimus .. Quod igitur tantum patrem et tantum fratrem sortiti sumus, utique Beatae Mariae adscribere debemus, cuius integerrima et benedicta fecunditate in tantam dignitatem surreximus.* Unde, quemadmodum Christus, cum esset Unigenitus Patris, factus est primogenitus inter multos fratres, ita cum esset Unigenitus Matris, factus est etiam primogenitus inter homines, a Beatissima Virgine, Christi ipsius in cruce pendentis decreto, habitos tanquam filios; quod quidem non fuisset, nisi Mariae fecunda virginitas sua eum substantia genuisset.

13. — Confirmatur. — Iuxta S. Thomae doctrinam [4], ita Verbum incarnatum est propter nostram redemptionem, ut hominis reparatio motivum adaequatum Incarnationis extiterit. Nulla enim pura creatura poterat Deo perfectam satisfactionem pro peccato exhibere, cum peccatum quamdam infinitatem induat, ex divina maiestate offensa; omnis

[1] Rom., VIII, 17. — [2] Matth., VI, 9. — [3] L. de Excell. B. M. V., c. IX, ed. cit., t. III, p. 220. Hic liber citari solet sub nomine S. Anselmi, licet revera sit Eadmeri, monachi Cantuariensis, olim S. Anselmi discipuli et comitis. — [4] 3, Quaest., I, art. 2 et 3.

autem purae creaturae satisfactio, ut sic, finita est. Unde S. Augustinus dicit quod homo purus satisfacere non poterat pro toto genere humano; Deus autem satisfacere non debebat: unde oportebat Deum et hominem esse Iesum Christum, qui digne omnino, et ad totum rigorem iustitiae, pro nobis satisfecit [1], cuius satisfactionis virtuti nostra satisfactio innititur, sicut imperfectum perfecto, — sive illa satisfactio quam Deo exhibemus in gratia constituti et quae *de condigno* vocatur, sive illa quam exhibemus extra statum gratiae, et quae dicitur *de congruo*.

Porro, effectibus producendis Deus adaptavit non modo causas primas et universales, sed etiam causas secundas, sicut videmus quod terra non producit herbam ex solis actione tantum, sed etiam ex semine et convenienti humido et calido. Quapropter, supposito Incarnationis decreto propter salutem humanam, conveniens fuit ut quaedam specialis creatura praedestinaretur, quae, sub Christo, salutis nostrae causa existeret; non quidem adaequate et rigorose satisfaciendo pro peccatis nostris, hoc enim solius Dei-Hominis est, sed congruam Deo satisfactionem exhibendo, quae quidem satisfactio ex Christi satisfactione virtutem obtineret. Quod praestitit Beata Virgo, non solum cum Incarnationi peragendae consensum suum, tamquam conditionem *sine qua non*, dedit, sed etiam applicando Christi meritum, et impetrando a Deo ut huiusmodi meritum effectum suum in nobis sortiretur.

Unde S. Ephrem ita Deiparam salutat [2]: *Ave, Dei et hominum mediatrix optima; ave, universi terrarum orbis reconciliatrix efficacissima*; et pius quidam auctor, commentans verba Esther [3], ait [4]: *Esther regina, id est Virgo Beata, placuit in oculis regis ad restaurationem generis humani, invenitque gratiam coram eo, non solum pro se, sed pro toto humano genere.*

[1] L. XIII, *De Trin.*, c. 13, n. 17, t. VIII, col. 938. — [2] Sermo de Laudibus B. Mariae Virg., t. III, p. 207, Romae, 1598. — [3] Esther, VII, 3. — [4] Expositio in VII Epist. canonic. Praefatio, inter opp. dubia S. Thomae Aquinatis, Parmae, 1868, T. XXIII.

14. — Difficultates. — I. Illud non est conveniens quod facit Deum subiectum novae relationis. Atqui divina maternitas facit Deum subiectum novae relationis. Ergo divina maternitas non est conveniens.

Resp. *Dist. mai.*, relationis realis, *conc.*; rationis, *nego. Dist. min.*, rationis, *conc.*; realis, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Cum subiectum filiationis non sit natura vel pars naturae, sed proprie hypostasis vel persona, ideo nequit esse in Christo alia realis relatio filiationis, praeter filiationem aeternam, qua realiter refertur ad Patrem : unde, sicut omnis relatio quae ex tempore de Deo dicitur, non ponit in ipso aliquid secundum rem, sed tantum secundum considerationem rationis, sic, filiatio qua Christus refertur ad Matrem, non est in eo realis relatio, sed secundum rationem tantum; ideoque divina maternitas non inducit in Deo ullam mutationem, sicut nec rerum creatio Deum mutabilem facit [1].

II. *Instabis.* Si divina maternitas non inducit in Christo realem relationem filiationis, ergo Christus non est vere filius Beatae Virginis, quod est contra fidem catholicam.

Resp. *Nego conseq. et conseq.* — Nam, sicut Deus est realiter Dominus, propter realem subiectionem creaturarum ad ipsum et realem potentiam qua continet creaturas, ita Christus realiter est Virginis filius, propter realem relationem maternitatis ad ipsum et realem naturam quam accepit a Matre [2].

15. — Corollarium. — Ex hoc sequitur non debere dici, cum Henrico Gandavensi [3], Christum referri ad Matrem relatione reali increata, nec cum Suarez [4] et Scoto [5], eumdem ad Matrem referri mediante relatione filiationis realis creata, ita ut sint duae in Christo filiationes: altera increata ad Patrem, altera creata ad Matrem. — Prior enim illa relatio realis increata, quid per se subsistens est et convenit Christo non qua homo est, sed qua Deus est, genitus in aeternitate

[1] 3, Quaest. XXXV, art. 5. Cfr. 1, Quaest.. XIII, art. 7. — [2] 3, Quaest., XXXV, art. 5. Cf. Quodlib. I, art. 2, c. — [3] Quodlib. IV, q. 3. — [4] Disp. XII, sect. 2. — [5] 3, Dist. VIII, quaest. unica.

a Patre; haec autem relatio realis creata, cum sit accidens suppositum immediate afficiens, exurgit enim ex actione et passione quae sunt singularium subsistentium, induceret in Christo duplex suppositum, quod esset renovativum haeresis Nestorii; subiectum enim filiationis, ut diximus, non est natura aut pars naturae, sed solum persona vel hypostasis. Quocirca, cum divina maternitas non ponat in Deo novam realem relationem, consequenter nec aliquam mutationem in ipso inducit, ideoque non est inconveniens [1].

Articulus II. — *De Praedestinatione Beatissimae Virginis Mariae.*

1. — Ratio articuli. — *Quis mortalium*, ait S. Bernardinus Senensis [2], *nisi divino fretus oraculo, de vera Dei et hominis Genitrice quidquam moliretur, sive grande, praesumat interconcisis immo pollutis labiis nominare, quam Pater ante saecula Deus perpetuam praedestinavit in Virginem dignissimam, Filius elegit in Matrem, Spiritus Sanctus omnis gratiae domicilium praeparavit?*

Igitur, statuto quod conveniens fuerit, supposito Incarnationis decreto, Filium Dei carnem sumere ex muliere, modo quaeratur oportet de singulari illa muliere, quam Deus inter omnes feminas eligens ad tantum munus praedestinavit; ut sciatur quanam ratione et quonam ordine effectus illius praedestinationis se habeant inter se.

2. — Advertendum. — Hic autem, aequivocationis praecavendae gratia, praemittendum est, haud reprobandam esse, pro expositione eorum quae ad Beatissimam Virginem Mariam spectant, accommodationem, usu Ecclesiae firmatam, locorum quae in primaeva sui significatione de increata Sapientia recitantur. Unde pluries, hic et aliis locis, ad huiusmodi fontem recurremus, ad propositiones tum confirmandas,

[1] Cf. Tr. nostrum de Incarnat. Verbi, t. II, pp. 168, 169. — [2] Serm. IX De Visit., Lugdun., 1650, t. IV, p. 110.

tum etiam conficiendas. Quod rite fieri posse ita declarat Pius IX [1]: *Ipsissima verba quibus divinae Scripturae de increata Sapientia loquuntur, eiusque sempiternas origines repraesentant, consuerit* (Ecclesia), *tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta liturgia adhibere, et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum divinae Sapientiae Incarnatione fuerunt praestituta* [2].

3. — **Quid sit praedestinatio.** — Praedestinatio, quae est providentiae pars, et nihil in praedestinato ponit praeter effectum eiusdem, est quaedam praeordinatio Dei ab aeterno de iis quae per gratiam fienda sunt in tempore, et definiri solet: *Ratio transmissionis, in mente Dei, creaturae rationalis in finem vitae aeternae*; a S. Augustino autem describitur [3]: *Praescientia... et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.*

Praedestinatio igitur proprie respicit vitam aeternam habendam per gratiam et merita; ideoque ista omnia complectitur praedestinatio ad gloriam, unde non est admittenda duplex praedestinatio: una ad gloriam, et altera ad gratiam, quasi duobus actibus terminative. Sed quia, praeter beatitudinem aeternam, quae consistit in *operatione* circa divinitatem immediate, invenitur etiam summa quaedam perfectio quae consistit in *essendo* immediate circa divinitatem, sive in eo quod aliquis homo sit Deus hypostatice, sive in eo quod aliqua creatura sit ad Deum per relationem maternitatis accedens, ideo, sicut in tractatu de Incarnatione agitur de Christi praedestinatione ad esse Filium Dei naturalem [4], ita nunc agi debet de praedestinatione Beatae Mariae Virginis ad esse Matrem Dei, cui considerationi subnectetur alia consideratio de Mariae praedestinatione ad gloriam et gratiam. — Praedestinatio autem duo supponit, scilicet dilectionem et electionem: dilectionem, in quantum Deus

[1] Bulla *Ineffabilis Deus*, 8 Dec. 1854. — [2] Sedulo recolendum est, sensum accommodatum esse ipsum sensum litteralem, non primarium, sed secundarium, seu, ut aliqui dicunt, integralem. Vide Tr. De Deo Uno, Quaest. I, art. 10. — [3] L. V. *De Dono Persev.*, c. 14, n. 35, t. X, col. 839. — [4] 3. Quaest. XXIV.

vult alicui creaturae hoc bonum salutis aeternae; electionem vero, in quantum hoc bonum aliquibus prae aliis vult [1].

4. — PROP. I. — Ita praedestinatio Beatae Virginis in Matrem Dei pendet a praevisione peccati Adae, ut si homo non peccasset, Maria non fuisset praedestinata esse Mater Dei.

5. — Auctoritas. — S. Pontifex Pius IX, in Bulla *Ineffabilis*, solemniter declaravit [2] Deum Filio suo Matrem elegisse, *cum ab omni aeternitate praeviderit luctuosissimam totius humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam, atque in mysterio a saeculis abscondito primum suae bonitatis opus decreverit per Verbi Incarnationem sacramento occultiore complere, ut contra misericors suum propositum homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam non periret, et quod in primo Adamo casurum erat, in secundo felicius erigeretur.*

6. — Rat. theol. — Ratio huius est quia, homine non peccante, Incarnationis opus locum non habuisset, utpote quod ad reparationem generis humani exclusive ordinatum exhibetur in divinis Scripturis [3]. Deficiente autem Incarnatione, deficit et ipsa divina maternitas, quam proinde, una cum Verbi incarnatione, ex motivo peccati, maxime originalis, decretam fuisse agnoscimus, ita ut *felix* illa *culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem*, meruerit etiam habere talem ac tantam Coredemptricem.

Exhinc sequitur Beatam Virginem fuisse praedestinatam ut esset Mater Dei, non quocumque modo, sed ut esset formaliter Mater Dei Redemptoris; ideoque, quemadmodum formalis ratio Incarnationis fuit ut esset redemptiva humani generis, ita etiam formalis ratio divinae maternitatis deducitur per ordinem ad Christum Redemptorem. Quapropter, Beata Virgo Maria fuit praedestinata ut esset Mater Dei Redemptoris, vel, ut ait B. Albertus Magnus [4], ut esset *adiutrix*

[1] Cf. tr. de Pertinentibus ad div. operat., Quaest., XXIII, art. 1, 4. — [2] In init. — [3] Vide tr. de Incarnat. Verbi, Quaest. I, art. 3, pp. 26. seqq. — [4] Sup. *Missus*, seu Mariale vel *Summa de Laudibus Christiferae V. Mariae*, Quaest. XXV.

redemptionis, scilicet per suam maternam compassionem, ut fusius infra explicabitur [1].

7. — PROP. II. — **Maria Virgo fuit praedestinata ut esset Mater Dei, omnino gratuita Dei voluntate, ante praevisa cuiuscumque merita.**

8. — **Auctoritas.** — Sic legitur in laudata Bulla *Ineffabilis* [2]: *Ab initio et ante saecula Unigenito filio suo* (Deus) *Matrem ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit, tantoque prae creaturis universis est prosequutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit... Et quidem decebat omnino ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret... tam venerabilis Mater, cui Deus Pater unicum Filium suum quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem elegit, et de qua Spiritus Sanctus voluit et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille de quo ipse procedit.* — Celebria quoque sunt hac de re S. Augustini verba qui, Virginem alloquens, haec habet [3]: *Quid es, quae postea paritura es? Unde meruisti? Unde hoc accepisti? Unde fiet in te qui fecit te? Unde, inquam, tibi hoc tantum bonum? Virgo es, sancta es, votum vovisti; sed multum quod meruisti, immo vero multum quod accepisti. Nam unde hoc meruisti?... Angelus respondeat. Dic mihi, Angele, unde Mariae hoc? Iam dixi, cum salutavi:* AVE GRATIA PLENA [4].

9. — **Prob. rat. theol.** — **I.** In primis **nulla merita propria Beatae Virginis** praecesserunt eius praedestinationem ad Matris Dei dignitatem. Revera, dignitas Matris Dei est superior omni ordine naturae et gratiae: improportionaliter enim utrumque sua elevatione transcendit. Atqui ef-

[1] P. III, c. I, art. 3. — [2] In init. — [3] Serm. CCXCI de Sanct., V in Nat. S. Io. Bapt. Opp., t. V, col. 1168. — [4] Luc., I, 28.

fectus nequit esse sua causa superior. Ergo nullo suo merito, vel naturae vel gratiae, Beata Virgo potuit mereri dignitatem divinae maternitatis.

Attamen, quia in ordine executionis finis est ultimus ad quem operando pervenitur, ita per media adductus, ut ultimum medium habeat relate ad finem rationem causae efficientis, hinc sub hoc respectu potest dici Beata Virgo meruisse executionem Incarnationis iam a Deo decretae, et quidem per sua opera bona hanc de facto in ordine executionis promeruisse. — Quod quidem non ita intelligendum est quasi Beata Virgo Incarnationis executionem absolute meruerit, sed ex hypothesi: scilicet, cum Deus decrevisset Verbum non assumpturum esse carnem, nisi futura eius Matre per gratiae plenitudinem iam sufficienter disposita, ex quo Maria, gratiae correspondendo, illum gradum attigit, Deum ipsa movit ad Incarnationem ab aeterno decretam effectu complendam. — Haec autem Deiparae praeparatio, secundum quod consideratur ut ex merito comparata, ad causam materialem, secundum vero quod consideratur ut bonum appetibile relate ad Deum, ad causam finalem, demum secundum quod bonum istud est in apprehensione appetentis, ad causam efficientem reducitur.

10. — **Confirmatur.** — I. Christus ipse nullis suis meritis praecedentibus fuit praedestinatus esse Filius Dei, sed hoc ipsi omnino gratuito collatum est: ergo et Beatae Virgini esse Matrem Dei. — Equidem Christus nullo modo pro semetipso hypostaticam unionem mereri poterat, cum nunquam fuerit homo, quin esset Filius Dei: Beata Virgo autem aliquando non fuit Mater Dei; attamen omne eius meritum, ante Verbi conceptionem, fuit dignitatis maternitate divina inferioris.

II. Incarnatîo causa meritoria extitit et principium omnis gratiae quam habuit Beata Virgo, proindeque radix omnis meriti eius: ergo nullum potuit opus edere quod esset meritorium, etiam de congruo, aut Incarnationis, aut divinae maternitatis, quae cum Incarnatione stricto foedere coniungitur. Ideo quod dicitur: *Per quam meruimus auctorem vitae*

suscipere [1], sensum habet: Per quam nobis hoc contigit, ut Christum Deum hominem susciperemus.

11. — **II. Sed nec opera alterius cuiuscumque hominis** potuerunt esse meritoria divinae maternitatis ex condigno. Quod probatur duplici illa ratione qua S. Thomas [2] evincere nititur nullius hominis opera potuisse esse meritoria unionis hypostaticae ex condigno: utrumque enim illae rationes ostendunt.

Primo, opera meritoria hominis proprie ordinantur ad beatitudinem quae est virtutis praemium, et consistit in plena Dei fruitione: divina autem maternitas transcendit unionem beatae mentis ad Deum: haec enim in operatione fruendi consistit, divina autem maternitas in esse relationis realis maternitatis ad Filium Dei; ideoque sub merito cadere non potest. — *Secundo*, principium merendi non cadit sub merito; ergo nec gratia quae est merendi principium, et multo minus Incarnatio quae est gratiae principium; ideoque nec divina maternitas quae est Incarnationis principium in fieri.

12. — **III. Nec ex praevisis ipsius Cristi meritis**, Maria Virgo fuit praedestinata ut esset Mater Dei. Revera, cum Incarnatio fuerit a Deo decreta sub ea ratione qua Filius Dei carnem sumeret ex muliere, nec tantum ex quacumque muliere, sed ex illa quam Deus inter omnes elegerat, sequitur omnia Christi merita esse ordine intentionis natura posteriora electione et praedestinatione Beatae Virginis ad divinam maternitatem, et consequenter non potuisse esse causam meritoriam illiusmet.

Nec obstat quod, ut infra ostendetur [3], Beata Virgo praedestinata est immaculata ex praevisis Christi meritis: nam quod Beata Virgo praedestinata fuerit sine peccato nascitura, ad ordinem executionis, utique qualis in mente Dei ab aeterno existit, pertinet: divina autem maternitas, nude ac-

[1] Orat. *Deus qui salutis aeternae*. — [2] 3, Quaest. II, art. 11. — [3] P. II, c. 1, art. 1, n. 8.

cepta, prout illam hic respicimus, ad ordinem intentionis spectat, quatenus hoc medio Incarnationis mysterium complendum foret.

Quae cum ita sint, iam concludendum est praedestinationis Beatae Virginis in Matrem Dei nullam omnino aliam causam esse adsignandam, nisi divinae voluntatis beneplacitum.

13. — Scholion. — Porro si sit sermo de merito *de congruo*, tunc non solum Beata Virgo, sed etiam sancti Patres dici possunt meruisse divinae maternitatis, sicut et ipsius Incarnationis, aliquas circumstantias.

I. Et quidem de Beata Virgine dicitur in Liturgia Ecclesiae quod *meruit portare Dominum omnium*; et S. Hieronymus scribit [1]: *Propone tibi Beatam Mariam, quae tantae extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur.* Similiter S. Gregorius ait [2]: *Annon mons sublimis Maria quae, ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium deitatis erexit? Huius enim montis praecellentissimam dignitatem Isaias vaticinans ait: Erit in novissimis praeparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae supra omnes sanctos refulsit.* — Hóc autem, secundum Angelicum [3], sibi vult non quod Beata Virgo absolute meruerit Verbum incarnari, et ita Mater eius fieri, sed quod *meruit ex gratia sibi data illum puritatis et sanctitatis gradum, ut congrue posset esse Mater Dei*, seu ut fieret *digna* Mater Dei. Et in hoc sensu intelligenda sunt verba sancti Augustini superius relata, necnon sequentia Alighierii verba [4]:

Tu se' colei che l'umana natura
Nobilitasti sì, che 'l suo Fattore
Non disdegnò di farsi sua fattura.

[1] Ep. XXII ad Eustoch., n. 38. Venet., 1766, t. I, col. 122. — [2] In l. 1 Reg., c. I, Venet., 1571, t. II, p. 866. — [3] Tr. de Incarnat. Verbi, Quaest., II, art. 11, ad 3^m, p. 154. — [4] *Parad.*, Cant. XXXIII, vers. 4. seqq.

II. Pariter, sancti Patres ex congruo meruerunt Incarnationem et consequenter divinam maternitatem, illam desiderando et fervidis orationibus petendo: congruum enim est ut Deus exaudiat eos qui sibi obediunt; et sic ex congruo divinam quoque maternitatem illi mereri potuerunt. Non tamen mereri potuerunt ex congruo substantiam Incarnationis, cum Incarnatio sit principium omnis meriti, sive ex condigno, sive ex congruo; sed tantummodo meruerunt ex congruo aliquas eius circumstantias, puta tempus et locum, et caetera huiusmodi; quod etiam de divina maternitate dicendum est.

Nunc autem, ut de praedestinatione Deiparae ad gloriam agamus, dicendum est

14. — PROP. III. — Beata Virgo non fuit praedestinata ad habendam gloriam aeternam α) post praevisa merita, β) nec tamen sine meritis.

Propositio ista, quantum ad utramque partem, resultat ex S. Scripturae loquendi modo, necnon ex universali S. Thomae doctrina de praedestinatione, et sic ostenditur.

15. — Prob. 1ª Pars. — Non aliter exhibetur nobis in S. Scriptura conceptus vitae aeternae, nisi sub ratione *sortis, electionis, propositi, beneplaciti voluntatis Dei, gratiae*, id est *gratuiti doni*, cuius alia ratio non est nisi voluntas Dei, iuxta illud [1]: *Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Unde S. Augustinus ait [2]: *Quare illum trahat et illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare.* Et rursus [3]: *Unus assumitur et alter relinquitur, quia magna est gratia Dei et verax iustitia Dei.*

16. — Ratio theol. — Idem non potest esse simul effectus praedestinationis et ratio eiusdem. Atqui bona opera praevisa effectus praedestinationis sunt: nam non est di-

[1] Tit., III, 5. — [2] Tract. XXVI in Io., n. 2, t. III, par. II, col. 494. — [3] L. I *Op. Imperf.*, n. 39, t. X, col. 888.

stinguendum in bonis operibus inter id quod est ex causa prima seu ex gratia, et id quod est ex libero arbitrio, est enim idem ex utroque, cum divina providentia producat effectus per operationes causarum secundarum [1].

Exinde, sicut penes populum hebraicum data est lex, et hoc quidem propter promissiones, promissiones autem propter Christum ex eo nasciturum; quare autem ex hoc populo voluerit Deus ut nasceretur Christus, nulla est ratio nisi voluntas Dei [2]; ita electos suos sola voluntatis suae ratione Deus praedestinat. Et qui domum supernam aedificaturum se ex lapidibus vivis constituit, sicut determinatum numerum mansionum facere decrevit, et determinatum numerum electorum in illis locandorum, ita altissimam inter cacteras gloriae mansiones exstruxit, in qua collocaturus erat Beatissimam Virginem Mariam.

17. — **Prob. 2ª Pars.** — Non tamen Beata Virgo fuit praedestinata ad habendum hunc gloriae gradum in ordine executionis praedestinationis, sine propriis meritis: quandoquidem gloria in ipsa, sicut et in nobis, rationem habet coronae, praemii, nuptiarum, etc., quae omnia supponunt merita: unde, licet in primo signo rationis Beata Virgo fuerit praedestinata ad gloriam, quia finis est ratio mediorum, simul tamen fuit praedestinata ad gloriam hanc per propria merita comparandam.

18. — PROP. IV. — **Ordine et gradu Maria praedestinata est ante omnem puram creaturam.**

Haec propositio sibi vult quod Maria, in praefinitionibus divinis, et prior ordine extiterit, et ad maiorem simpliciter gratiam et gloriam, prae alia quacumque creatura, fuerit praedestinata; ita ut vicinior Deo sit quam etiam supremus inter Seraphim.

19. **Auctoritas.** — Pius IX in Bulla *Ineffabilis* ait [3]: *Omnipropter illum longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque*

[1] Cf. 1. Quaest. XXIII, art. 5. Cf. quae scripsimus in illum locum in tr. *de Pertinentibus ad divinam operationem*. — [2] 1 2ae, Quaest. XCVIII, art. 4. — [3] In init.

sanctos, caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita (Deus) *mirifice cumulavit, ut ipsa prorsus ab omni peccati labe semper libera, ac tota pulcra et perfecta, eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest.* Quae omnia profecto ad Mariae praedestinationem originarie referri debent.

Huc faciunt pulcherrima S. Antonini verba [1]: (Maria) *dignitate quoque est mater, quia primogenita est ante omnem creaturam; nobilior enim est et perfectior gratia et gloria omni pura creatura. Quod autem est primum in unoquoque genere est quasi causa aliorum.*

20. — Ratio theologica. -- Cum Maria, ex eo quod est Mater Dei, quodammodo causa sit praedestinationis aliorum, ita quoque ordine praedestinatorum, citra Christum, prima existit : unde Ecclesia illi accommodat verba [2]: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum,* etc. Quibus verbis sat aperte monstratur, Mariam, in aeterna Dei praefinitione, iam praevisse ut Matrem Verbi, et ut talem ad summum gloriae gradum evectam, non quod Filium Dei in aeternitate genuerit physico influxu, aut gloriam tunc adepta fuerit, dum nondum esset, sed quia in primis divinorum decretorum praefinitionibus, menti Dei iam obversabatur, tanquam omnium praedestinatorum post Christum prima. Quocirca opportune subdit S. Antoninus [3]: *Ipsa enim ante saecula praedestinata est, ut esset principium ex quo recreandum fuit omne creatum, et sic dicitur de ea:* DOMINUS POSSEDIT ME IN INITIO VIARUM SUARUM, *id est, principio operum suorum, ut sim prima omnium suarum creaturarum, quae purae creaturae sunt* [4].

[1] 4 P. Tit. XV, cap. 14, § III. Opusc. De B. V. Maria, p. 518. Matriti. 1648. -- [2] Prov., VIII, 22, seq. — [3] Loc. cit. — [4] (Marie), scribit J. B. Terrien in opere cui titulus: LA MÈRE DE DIEU ET LA MÈRE DES HOMMES (l. II, c. I. n. 1), *est en tête du livre éternel... tout d'abord par son alliance plus étroite avec le Rédempteur du monde et, par la prééminence qu'elle obtient après lui dans les conseils de Dieu. Elle y est par ce que, si le Christ peut se passer en*

21. — Confirmatur. — I. Causa efficiens, exemplaris et finalis praedestinationis nostrae est Christus, secundum auctoritatem Concilii Tridentini [1]. Illa igitur creatura rationalis est inter praedestinatos prima, et ordine et gradu, quae ad Christum propius accedit. Atqui haec est Beatissima Virgo Maria quae, utpote Christi Mater, ad ipsum ita appropinquavit, ut nulla creatura ei propinquior fuerit. *Nec mirum*, ait S. Ambrosius [2], *si Dominus redempturus mundum operationem suam inchoavit a Maria : ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.*

Unde ad Beatam Virginem referri potest illud [3]: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam :* quod licet de divinae et increatae Sapientiae aeterna generatione a Patre ante creata tempora primo et per se dicatur, tamen, praeeunte Ecclesia, potest ad illam accommodari, quae praedestinata fuit ut esset inter puras creaturas prima et ordine et gradu : quo quidem nulla iniuria irrogatur Christo qui, secundum quod homo, fuit praedestinatus esse Filius Dei.

II. Idipsum confirmari potest modo loquendi Patrum Ecclesiae graecae, qui Deiparam *solam electam* saepius appellant. Quod sibi non vult alios Sanctos non fuisse electos ; sed hoc Scripturae more dicitur, quae rem tamquam uni personae propriam exhibent, quam illa eminenter possidet [4], unde eorum mens est Beatae Virginis electionem ita cum electione Verbi stricto foedere coniungi, ut omnium prima sit dilecta, electa et praedestinata.

Hac igitur de causa, sicut dici potest praedestinationem Mariae esse quodammodo sub Christo causam efficien-

quelque sorte de chaque élu pris à part, il lui faut sa mère. Elle y est, en conséquence, par les dons que réclame une dignité si haute. Et c'est ce qu'exprime heureusement le mot **préélection**, *employé par l'Église.*

[1] Sess. VI, cap. 7. — [2] Exposit. secund. Luc. l. II. ad illa verba : *Ecce ancilla Domini*, n. 17, t. III, col. 41. — [3] Eccli., XXIV. 5. — [4] Cfr. Matth., XXIII. 10 ; Luc., XVIII. 19, etc.

tem praedestinationis nostrae, ita etiam eiusdem typus existit, finisque propter quem omnia Deus creavit. *Amore intemeratae Virginis*, ait Rabbi Onkelos [1], *creavit Deus caelum et terram. Non solum amore Virginis conditus est mundus, sed etiam sustentatur.* Et S. Bernardus [2]: *Propter hanc, omnis Scriptura facta est: propter hanc totus mundus factus est, et haec gratia Dei plena est, et per hanc homo redemptus est; Verbum Dei caro factum est, Deus humilis et homo sublimis.*

22. — De sanctissimo Nomine Mariae. — Cum Beata Virgo ab aeterno ante omnem creaturam praedestinata fuerit, ideo nomen quoque habere debuit speciale ab aeterno praefinitum, quod suae dignitatis esset expressivum: nomina enim sunt signa intellectuum, et intellectus sunt rerum similitudines, ut ait Aristoteles [3]. Revera, *habent hoc merita Sanctorum*, scribit S. Ambrosius [4], *ut a Deo nomen accipiant. Sic Iacob Israël dicitur, quia Deum vidit: sic Dominus Noster Iesus nominatus est antequam natus, cui non angelus, sed Pater nomen imposuit.* Et S. Gregorius Nyssenus ait [5], *non solum in creaturis Dei magnificentiam apparere, sed etiam in nominibus Dei sapientiam demonstrari, qui proprie et ad naturam accommodate singulis rebus... appellationes aptavit.* Quapropter, ad Beatam Virginem applicari possunt verba Isaiae [6]: *Dominus ab utero vocavit me; de ventre matris meae recordatus est nominis mei.*

Quantum vero ad huius nominis impositionem, quae iuxta hebraeorum morem quindecim dies post Virginis nativitatem facta est, necesse non est recurrere ad specialem revelationem parentibus Deiparae per angelos exterius factam, ut quidam arbitrati sunt, maxime cum de hoc Scriptura sileat; sed satis est ut dicatur illos interno Spiritus Sancti instinctu motos fuisse, ad hoc nomen prae ceteris seligendum.

[1] Apud Cornel. a Lapide, in Prov., VIII, 22. Rabbi Onkelos scripsit chaldaeum Targum, seu paraphrasim in Pantateuchum. — [2] Serm. III, in *Salve Regina*. Opp., t. 2, p. 690. — [3] L. Perih., c. I. — [4] Expos. secund. Luc., L. II, n. 31, t. III, col. 46. — [5] L. XII, contra Eunomium. Migne, P. G. t. XLV, col. 1046. — [6] XLIX, 1.

23. — Huius Nominis significatio. Porro, cum nomina, maxime ea quae divinitus praetinita sunt, ab aliqua eorum, ad quos pertinent, proprietate imponantur, ideo huius divini Nominis significatio pressius investiganda est.

Imprimis advertendum est, nominativum et vocativum casum esse semper Μαριάμ, quod identicum est cum nomine sororis Moysis [1]. At, de propria huius nominis significatione non una est apud auctores sententia.

S. Ambrosius [2] vult Mariae nomen significare *Deum ex genere meo*, tanquam compositum ex radice מרה quod est, *concepit*, et ex nomine Dei יה: quae tamen etymologia minus probanda est.

Potior est illa quam S. Hieronymus adstruit [3], et S. ipse Ambrosius pro nomine sororis Moysis indicat [4], secundum quod Mariae nomen, a radicibus מר, *amaritudo*, et ים, *mare*, significat *mare amarum*, quod proinde ingentium Virginis dolorum esset indicativum, iuxta illud [5]: *Ne vocetis me Noemi, id est pulcram, sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.*

Alii iterum, cum S. Ioanne Damasceno [6] et pio quodam auctore [7], volunt Mariae nomen *Dominam* significare, ex

[1] Cfr. Matth., XIII, 55; Luc., I, 27, 30, 34, 38, etc. Excipi debet, qua de causa non videtur, Luc., II, 19. Aliae Mariae in Evangelio semper vocantur graece *Maria*, non *Mariam*. — [2] L. *de Inst. Virg.*, c. 5, t. IV, col. 324, n. 33. — [3] L. *de Nom. hebr.*, et Lexic. graec. nom. hebr. t. III, p. 92. — [4] Loc. cit. — [5] Ruth, I, 20. — [6] L. IV *Orthod. Fidei*, c. XIV. Edit. Mich. Lequien, Venetiis, 1748, t. I, p. 275. — [7] *De Laud. Virg.* Hom. V. Migne, t. XLIII, col. 489. Homilia ista, quae extat inter opera dubia S. Epiphanii, conscripta est a viro docto et sancto, ut constat mira auctoris in Deiparam pietate. Ad rem nostram praestat referre verba quibus nomen Virginis Mariae diversimode interpretatur: *Mariam interpretari solemus* Dominam *atque etiam* Spem, *peperit enim Dominum qui est spes totius mundi, nempe Christum. Rursum nomen illud Maria interpretatur* Myrrha Maris. *Myrrham vero aliquis dicet (quod ego etiam aio) de immortalitate, eo quod paritura esset gemmam immortalem in mari, hoc est in mundo. Mare autem dicit universum mundum, cui Virgo serenitatem et tranquillitatem contulit, dum por-*

chaldaeo מָרָא, cui affine est quod S. Paulus habet [1]: *Maranatha* quod est: *Dominus venit.* Cui radici si altera יָם, *mare.* addatur, tota significatio erit: *Domina maris.* scilicet *huius mundi.* qui propter continuas vicissitudines concito saxosoque mari simillimus existit. Consentit in hanc interpretationem, illam tamen ex syriaco deducens, etiam Ven. Beda [2].

Rursus, alii cum S. Bernardo, Mariae nomen *stellam maris* significare volunt, forsitan etymologia desumpta ex hoc: מָאוֹר יָם, *lux maris.* Huic interpretationi favet S. Amedeus Lausanensis Episcopus. *Maria,* ait [3], *id est maris stella. provido Dei consilio vocata est* (Beata Virgo), *ut nomine declararet quod te ipso clarius manifestat.* S. Beda quoque hanc expositionem, praeter superius recensitam, suscipit [4]; et S. Thomas ait [5]: (Maria) *sola maledictionem sustulit et benedictionem portavit, et ianuam paradisi aperuit. et ideo convenit ei nomen Maria, quod interpretatur stella maris.* Et alibi [6]: *Maria, proprium nomen interpretatur maris stella vel illuminatrix et suo sermone domina; unde in Apocalypsi describitur luna sub pedibus eius* [7]. Huc accedit Ecclesiae precatio. Beatissimam Virginem invocantis: *Ave, Maris stella.*

Demum, recentioribus linguae hebraicae peritis magis arridet ut Mariae nomen derivatum dicatur ex מָרַד, quod est *rebellavit.* ita ut rebellionem significet; quod intelligi forsan potest per respectum ad diaboli potestatem, quam Beatissima Virgo, divina edita prole, debellavit et contrivit [8].

tum peperit Christum. Rursum itaque praeclarae puellae Mariae beatum nomen interpretatur ILLUSTRATA, *utpote quae illustrata sit a Filio Dei, et cunctos credentes usque ad terminos terrae Trinitati illuminavit.*

[1] 1 COR., XVI, 22. — [2] In Cap. I, LUC., c. 3. Coloniae Agrippinae, 1612. — [3] Hom. VIII. *de Mariae Virginis plenitudine;* Migne, P. L., t. CLXXXVIII, col. 1344. — [4] Loc. cit. — [5] *Comment. in Salut. angel.* — [6] Expos in Matth., c. I. — [7] Apoc., XII, 1. — [8] Circa huiusmodi argumentum consuli potest. inter alios, AL. SCHAEFER. *Die Gottesmutter in der Heiligen Schrift.* p. 135, seqq. Die Bedeutung des Namens Maria. Münster. 1887.

24. — Efficacia Nominis Maria. – Quoniam Mariae nomen divinitus institutum est ad significandam sublimissimam eius dignitatem, ideo retinendum est specialem efficaciam illius invocationi a Deo fuisse adnexam. Nam, sicut Dominus noster iis qui in se crediturі erant, promisit quod *in Nomine* (eius) *daemonia eicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent* [1], etc., ita credendus est similem virtutem sanctissimo Matris suae Nomini adnexuisse, quemadmodum etiam miracula crebra testantur. Quod non hoc sensu dicitur, quasi credatur solis litteris, aut mero sono huius Nominis arcanam insidere virtutem; sed quod illud Nomen pie invocantibus, tanquam divinae virtutis instrumentum, miros effectus valeat producere, quemadmodum aeneus serpens, a Moyse in deserto exaltatus, contuentes Hebraeos a serpentium morsibus cito sanabat.

Unde Idiota ait [2]: *Tantae virtutis et excellentiae est tuum sanctissimum nomen, beatissima Virgo Maria, quod ad invocationem ipsius caelum ridet, terra laetatur, angeli congaudent, daemones contremiscunt et infernus turbatur. Tanta est virtus tui sanctissimi nominis, benedicta Virgo Maria, quod mirabiliter emollit et penetrat duritiam cordis humani.* Rite igitur nomen Mariae ut sacramentale quoddam habetur, quia prolatum vel scriptum, quasi ex opere operato, miros effectus producit.

Nimirum, sicut sacramentalia quodammodo instrumentaliter operantur ad effectus supernaturales producendos [3], ita etiam sanctissima Nomina Iesu et Mariae, a fidelibus pie invocata, vim habent ad excitandos pios motus in anima: unde in eorum honorem specialia festa sunt ab Ecclesia instituta. Quinimmo, ut habet S. Anselmus [4], *velocior est nonnumquam salus, memorato Nomine* (Mariae), *quam in-*

[1] Marc., XVI, 17, 18. — [2] *Contempl.* I *de Virgine Maria*, Pars IV, t. unic. Paris., 1654, p. 256. Auctor est Raymundus, Iordanus, Can. Reg. S. Augustini, qui sub nomine *Idiotae*, vel *docti Idiotae*, citari solet, et floruit secunda medietate saeculi quarti decimi. — [3] Vide quae scripsimus in tr. *de Gratia*, Quaest. CXII, art. 1, necnon in tr. *de Sacramentis in genere*, Appendix *de Sacramentalibus*. — [4] *L. de Excell. B. Virg. M.*, c. 6.

vocato Nomine Domini Iesu unici Filii sui: non quod Maria sit Christo potentior, sed quia invocatum tenerissimae Matris nomen amantem Filium ad misericordiam suavi necessitudine flectit.

Quocirca monendi sunt fideles ut magni facientes sanctissimum Mariae nomen, illud saepissime cum devotione invocent; ipsi enim competit id quod de sanctissimo Iesu nomine scribit S. Ambrosius [1]: (Christi) *Nomen tibi munificum*, (Christi) *nomen tibi est fructuosum*, (Christi) *nomen tibi tributa dependit, et bona tributa, non pecuniae, sed gratiae.* Quod ut ad praxim traducatur, satagendum est ut pium exercitium ubique gentium obtineat, quo fideles devote se invicem salutent, hac iaculatoria: ℣. *Laudentur Iesus et Maria.* — ℟. *Hodie et semper* [2].

Articulus III. — *De figuris et vaticiniis Beatae Mariae Virginis in Veteri Testamento.*

1. — Ratio articuli. — Cum ostensum fuerit quod Deus Beatam Virginem, absque ullis eius praecedentibus meritis, in Filii sui Matrem, eamdemque in beatitudinem singulari modo consequendam praedestinaverit, succedit ut dubium modo solvatur, qua convenientiae ratione factum fuerit ut in Veteri Testamento specialiter praenuntiaretur et praefiguraretur Mater Christi. Ubi, uti patet, non de ipso facto vaticiniorum ad Beatam Virginem spectantium, de qua re satis inter catholicos constat, quaerendum nobis est, sed

[1] In Psalm. CXVIII. Sermo VIII, n. 7, t. II, col. 541. — [2] Vide *Raccolta*, ecc., n 338, p. 591, Romae, 1898. — Quod de etymologia nominis Mariae heic edisseruimus, utique coniectando magis quam definiendo, ad illud spectat, non secundum quod inveniebatur olim in usu penes romanos, sed prout proprie pertinet ad linguam hebraicam in qua *Miryam* dicitur, aut ad linguas syriacam et aramaicam, in quibus *Maryam* audit. Nec improbabiliter huic nomini aegyptiaca origo tribuetur, cum illius vestigia, ante Moysis sororem, in Scriptura penitus desiderentur.

de ratione quare debuerit Beata Virgo in Veteri Testamento praefigurari et annuntiari.

2. — PROP. — Conveniens fuit ut Beata Virgo variis figuris et prophetiis praenuntiaretur.

3. — Patrum traditio. — Imprimis, haec convenientia evincitur ex Patrum testimoniis, quibus unam aliamve sive prophetiam, sive figuram, ad Deiparam spectantem, illustrarunt. Paucos, speciminis gratia, producemus.

S. Germanus Virginem ita salutat [1]: *Ave, columba, quae... nobis et fructum fers olivae, et Serratorem a spiritali diluvio ac portum salutis annuntias.* Et rursus [2]: *Ave, amoenissimus et rationalis Dei paradisus, benevolentissima et omnipotenti eiusdem dextera hodie ad orientem plantatus, et ipsi suavcolens lilium, et rosam immarcescibilem germinans.* Iterumque [3]: *Ave Dei mons praepinguis et umbrosus, in quo enutritus Agnus rationalis peccata atque infirmitates nostras portavit; mons e quo devolutus ille, nulla manu praecisus lapis contrivit aras idolorum.* Pariter [4]: *Ave, urna ex puro auro conflata et suavissimam animarum nostrarum dulcedinem, Christum scilicet qui manna est, continens.*

Non minus eloquenter S. Tarasius [5]: *Tu Noe arca, et secundae regenerationis apud Deum conciliatio... Tu Aaronis virga florescens: tu es Davidis filia, fimbriis aureis circumvestita, vario ornatu nitescens.*

Nec tacendus pius quidam auctor, qui sub nomine Angelici Doctoris, haec scribit [6]: *Legimus quod nativitas beatae Virginis multis figuris in Veteri Testamento est praemonstrata, et inter alias figuras tribus figuris est specialiter designata: scilicet in ascensu aurorae, in ortu stellae, et in egressione virgae de radice... Aurora finis est noctis praecedentis et initium diei sequentis. Similiter in ortu beatae Mariae Virginis nox culpae est terminata, et dies gratiae est inchoatus:*

[1] In *Praesent. Deiparae;* Migne, P. G., t. XCVIII, col. 306 et seq. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] De *Praesent. Deiparae:* Migne, P. G., t. XCVIII, col. 1491. — [6] Sermo V in Nativ. B. M. V., ad calcem Vol. III, Opusc. dub. Parmae, 1869.

unde Sedulius: Dedit vitiis finem et moribus disciplinam... Comparatur autem eius ortus stellae, quantum ad virginitatis integritatem; quia sicut stella radium emittit sine sui corruptione et sine luminis diminutione et amissione, sic Beata Virgo Filium suum genuit sine violenta carnis apertione, et sine virginitatis amissione... Virga erecta est versus caelum: in quo signatur contemplatio Beatae Virginis, quae superavit ista terrena et habuit cor elevatum ad superna. Unde Bernardus: O Virgo sublimis! In quo sublimis? Mentem erigis usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum maiestatis. Sic ergo triplici figura praefigurabatur nobis nativitas beatae Mariae Virginis. Fuit autem sicut aurora in nativitate, sicut stella oriens in Filii Dei productione: virga egrediens in honesta conversatione.

4. — Prob. rat. theol. — I. Ex ipsa Matris Dei dignitate. — Revera, cum res magna atque insolita eventura est, necesse est ut mentes hominum paulatim praeparentur et disponantur, ad hoc ut illam suscipere valeant, ne repentino illius fulgore in incredulitatem terreantur. Atqui talis est Matris Dei dignitas, ut longe antecellat quodcumque in creatis rebus magnum et mirabile fingi utcumque potest. Ergo necesse fuit ut longo prophetarum praeconio, statim ab ipso mundi exordio, ventura praenuntiaretur Dei Mater, sicut etiam multis praedictionibus debuit annuntiari ipsa Verbi Incarnatio, cuius divina maternitas erat, in praesenti oeconomia, conditio sine qua compleri non posset.

Hinc videmus, immediate post hominis lapsum, praenuntiatum fuisse Adae singularem quamdam venturam esse mulierem, cuius semen foret aliquando serpentis mortiferi caput contriturum. Qua de causa ait S. Bernardus [1]: *Quid ergo siderum micat in generatione Mariae? Plane quod ex regibus orta, quod ex semine Abrahae, quod generosa ex stirpe David. Si id parum videtur, adde quod generationi illi ob singulare privilegium sanctitatis divinitus noscitur esse concessum, quod longe ante eisdem Patribus caelitus repromissa.*

[1] Serm. in Cap. XII Apoc., t. I. f. 99.

quod mysticis praefigurata miraculis, quod oraculis praenuntiata propheticis. Hanc enim sacerdotalis virga, dum sine radice floruit, hanc Gedeonis vellus, dum in medio siccae areae maduit, hanc in Ezechielis visione orientalis porta quae nulli unquam patuit, praesignabat, hanc prae caeteris Isaias nunc virgam de radice Iesse orituram promittebat, nunc evidentius Virginem parituram.

5. — II. **Ex fine adstruendae veritatis Incarnationis dominicae.** — Revera, talis futurus erat Messiae ortus, ut supra, imo et contra, naturae leges ex intacta Virgine nasciturus foret, naturae solito cursu praetermisso. Quocirca, ne homines in errorem inducerentur, credentes phantasma esse quem sola Virgo concepisset, et ut etiam Virgo ipsa fidei suae in Filium ex se procreandum haberet documenta, necessarium fuit ut magna et miranda divinorum signorum indicia praecurrerent.

6. — III. **Ex fine Veteris Testamenti,** cuius fuit Novi Foederis excellentiam praemonstrare, prout testatur Apostolus dicens [1]: *Haec... omnia in figura contingebant illis;* et rursus [2]: *Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Quocirca, si apostolorum, Christi legatorum, officia; si martyrum, Christi testium, passiones; si confessorum, Christi praeconum, constantia; si denique Ecclesiae, sponsae Christi, futura excellentia fuerunt praenuntianda, quidni supereminens dignitas Reginae apostolorum, martyrum et confessorum, quae est Ecclesiae praecipuum decus ac ipsius Verbi incarnati benedicta Mater, praedici debuit?

7. — **Potiora vaticinia Deiparam respicientia.** — Porro, ex multis vaticiniis quae Deiparam respiciunt, potiora profecto ea sunt, quibus eius immaculata Conceptio, virgineus partus, necnon officium coredemptricis designantur: ad quae vaticinia proinde Patres libentius et frequentius recurrunt.

Sic S. Bernardus, in verbis protoevangelii [3], ita agno-

[1] 1 Cor. X. 11. — [2] Col., II. 17. — [3] Gen., III. 15.

scit Beatissimam Virginem figuratam [1]: *Quam tibi aliam praedixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait:* INIMICITIAS PONAM INTER TE ET MULIEREM? *Et si adhuc dubitas an de Maria dixerit, audi quod sequitur:* IPSA CONTERET CAPUT TUUM. *Cui haec servata victoria est nisi Mariae?* Idem Pater [2] agnoscit Beatam Virginem in illa etiam muliere a Salomone celebrata [3]: *Quam vero aliam Salomon requirebat, cum dicebat:* MULIEREM FORTEM QUIS INVENIET?

Auctor quoque Sermonis de Assumptione Beatae Mariae Virginis [4], in percelebri Hieremiae vaticinio: *Creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum* [5], singulare miraculum virginei partus ultro agnoscit. *Circumdedit enim virum in utero sicut Hieremias sanctus testatur, et non aliunde accepit.* FACIET, *inquit,* DOMINUS NOVUM SUPER TERRAM, ET MULIER CIRCUMDABIT VIRUM. *Vere novum et omnium novitatum supereminens novitas virtutum, quando Deus, quem ferre non potest mundus, neque videre aliquis, ut vivere possit, sic ingressus est hospitium ventris, ut corporis claustrum nesciret: sicque gestatus, ut totus Deus in eo esset: et sic exivit inde, sicut Ezechiel fatetur, porta omnino clausa.*

Nec tacendus S. Tarasius, patriarcha Constantinopolitanus, qui plura prophetarum vaticinia de Beata Virgine egregie commentatur. *Tu es Prophetarum speculum,* ait ille Virginem alloquens [6], *et rerum ab ipsis praenuntiatarum exitus. Te enixim Ezechiel* [7] *vaticinans appellavit portam clausam, per quam nemo hominum unquam transibit, nisi Dominus Deus solus, et portam clausam conservabit. Te Isaias ille* [8] *in primis grandiloquus praenuntiat virgam Iesse, ex qua flos Christus orietur, et fructibus vitiorum extirpatis radicitus, plantas divinae cognitionis in agro inseret. Te Hieremias praemonstravit, inquiens* [9]: ECCE DIES VENIENT, *dicit Dominus,* ET FERIAM DOMUI ISRAEL ET DOMUI IUDAE FOEDUS NOVUM QUOD CONSTITUI CUM PATRIBUS EORUM; *ita significans ad-*

[1] Homil. II super *Missus est*, t. I, fol. 9. — [2] Ibid. — [3] PROV., XXXI, 10. — [4] Inter Opp. S. AUGUST., t. V., app., col. 343, seq. et Serm. de Annunc., ibid., col. 323. — [5] XXXI, 22. — [6] *De Praesent. Deip.*; Migne, P. G., t. XCVIII, col. 1491-1494. — [7] XLIV, 2. — [8] XI, 1. — [9] XXXIII, 31.

rentium ortumque Filii tui, et populum gentium vocans ad Deum adorandum, inde usque a finibus terrae. Te etiam Daniel [1] *vir desideriorum, proclamavit montem ingentem, e quo Christus lapis angularis abscindetur, et simulacrum multiformis serpentis ruina atque exitio dissipabit* [2].

Quae ita cum sint, iam opportunum erit specilegium promere tum personarum, tum rerum Beatam Virginem in Veteri Testamento praesignantium.

8. — Personae in Veteri Testamento Beatam Virginem praesignantes. — Ex multis personis quae, tanquam typi Deiparae introduci possent, sequentes tantum, brevitatis gratia, recensebimus, quippe quae, propter unam alteramve egregiam virtutem, tuto haberi possunt tanquam specialiter ab aeterno ordinatae ad futuram Deiparam praesignandam.

Sic ergo a Patribus quandoque typus Mariae celebratur Eva [3], propterea quod hominum mater est effecta; Sara [4], propter mirabilem illius conceptionem; Debora [5], Iahel [6] aut Iudith [7], propter eius in hostes insignes triumphos; Esther [8], propter pulchritudinem; Abigaïl [9], propter prudentiam; Rachel [10], propter Ioseph huius filium, typum Christi; Rebecca [11], propter benedictionem Isaac, quam pro filio suo Iacob comparavit [12]; Respha [13], propterea quod filiis suis a Gabaonitis crucifixis constantissime adstitit; mater Machabaeorum, propter fortitudinem [14].

9. — Res quae in Veteri Testamento figurae fuerunt Beatae Virginis. — Res autem in quibus figurata invenitur Beatissima Virgo in Veteri Testamento innume-

[1] II, 34. — [2] Legi potest de hac re S. Ioannes Damascenus (Homil. I in dormit. B. M. V. c. 9) qui ita exorditur: ποῦ δὲ ϑήσομαι τῶν προφητῶν τὰ κηρύγματα; οὐκ ἐπί σε, εἴπερ ἀληϑῆ δεικνῦναι ταῦτα ἐϑελήσαιμεν. t. II, p. 864. — [3] Gen., III. 20. — [4] Gen., XVII. 15. — [5] Iud., IV, 4. — [6] Ibid., IV. 17. — [7] Iudith. XIII. 6. — [8] Esth., XIV, 1. — [9] 1 Reg., XXV. 3. — [10] Gen., XXIX. 18. — [11] Ibid., XXII, 23. — [12] Argumentum hoc egregie omnino prosequitur B. Grignion de Montfort, in suo aureo tr. De la vraie Dévotion à la Ste Vierge. 2me P., III. — [13] 2 Reg., XXI. 10. — [14] 2 Mach., VII.

rae prope sunt. — Ut pauca referam, apud Patres Maria praenuntiata invenitur in paradiso voluptatis a Deo plantato [1]; in costa Adae ex qua formata est Eva [2]: in arca Noe, quae genus humanum salvavit [3]; in scala quam vidit Iacob usque ad caelum ascendentem [4]; in columba nuntia pacis [5]; in civitate Ierusalem [6]; in Bethlehemica cisterna quam, ut refocillaretur, David desideravit [7]; in rupe deserti ex qua Moyses aquam elicuit [8]; in porta orientali iugiter clausa [9]; in horto concluso et fonte signato [10]; in rubo quem incombustum vidit Moyses [11]; in lectulo Salomonis [12]; in vase aureo manna continente [13]; in virga aaronica [14]; in thuribulo aureo [15]; in nube quae noctem illuminabat [16]; et in illa quae tabernaculum testimonii operiebat [17]; in candelabro aureo [18]; in monte de quo abscissus est lapis sine manibus [19]; in horologio Achaz, in quo umbra retrorsum decem gradibus reversa est [20], etc. [21]. Iucunda valde res est figuras istas, ad penitius cognoscendam Beatissimam Matrem nostram singillatim evolvere: quod tamen sub luce traditionis, ne error incurratur, fieri omnino debet.

Iuvat hic verba referre quibus Summus Pontifex Pius X argumentum istud perstringit: *In Scripturis Sanctis quotiescumque de futura in nobis gratia prophetatur, toties fere Servator hominum cum sanctissima eius Matre coniungitur. Emittetur agnus dominator terrae, sed de petra deserti: flos ascendet, attamen de radice Iesse. Mariam utique, serpentis caput conterentem prospiciebat Adam, obortasque maledicto lacrymas tenuit. Eam cogitarit Noe, arca sospita inclusus: Abraham nati nece prohibitus; Iacob scalam videns perque illam ascen-*

[1] Gen., II, 8. — [2] Ibid., 21 — [3] Ibid., VI, 15. — [4] Ibid., XXVIII, 12. — [5] Ibid., VIII, 11. — [6] 3 Reg., XI, 13. — [7] 2 Reg., XXIII, 15. — [8] Num., XX, 11. — [9] Ezech., XLIV, 2. — [10] Cant., IV, 12. — [11] Exod., III, 2. — [12] Cant., I, 15. — [13] Exod., XVI, 33. — [14] Ibid., VII, 12. — [15] 2 Par., XXVI, 19. — [16] Exod., XIII, 21, 22. — [17] Ibid., XL, 32. — [18] Ibid., XXV, 31. — [19] Dan., II, 34. — [20] 4 Reg., XX, 11. — [21] Videsis Patrum paraphrases in istas Beatae Mariae Virginis figuras apud Thom. Livius, M. A., *The Blessed Virgin in the Fathers of the first six centuries*. London, Burns and Oates, 1893, *passim*. Vide etiam I. B. Terrien, S. I. *La Mère de Dieu et la Mère des hommes*, l. II, c. 1, n. 1.

dentes et descendentes angelos ; Moses miratus rubum qui ardebat et non comburebatur ; David exsiliens et psallens dum adduceret arcam Dei ; Elias nubeculam intuitus ascendentem de mari. Quid multa ? Finem legis, imaginum atque oraculorum veritatem in Maria denique post Christum reperimus [1].

10. — Liber Cantici Canticorum. — Addi autem potest, totum librum Cantici Canticorum, nuptiale scilicet illud carmen, castos animorum complexus exprimens et affectuum iucundissimam caritatem, Beatissimae Virgini a veneranda Patrum traditione, sub Ecclesiae magisterio accommodatum fuisse. Huius rei testis est auctor Sermonis de *Assumptione Beatae Mariae Virginis* [2], qui illud exponens [3] : *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus*, ait [4] : *Vere hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera et odoramenta virtutum : sicque conclusus, ut nesciat violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus. Fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitae manat, in cuius lumine omnes videbimus lumen.* Et iterum [5] : *De ipsa Salomon in Canticis, quasi in laudem eius : Veni, inquit [6], columba mea, immaculata mea. Iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit. Ac deinde inquit [7] : Veni de Libano, veni, coronaberis.* In eamdem rem consentit Dionysius Cartusianus qui Canticum Canticorum exponens ait : *Communiter fertur quod triplex sit sponsa Christi, videlicet, tota universalis Ecclesia militans, quae vocatur sponsa Domini Nostri Iesu Christi generalis : et quaelibet anima fidelis et amorosa, quae dicitur sponsa Christi particularis ; itemque beatissima Virgo Maria Christifera, quae Christi sponsa singularis censetur* [8].

[1] Encycl. *Ad diem illum*, 2 Febr. 1904. — [2] *Ad Paulam et Eustochium*. Inter Opp supposititia S Hieronymi T XI., P. II, col. 9, col. 138 — [3] Cant, IV, 12. — [4] Cap. 9 — [5] Paulo superius. — [6] Cant., II, 10, 11. — [7] Ibid., IV., 8. — [8] In Prooemio Cantic. Cantic. Monstrolii, 1898, t. VI, p. 291. *Le Cantique des Cantiques*, egregie scribit I. B. Terrien, *est une allégorie dont le sens littéral et premier se rapporte au saint commerce du Christ et de l'Eglise. Mais parce que les fidèles, et particulièrement les âmes des justes appartiennent à l'Eglise, il s'ensuit nécessairement qu'au sens* « secondaire

11. — **Quomodo Beata Virgo ex Scripturis penitius possit cognosci.** — Ad clariorem huius dubii intelligentiam, primo loco distingui debent prophetiae a figuris, in hoc quod in prophetiis sensus litteralis, in figuris autem sensus mysticus invenitur; nam in illis, res a vocibus, in his autem, res ab aliis rebus significatae exhibentur, et propterea ex vaticiniis, non autem ex figuris argumenta sumere licet [1]. Ubi etiam advertendum est, id quod diximus, figuras ad sensum mysticum pertinere, accipi proprie, id est ut sensus mysticus differt a sensu figurativo, qui alius revera non est, nisi sensus litteralis metaphoricus.

Ut igitur quaesito respondeatur, primo loco consideranda veniunt illa Veteris Testamenti loca, quae sive canonica Novi Testamenti Scriptura, sive solemnis aliqua Ecclesiae definitio de Beata Virgine sit interpretata, in quibus sane iam de fide constat Beatam Virginem a Spiritu Sancto in illis vaticiniis aut figuris praesignatam fuisse. Huius generis est, verbi gratia, celebris Isaiae prophetia [2]: *Ecce Virgo concipiet et pariet Filium*, quam S. Matthaeus expresse ad partum Mariae applicat [3]. Similiter dicendum est de illo Geneseos loco [4]: *Inimicitias ponam*, etc., quo Pius IX, post Patres Ecclesiaeque scriptores, ad dogma de Immaculato Virginis conceptu constabiliendum utitur.

Secundo, consideranda veniunt loca illa quae, deficiente vel expressa S. Scripturae sanctione, vel ecclesiastica definitione, a Patribus intellecta sunt et explicata de Beata Virgine. Tales sunt plures figurae quas praedictus Pius IX in citata Bulla, ex Patrum traditione, eidem Deiparae applicat; in quo quidem catholice retineri potest huiusmodi

---

et conséquent » *comme disent plusieurs savants interprètes et théologiens, au* « sens intégrant » *comme d'autres parlent, et peut-être avec plus d'exactitude, ils sont aussi compris dans la lettre du chant inspiré. Donc, au même sens, la bienheureuse Vierge a sa grande part dans le* Cantique, *une part proportionelle à la sainteté qui la place au premier rang parmi les membres vivants de l'Eglise du Christ.* La Mère de Dieu et la Mère des hommes, P. I, T. I, p. 183 note 3, Paris. — [1] Cf. Tr. nostrum *de Deo uno*, P. I, Quaest. I, art. 9. — [2] VII, 14. — [3] I, 22, 23. — [4] III, 15.

figuras, quae in sensu quidem litterali determinatas personas vel determinatas res significant, in sensu mystico ad praesignandam Beatam Virginem intentas fuisse a Spiritu Sancto, qui auctor fuit ut Veteris Testamenti mysteria a sanctis Patribus explicarentur. Qua in re excelluisse videntur, prae latinis, Patres graeci, qui disertissimo stylo et fecundo eloquio Sanctae Deiparae laudes sub hisce figuris texere decertarunt.

Idipsum profecto dicendum est de illis locis quae Ecclesiae liturgia Deiparae accommodat; absonum quippe foret dicere, a Spiritu Sancto minime fuisse intentas illas Sacrarum Scripturarum interpretationes, quae in ore omnium suorum ministrorum, dum isti in divinum servitium incumbunt, Ecclesia ponit.

12. — Quomodo Spiritus Sanctus fideles ad cognitionem Deiparae perducat. — At, quid dicendum est, ubi non solum explicita Scripturarum aut Ecclesiae auctoritas deficiat, sed etiam Patrum sanctio desit, aut saltem non innotescat? Num prohibebitur tunc mens fidelis a perscrutandis Sacrorum Librorum paginis, et eruendo exinde mystico sensu, ad penitiorem privilegiorum Deiparae cognitionem hauriendam? Minime gentium; sed unusquisque fidelium, secundum donum gratiae sibi collatum, poterit in quibusdam personis et rebus Veteris Testamenti ea quae ad Deiparam pertinent mystice deprehendere, dummodo tamen id fiat cohaerenter ad fidei catholicae analogiam; nec inficiandum est hunc etiam sensum a Spiritu Sancto aliquo modo dici posse inspiratum.

Sane, quemadmodum in sensu litterali S. Scripturae inveniuntur et sensus primarius, quem scilicet Spiritus Sanctus principaliter intendit, et sensus secundarius, seu accommodatus, quem etiam Spiritus Sanctus intendit, licet secundario, seu melius, quem nos facit intendere [1]; ita, in sensu mystico, distinguendae sunt illae allegoriae aut prophetiae quas Spiritus Sanctus authentice declaravit sive per se, sive per magisterium Ecclesiae, ab iis quas ipsemet fidelibus inspirat per donum intellectus.

[1] Cf. tr. nostrum *de Deo uno*. Quaest I, art. 10. nn. 8, 9, 10

13. — Donum intellectus. — Re quidem vera ad fidem spectat, tamquam huius virtutis sequela, *donum intellectus*, cuius proprium est praebere intelligentiam sive penetrationem eorum quae per lumen naturale cognoscere non valemus. Ea quippe est huius doni, quod omnibus gratiam habentibus impertitur, operatio, ut aliquorum quidem, quae ad fidem ordinantur, intelligentiam praebeat: eorum autem quae directe sub fidem cadunt, perfectam intelligentiam non praebet, ostendit tamen ea quae exterius apparent veritati revelatae haud contrariari, et inculcat, propter exterius apparentia, non esse recedendum ab his quae fidei sunt [1].

Atqui, sicut ad hoc ut quis quae fidei sunt per respectum ad Christum intelligat, imprimis necessarium est ut ex his quae de ipso cognoscit, revertatur ad prophetias et figuras Veteris Testamenti, ut aliqua ad ipsum pertinentia penetret, alia autem quae penetrare nequit, deprehendat ita esse certa, ut videat ab eis non esse recedendum propter ea quae exterius apparent; ita ad hoc ut de Beatissima Virgine, quae est arca Novi Testamenti, quis recte sentiat, oportet ut plura de ea per promissiones, prophetias et figuras accipiat, quibus non solum appareat menti fidelium haud esse recedendum a fide eorum quae circa ipsam traduntur, propter quaedam exterius apparentia, sed etiam aliqua ad eamdem spectantia intime penetrentur in quibusdam personis et rebus Veteris Testamenti, quatenus melius et plenius a fidelibus cognosci valeat.

Quod ad hoc potissime ordinetur donum intellectus fidelibus a Spiritu Sancto infusum, ex ipsa Apostolorum post Pentecosten agendi ratione apparet. Qui enim, antequam Christus in caelum conscenderet, *nondum sciebant Scripturas* [2], postquam acceperunt Spiritum Sanctum, e coenaculo egressi, easdem Scripturas iudaeis interpretati sunt, ostendentes quomodo Verbum, humani generis Redemptor, in promissis sit nominatum, in figuris praesignatum, in prophetiis annuntiatum, et ab omnibus eventibus praeparatum; quod nonnisi per donum intellectus Apostolis infusum peractum

[1] 2 2ae, Quaest. VIII, art. 2 — [2] Io., XX, 9.

est, iuxa illud quod Christus ipse pollicitus erat [1]: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Quod certe de Deipara Virgine proportionaliter dicendum est. Nam qui fidem habet sine caritate, plura quidem circa ipsam credenda percipere potest; qui autem cum caritate donum intellectus possidet, iam in Scripturis plura penetrare potest quae aliis obscura manent: cuiusmodi sunt quae in figuris et prophetiis consignata reperiuntur. Quinimmo, in perfectiorem adhuc de Deipara cognitionem perduci potest, qui illustratus dono intellectus, ad fidei catholicae analogiam attendens, plura etiam quae in Novo Testamento sunt posita mystice interpretetur, qualia sunt, verbi gratia, quae in Apocalypsi traduntur de muliere quae, cernente dracone, filium peperit, quamque draco persecutus est, et cui alae duae aquilae magnae datae sunt, ut volaret in desertum in locum suum [2].

14. — Scholion. — Igitur, quia dictante Spiritu Sancto, Beatam Virginem Veteris Testamenti paginae figuratam eo sensu exhibent, quo decebat omnino ut quae ad Matris Dei dignitatem evehebatur, singulari modo praenuntiaretur, ideo non modo sacro concionatori fas erit recurrere ad illa documenta, ad fidelium pietatem in tantam Virginem accendendam, sed etiam theologo ius dabitur, ut vestigia ecclesiasticae traditionis premens, huiusmodi signis et figuris utatur ad doctrinam de Beata Virgine catholico sensu exponendam, illustrandam, defendendam. Eo enim consilio a divina sapientia has figuras provisas fuisse ducimus, ut facilius possent abyssi magnitudinis gloriosissimae Deiparae explorari et ita ut Matris penitior cognitio ad Filii uberiorem scientiam capessendam duceret.

[1] Ibid., XVI, 13. — [2] Cap. XII. Cf. Thom. Livius, C. SS. R., *Mary in the Epistles.* London, 1891, passim.

Articulus IV. — *De annuntiatione Beatae Mariae Virginis.*

1. — Ratio articuli. — Adveniente tempore a Deo praestituto, quo Incarnationis mysterium complendum erat, et figurae ac prophetiae finem accepturae, voluit Deus ut divinae maternitati praeluderet annuntiatio Virgini ab Angelo facta, cuius convenientiae rationes, tum quoad factum ipsum, tum quoad modum facti, hic investigandae obiiciuntur.

Ubi primum advertisse iuvabit, solum de convenientia, non autem de absoluta necessitate hic agi; quandoquidem poterat Deus mysterium istud in Beata Virgine, ipsa nesciente, aut etiam dissentiente, perficere. Nec ponimus mysterium Incarnationis antecedenter et absolute pendere a Virginis consensu, sed tantummodo consequenter, scilicet secundum divinae Providentiae dispositionem.

2. — PROP. — Congruum fuit Beatae Virgini annuntiari ipsam fore Christum concepturam.

Apud S. Lucam legimus annuntiationis historiam [1]. Nimirum, cum Virgo, iam ab angelo salutata plena gratia, turbata esset in sermone, et qualis esset ista salutatio cogitaret, Angelus ei dixit [2]: *Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen eius Iesum*: ubi notandum est Angelum quasi verbatim replicare Isaiae prophetiam [3]. Porro, huius annuntiationis convenientiae ratio quadruplex adsignari potest [4].

3. — Convenientiae rationes. — I. Ex parte Beatae Virginis. α) *Congruus ordo coniunctionis Filii Dei ad Beatam Virginem* exigebat ut prius illa Verbum conciperet mente, dum de futuro partu instrueretur, quam illud conciperet carne: quem in locum faciunt verba S. Augustini [5]: *Beatior ergo est Maria percipiendo fidem Christi, quam conci-*

[1] Cap. I. — [2] Vers. 30, 31. — [3] VII, 14. — [4] Cf. 3. Quaest. XXX. — [5] L. *De sancta Virginit.*, c. 3, t. VI, col. 342.

piendo carnem Christi... Materna propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset. Huc etiam faciunt nota Ven. Bedae verba [1]: *Inde quidem beata* (Dei Genitrix), *quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis, sed inde multo beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat aeterna.* Hic est enim primus gradus accessus ad Deum, cum per fidem, quae *est ex auditu* [2], Verbum Dei in mente concipimus, quod profecto esse debuit et in Virgine Maria, ut non prius conciperet in utero Filium Dei, quam illum in mente et corde haberet [3].

β) *Utilitas fidei* idipsum postulabat, quatenus Beata Virgo certior testis fieret sacramenti Incarnationis dominicae. Nimirum, ex quo Maria de huiusmodi mysterio in se complendo divinitus fuit edocta, potuit, labentibus temporibus, magis idoneum de tanto mysterio testimonium reddere [4]. Quod quidem dicitur, non quod Beata Virgo expressam fidem Incarnationis futurae sine annuntiatione non habuisset; sed cum humilis esset, non tam alta de se sentiebat, ideoque super hoc divinitus erat instruenda [5].

γ) *Pariter obsequium a Beata Virgine Deo exhibendum* postulabat ut ipsi Deum pariturae, divinum nuntium fieret circa ea quae in se citius erant complenda, ad hoc ut sic voluntaria obsequii sui munia Deo offerret, promptam se exhibendo exequendae in omnibus Dei voluntati; et propterea angeli verbis annuens, ait [6]: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

4. — **II. Ex parte humanae naturae.** — Demum congruitas annuntiationis apparet ex eo quod cum, per Incarnationem, Verbum quodam velut spirituali connubio humanae naturae uniri vellet, ad matrimonium autem requiratur consensus contrahentium, hinc conveniens omnino fuit ut,

[1] L. IV *in Luc.*, Migne P. L. t. XCII, col. 480. — [2] Rom., X, 17. — [3] 3, Quaest. XXX, art. 1. — [4] Reddere autem de hac re testimonium Virgo debebat post Christi ascensionem: retineri quippe potest, ut infra dicemus, sanctum Lucam ab ipso Mariae ore notitiam accepisse circumstantiarum, quae ad incarnationis mysterium pertinent, quasque in suo Evangelio scriptas reliquit. — [5] Ibid., ad 2um. — [6] Luc., I, 38.

misso nuntio caelesti, postularetur et expectaretur Virginis consensus, loco consensus totius humanae naturae, cuius vices illa tunc gerere censebatur.

Quae consensus expectatio congruit plane modo operandi ipsius Dei; licet enim prophetia praedestinationis nostrae compleatur sine nostro arbitrio causante, attamen non sine nostro arbitrio consentiente [1]. *Sicut Deus per gratiam suam*, ait Suarez [2], *tametsi efficacissimam, nullam personam ratione utentem ad amicitiam suam sine consensu illius pertrahit, ita cum per hoc mysterium Beata Virgo ad singularem cum Deo coniunctionem ineundam elevaretur, futura enim erat veluti Spiritus Sancti sponsa, ad suavem divinae Providentiae dispositionem pertinuit voluntarium eius expectare consensum* [3].

5. — Confirmatur. — I. Deus decreverat ut in Verbi Incarnatione magnae gratiarum copiae eius Matri impertirentur, scilicet eius statui convenientes. Atqui Deus nunquam homini adulto gratiam concedit, nisi illo per actum proprium consentiente. Ergo debuit mysterium Incarnationis Beatae Virgini annuntiari, ut ipsa, consensum praebendo, huiusmodi gratias congrue recipere valeret.

II. Anima fidelis Christum spiritualiter concipit. Atqui spiritualem conceptionem, quae est per fidem, praecedit annuntiatio quae est per fidei praedicationem [4]. Ergo materialem Christi conceptionem annuntiatio per angeli locutionem praecedere debuit.

6. — PROP. II. — Annuntiatio convenienter facta fuit per Angelum [5].

Ita legimus apud S. Lucam [6]: *Missus est Gabriel angelus a Deo*, etc.; et quidem hic angelus exhibetur immediate Beatae Virgini, non autem mediante sancto Ioseph eius viro, mysterium annuntiasse, cum sub nullius viri potestate fuerit quae

[1] Cf. S. Thom., l. c., ad 1um. — [2] In Quaest. XXX. Comment. in art. 1. — [3] Cf. Auguste Nicolas, *La Vierge Marie dans le plan divin*, t. I, l. I, c. VII, 2, p. 158, Paris, 1882. — [4] 3, Quaest. XXX, art. 1, ad 3um. — [5] Ibid., art. 2. — [6] Luc., I. 26.

integerrimis visceribus *de Spiritu Sancto Christum* erat susceptura [1].

7. — **Probatur haec convenientia.** — α) Imprimis, *ad hoc ut servaretur divina ordinatio*, secundum quam res supernaturales ad homines perveniunt mediantibus angelis, congrue factum est ut annuntiatio per angelum compleretur. *Divinum Iesu benignitatis mysterium*, ait auctor libri CAELESTIS HIERARCHIAE [2], *angeli primo edocti sunt; postea per ipsos ad nos cognitionis gratia transivit. Sic ergo divinissimus Gabriel Zachariam quidem docuit, prophetam Ioannem ex ipso nascituram; Mariam autem, quomodo in ipsa fieret thearchicum ineffabilis Dei formationis mysterium.*

Cui rei non officit exaltatio Mariae super omnes angelos: nam licet, utpote Mater Dei, angelis superior foret, tamen, quantum ad statum vitae praesentis, erat ipsis inferior, non sicut Christus, qui propter solam passibilitatem carnis fuit *modico quam angeli minoratus* [3]. Unde Christus quidem nullo modo edoctus fuit ab angelo, quia, utpote comprehensor, perfectam divinorum cognitionem habuit; Beata Virgo autem, cum, in terris degens, nondum esset in statu comprehensorum, ab angelo potuit edoceri [4].

β) Idipsum *congruebat reparationi humanae*, ut quemadmodum angelus tenebrarum extiterat prima causa perditionis hominum, ita angelus lucis primas haberet partes in opere restaurationis hominis ad dignitatem filii Dei, deferendo Virgini caeleste nuntium.

γ) Demum *conveniebat virginitati Matris Dei* ut ei huiusmodi nuntium per angelum deferretur; est enim angelis cognata virginitas, ideoque ad purissimam inter virgines congruenter angelus demandatus est.

8. — **Quaestio.** — *Quisnam fuerit iste angelus?*

Resp. Hic angelus fuit Gabriel, probabiliter summus in

[1] S. Io. Damascenus, *De fide Orthod.*, l. IV, c. XIV, t. I, p. 276. — [2] Cap IV. — [3] Hebr., II, 9. — [4] Cf. S. Thom., 3, Quaest. XXX, art. 2, ad 1[um].

ordine Archangelorum [1], quorum est summa annuntiare, ut ait S. Gregorius [2], qui etiam haec habet [3]: *Gabriel Dei fortitudo nominatur;... per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus et potens in praelio contra potestates aereas ad bella veniebat.* — Et licet nullus angelus perfecte cognoverit huius mysterii rationes, nec percipere valuerit qualiter Filius, *totus in Genitore, totus manebat in omnibus, necnon et in virginea cellula* [4], tamen Gabriel existentiam huius mysterii sufficienter perspectam habere potuit, ut circa illam nuntii vice fungi posset [5].

9. — PROP. III. — Angelus annuntians congruenter apparuit Beatae Virgini visione corporali.

10. — Exponitur. — Si Beata Virgo fuisset per fruitionem divinae Essentiae supra sensus corporis totaliter elevata, potuisset videre angelum per essentiam; sed quia erat adhuc in statu hominis viatoris, ideo congrue angelus sub corporea forma ei se videndum praebuit divina nuntiantem; licet dici possit quod in ipso Incarnationis momento, quando scilicet verba protulit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, divinam Essentiam Deipara transeunter viderit, et in ea etiam angeli naturam quidditative, ut infra fusius declarabitur [6], fuerit contemplata.

11. — Ex triplici capite ostenditur ista convenientia [7]. — α) *Propter idipsum quod annuntiabatur.* Revera, quia an-

[1] Ibid., ad 4m. Quod Gabriel dicatur summus inter archangelos, non excludit quin Michael sit eo superior, ut eruitur ex Dan., VIII, 16; dici enim probabiliter potest Michael esse de ordine principatuum (1, Quaest. CXIII, art. 3. Cf. Dan. X, 13, 21); etsi hic Michael, cui Ecclesiae custodia est commissa, curaque perducendi animas hominum ad salutem, possit dici distinctus, etsi conveniat nomen, ab illo qui contra Luciferum in initio pugnavit, quique summus inter Seraphim agnosci potest (Cf. Tract. n. *de Angelis*, Quaest. CXII, art. 2), a quo proinde ille alius Michael mitti potuit. — [2] Hom. XXXIV in Evang. *de Centum Ovibus*, t. II, p. 337. — [3] Loc. cit. — [4] S. Maximus, *quoad sensum*, in *Homiliis* in Natali Domini, passim. Parisiis, 1641, p. 193. seq. — [5] Cf. S. Thom., Ibid., ad 3um. — [6] P. II. c. I. art. 7. — [7] S. Thom., Ibid. art. 3.

gelus venerat ad annuntiandam Verbi Incarnationem per quam invisibilis in suis, visibilis fieret in nobis, conveniens fuit ut ad huius rei declarationem, quaedam invisibilis creatura formam visibilem assumeret; ita etiam omnes Veteris Testamenti apparitiones, quae ad hoc mysterium praeordinabantur, fuerunt apparitiones visibiles rerum invisibilium.

β) *Propter ipsam Virginem Mariam*, quae non solum mente, sed etiam corpore erat Filium Dei susceptura, unde non solum mens eius, sed etiam sensus corporei erant visione angeli refovendi.

γ) *Propter certitudinem rei annuntiatae*: licet enim imaginatio sit altior potentia quam sensus exterior, tamen certius apprehendimus ea quae sunt oculis subiecta, quam quae imaginamur, principium enim humanae cognitionis est sensus exterior; oportet autem principia cognitionis esse certiora; unde apparitio concessa Beatae Virgini in annuntiatione fuit excellentior quam, verbi gratia, apparitio quam habuit S. Ioseph de angelo in somnis [1]. *Virgo*, ait S. Ioannes Chrysostomus [2], *cui annuntiabatur res tanta et longe maior quam Zachariae, etiam ante rem ipsam egebat mirabili quadam visione.*

12. — PROP. IV. — Congruus fuit ordo ab Angelo in annuntiatione servatus.

13. — Exponitur. — Primo Virginis mentem Angelus attentam reddit ad tantae rei considerationem, eam salutando salutatione nova et insolita, excitata eius admiratione, propter inassuetam laudem ipsi collatam. *Ave, gratia plena*, ait, ostendens Virginis idoneitatem ad Verbum concipiendum; *Dominus tecum*, significans illam iam in se habere quem mox paritura erat; *benedicta tu in mulieribus*, praesagiens honorem subsecuturum. Tum de mysterio Incarnationis in Virgine complendo illam instruit, praenuntiando conceptum

[1] Cf. quae scripsimus in tr. de *Stabilitate et progressu Dogmatis*. P. II, art. 9. q. 311. — [2] Hom., IV, ex Cap. I Matth., n. 5, Paris., 1834, t. V, p. 268.

et partum: *Ecce concipies in utero et paries Filium*. necnon ostendendo conceptae prolis dignitatem: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur*, etc., et manifestando modum conceptionis: *Spiritus Sanctus superveniet in te*. etc. Demum Angelus ut Virginis animum inducat ad consentiendum, proponit exemplum conceptus Elisabeth quae sterilis fuerat: *Et ecce Elisabeth cognata tua*. etc., ad cuius exempli confirmationem subditur efficax argumentum ex omnipotentia divina desumptum: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum* [1].

14. — Quaestio I. — *Quid tenendum de turbatione et timore Mariae ab Evangelista narratis* [2] *?*

Resp. Hoc naturaliter evenisse credendum est, citra ullam Beatae Virginis culpam. Nam, ut ait S. Ambrosius [3], *perturbamur et a nostro alienamur affectu, quando perstringimur alicuius superioris potestatis occursu*. Quod evenit non modo in visione corporali, verum etiam in visione imaginaria, sicut legimus [4]: *Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram, et horror magnus et tenebrosus invasit eum*. Hoc autem exhinc provenit quod, cum homo supra seipsum elevatur, pars eius inferior debilitatur, unde perturbatio sequitur; sicut calore naturali ad interiora reducto, exteriora contremunt; unde Origenes de Zachariae turbatione loquens, ait [5]: *Angelus sciens hanc esse humanam naturam, primum perturbationi medetur, dicens*: NOLI TIMERE, ZACHARIA, *et trepidantem refocillat*, etc.

At licet talem perturbationem in parte inferiori inducat apparitio angelica, non tamen propterea desinit esse argumentum specialis favoris in eo qui illa donatur. Eo vel magis hoc dicendum est, quia post talem perturbationem pax magna et gaudium subsequuntur; unde etiam regula desumitur ad discernendas bonorum spirituum apparitiones ab apparitionibus spirituum malorum: quia incussa ab his formido permanet: post timorem autem ab illis causatum,

[1] LUC., I, 29, 30. — [2] S. Thom., Ibid., art. 4. — [3] Sup. LUC., cap. I, super illud: *Apparuit illi angelus*, t. III, col. 27. — [4] GEN., XV, 12. — [5] Hom. IV supra LUC., Migne. P. G., t. X, col. 1187.

magnum succedit gaudium, quemadmodum legitur in vitis sanctorum Patrum [1].

Dici tamen potest, Virginis turbationem non ex Angeli apparitione ortam fuisse, sed potius ex admiratione eorum quae ab Angelo audiebat. Beata Virgo enim assueta erat visionibus angelorum; sed quia de se tam magnifica non cogitabat, ideo turbata est in sua humilitate; unde Evangelista non dicit quod turbata fuerit in visione Angeli, sed in eius sermone [2]. Ulterius, non improbabiliter addi potest, turbationem Mariae provenisse ex significata, per Angeli verba, eius futura fecunditate, cum virginitatis voto se ligatam novisset: quandoquidem verba: *Benedicta tu*, ad fecunditatem significandam Scripturae saepius usurpant. Denique convenit verecundiae virginali perturbatio Mariae, iuxta illud S. Ambrosii [3]: *Trepidare virginum est et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri.*

Quidquid autem dicatur, cavere quis debet ne putet Mariae turbationem ex eo provenisse quod aut in dubietatem infidelitatis vel levissime inciderit, aut timuerit se in deceptionem induci: non enim peccavit ullo modo aut decipi potuit Immaculata Virgo; cum non caruerit *gratiosa Puella gratia discretionis spirituum*, ut ait Dionysius Cartusianus [4].

15. — Quaestio II. — *Cur Maria quaesivit ab Angelo:* QUOMODO FIET ISTUD, QUONIAM VIRUM NON COGNOSCO, *cum ipsa in Scripturis edocta probe sciret Messiam ex Virgine nasciturum, iuxta illud Isaiae* [5]: ECCE VIRGO CONCIPIET, *etc.?*

Resp. Quod Maria distincte non cognoverit virgineum conceptum et partum futurae matris Messiae, evidenter eruitur ex illa eius interrogatione: *Quomodo fiet istud*, etc. Si enim illum cognovisset, non opposuisset verbis angeli, tanquam obstaculum, suum virginitatis votum, quin potius illud habuisset tanquam signum quod ipsamet revera futura erat mater Messiae.

[1] Cf. *Vita S. Antonii*, in Vitis Patrum, l. I, c. 18. — [2] Cf. S. Ambros., Exposit. Evang. secund. Luc., l. II, super illud: *Et ingressus Angelus*, t. III, col. 373. — [3] Loco prox. cit. — [4] Enarrat. in Caput I Luc., art. 3, t. XI, p. 387. — [5] Luc. I, 34. — [6] VII, 14.

Quod autem Isaiae verba cognoverit, nihil est; nam hoc nomen *virgo*, hebraice עַלְמָה, non omnino clare significat mulierem a viro intactam, cum significare etiam possit generaliter adolescentulam, ut fusius infra ostendemus [1]; aut dici etiam potest cum S. Ambrosio [2]: *Legerat hoc Maria* (sc., ECCE VIRGO CONCIPIET), *ideo credidit futurum: sed quomodo fieret, ante non legerat: non enim quemadmodum fieret, vel tanto prophetae fuerat revelatum:* aliunde recolendum est, in populo iudaeorum defuisse tunc temporis exempla virginitatis.

Quapropter non curiose Maria inquisivit de futuro, quod esset si distincte scivisset matrem Messiae remansuram virginem; sed studiosa divinae voluntatis servandae, humiliter sciscitata est de modo quo posset simul sponsam virginitatem servare et angeli voci obtemperare [3].

16. — Sententiae Virginis sanctitati detrahentes sedulo respuendae. — Hic autem sedulo respuenda monemus, utpote Virginis perfectae sanctitati detrahentia, quaedam penes unum alterumve ex Scriptoribus ecclesiasticis passim occurrentia, scilicet hanc turbationem culpae, etsi levi, Deiparae vertendam esse: qua in re profecto isti non universalem Ecclesiae fidem, sed privatum suum sensum exprimunt, cui generalis Patrum doctrina penitus contradicit.

Talia sunt sequentia Procli verba, quibus inducit Gabrielem sic alloquentem Mariam: *Siquidem non modo tu sola fidem non dedisti verbis meis; at neque prior Zacharias dedit. Ac te quidem, quam velut infantem, quod spectat ad sacratiora divinorum, noverim; seu potius quam uti Domini Ma-*

[1] P. II, c. III, art. 1. — [2] Expos. sec. Luc., l. I, n. 15. — [3] Notari hic possunt verba quae habet Angelicus Doctor, dum commentatur hunc locum S. Matthaei (l. 23): *Ecce Virgo in utero habebit*, etc. — *Sciendum*, ait ille, *quod iudaei specialiter obiiciunt... quia in hebraeo non habetur virgo, sed almah, quod idem est quod adolescentula: unde ad litteram* (iuxta eos) *non sunt dicta de Christo, sed de Emmanuel, vel de quodam filio Isaiae secundum alios. Sed contra hos obiicit Hieronymus... quod almah est aequivocum, et significat quandoque aetatem, quandoque absconditam, et tunc significat virginem studiose conservatam; et sic significat hic.*

irem revereor, etiam fide non impetrata, castigare non audeam: illi vero ut iuris perito, ubi non suscepisset sermonem, inflixi poenae modum, amissique eloquii animadversioni subieci, ac mariti quidem linguae organum ligari: eius autem uxoris, sterilitatis officinam aperui [1]. Cui simile quid protulit Calvinus, volens quod Beata Virgo de veritate praedictionis dubia manserit.

Sed nec sancti Ioannis Chrysostomi verba extendenda sunt [2], quibus ait nuntiatam fuisse ab angelo Virgini conceptionem, ne rei penitus ignara, *in perturbatione magna foret. Nam timendum erat ne illa, rei veritatem non clare sciens, de se quid acerbum decerneret, neu dedecus non ferens, ad laqueum subito vel ad gaudium properaret.* ἐπὶ χρόχον ἐλθεῖν καὶ ἐπὶ ξίφος ? Haec nimirum de sanctissima et fortissima Virgine ne cogitare quidem fas est, ut infra fusius dicetur [3].

Quod autem antiquus quidam auctor dicere videtur, Beatam Virginem de conceptu haesisse ancipitem, et illius possibilitatem angelum praedicasse [4], — intelligi potest de dubitatione admirationis, magis quam de incredulitatis ambiguitate; unde Angelus probationem inducit, non ad auferendam infidelitatem, sed potius ad removendam admirationem, animo enim humili nihil est mirabilius quam auditus suae excellentiae. Igitur simpliciter dicendum est quod Beata Virgo de verbis angeli minime dubitavit, quod etiam exponit S. Ambrosius, comparans responsionem Beatae Virginis cum responsione Zachariae, quarum illa longe temperantior fuit. *Haec ait: Quomodo fiet istud? Ille respondit: Unde hoc sciam? Haec iam de negotio tractat; ille adhuc de nuntio dubitat. Negat ille se credere qui negat scire: et quasi fidei adhuc*

[1] Orat. VI. *de Laudibus S. Mariae:* Migne, t. LXV, P. G. col. 742. — [2] Loco prox. cit., p. 53, nota 2. In bonam partem trahi posse verba ista S. Doctoris, inspectis circumstantiis in quibus ille versabatur, ostendit Nic. Marini, *Le macchie apparenti* (in) *S. Giovanni Crisostomo*, Roma, 1910, p. 54. — [3] P. II, c. I, art. 3. — [4] In Lib. *Quaest. Vet. et Nov. Test.*, q. 51, inter Opp. S. Augustini, t. III, app., col. 62. Huius libri auctorem esse quemdam haereticum hominem, Bellarminus censet, l. *de Script. Eccles.* Coloniae Agrippinae, 1617, t. VIII, col. 82.

alium quaerit auctorem: ista se facere profitetur; nec dubitat esse faciendum, quod quomodo fieri possit inquirit [1].

Pariter, omnino reiiciendum est quod nonnulli, tamquam a S. Ambrosio dictum, recitant: *Non minor gloria est quod tumulus Ioseph* (ab Arimathaea) *suscitaverit Dominum, quam quod sanctae Mariae uterus procrearit... Conveniunt sibi obsequia, convenit et affectus, unde necessarium est, et meritum ex hoc saltem convenire: nisi quod Angelus Mariam ad obsequium admonuit, Ioseph autem sola iustitia persuasit:* nimirum haec verba, perfectae Deiparae sanctitati detrahentia, nullibi reperiuntur ab insigni Doctore prolata [2].

[1] Exposit. Ev. sec. Luc. l. II, super illud: *Quomodo fiet istud*, t. III, col. 40. — [2] Haec verba, quae tanquam ex quodam sermone 52 S. Doctoris, de sepulchro D. N. I. C., falso exhibebantur deprompta, in aliquod particulare breviarium olim irrepserant, in festo S. Iosephi ab Arimathaea, die 17 Martii.

CAPUT II.

De divina Maternitate.

PROLOGUS.

Ratio et ordo capitis. – In praecedenti capite actum est de divinae maternitatis convenientia in ordine ad Verbi Incarnationem, simulque determinatum fuit quamnam, ex omnibus mulieribus, divina Bonitas ad hoc opus selegerit, necnon quanam congruitate prophetiis et vaticiniis in Veteri Testamento, novissime autem Angeli praeconio, hanc altissimam dignitatem divina Providentia praesignari et praenuntiari curaverit, in ordine ad actuationem, in praestituto tempore, divini decreti de Incarnatione Verbi ex Virgine Maria. His igitur declaratis, modo inquiratur oportet de ipsamet Verbi conceptione in utero Virginis, ut sciatur quasnam partes in illo opere habuerit, et quo modo et ordine Christum conceperit: ut demum determinari valeat, quod huius partis potissimum est, utrum ipsamet possit et debeat dici vere Mater Dei.

Quapropter tria hic quaerenda proponuntur.

Primo. De eo quod Beata Virgo egit in conceptione Christi.

Secundo. De modo quo Beata Virgo Christum concepit.

Tertio. Utrum Beatissima Virgo Maria sit vere Mater Dei.

ARTICULUS I. — *De eo quod Beata Virgo egit in conceptione Christi.*

I. — Ratio articuli. – Potissima huius articuli intentio est ut, iuxta Angelici doctrinam [1], explicatio tradatur horum verborum [2]: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Al-*

[1] 3 Quaest., XXXII, art. 1. — [2] Luc., I, 35.

tissimi obumbrabit tibi; ubi ostendendum erit quid Spiritui Sancto in hac mirabili conceptione, quid Beatae Virgini sit tribuendum.

2. — PROP. I. — **Spiritus Sanctus fuit principium activum conceptionis Christi.**

3. — **Exponitur.** — Cum conceptio corporis Christi sit aliquod opus ad extra, ideo tota Trinitas illam operata fuisse dicenda est, cum in operationibus ad extra principium sit Deus ut est unus in essentia, et consequenter unus in virtute necnon unus in operatione; e contra, in operationibus ad intra, principium est divina persona, ut distincta ab aliis, relationibus originis.

Porro, licet tota Trinitas sit conceptionem corporis Christi operata, tamen secundum quemdam modum attribuitur singulis personis. Patri nempe attribuitur auctoritas respectu personae Filii, qui per hanc conceptionem sibi assumpsit humanam naturam, Filio attribuitur ipsa carnis assumptio, sed Spiritui Sancto attribuitur formatio corporis, quod a Filio assumitur.

Revera Spiritus Sanctus est Spiritus Filii; sed sicut virtus animae, per spiritum qui in semine includitur, formatur corpus in generatione aliorum hominum, ita virtus Dei, quae est ipse Filius [1], per Spiritum Sanctum corpus formavit, quod assumpsit. Unde angelus ait: *Spiritus Sanctus superveniet in te,* quasi ad praeparandam et formandam materiam corporis Christi; et *Virtus Altissimi,* quod est Verbum, *obumbrabit tibi,* id est corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis: *umbra enim a lumine formatur et corpore,* ut ait S. Gregorius [2]: Altissimus autem intelligitur Pater, cuius Filius est virtus [3].

4. — **Quisnam sit sensus verborum S. Lucae: Spiritus Sanctus,** etc. — Igitur verba Angeli ad Deiparam superius recitata aliud non significant, nisi quod Spiritus Sanctus,

[1] 1 Cor., I. 24. — [2] L. XVIII, Mor., c. 12, t. I. p. 445. — [3] S. Thom. 3, Quaest. XXXII, art. 1, ad 1um.

tanquam activum principium, fecundaturus sit Beatam Virginem, et Filius, qui ex Patre procedit, ita suscepturus sit corpus hoc modo concipiendum, ut fiat ipsum Dei corpus, relinquens in ipsamet Genitrice umbram sui, quasi signum divinitatis, unde vere dici possit Mater Dei [1].

Alii tamen per virtutem Altissimi malunt intelligere Dei Patris potentiam, qui erat Virginem undequaque circumdaturus et per Spiritum Sanctum operaturus, ut illa, inviolata manens, Verbum conciperet. Alii iterum per virtutem Altissimi intelligunt ipsum Spiritum Sanctum, quatenus Virginem fovere debebat, tegere ac circumdare, ut absque virginitatis detrimento conciperet et pareret. Qui videtur esse sensus horum verborum [2]: *Quae et Unigenitum tuum Sancti Spiritus obumbratione concepit.* — At melius est ut dicatur virtutem Altissimi esse ipsum Filium, qui non solum est virtus, potentia et brachium Patris, sed est etiam lux; qui proinde umbram sui, per assumptam carnem in utero Virginis reliquit. Nam, ut observat Estius [3], ex hoc solum quod Spiritus Sanctus dicitur superventurus in Virginem et illam obumbraturus, non sequitur quod conceptus debeat esse Filius Dei, cum ad alios effectus supervenire possit, nempe ut conceptus sit solum Filius Dei adoptivus.

5. — **Quaestio.** — *Cur conceptio corporis Christi specialiter attribuitur Spiritui Sancto?*

Resp. Imprimis, Spiritus Sanctus est amor Patris et Filii; quod autem Filius Dei carnem sibi assumpserit in utero virginali, ex maximo Dei in nos amore provenit; ideoque congrue attribuitur Spiritui Sancto conceptio corporis Christi ex parte *causae ipsius Incarnationis.*

Ex parte etiam *naturae assumptae* apparet ipsa congruitas; cum nempe gratia Spiritui Sancto attribuatur, per hunc modum datur intelligi quod humana natura non est assumpta a Filio Dei propter alicuius merita, sed tantummodo ex pura Dei gratia.

[1] Perpulcram huius mysterii repraesentationem videre est Florentiae, in Basilica Virgini ab Angelo annuntiatae dicata, angelica manu, labente saeculo decimo tertio, perfectam. — [2] In Praefatione de B. V. — [3] Comment. in h. l.

Demum ista congruitas apparet ex parte *termini assumptionis.* Revera, Incarnatio ad hoc est terminata, ut homo ille, qui concipiebatur, esset sanctus et Filius Dei. Atqui Spiritui Sancto attribuitur santitas, ut nomen ipsum indicat, et sic est Spiritus santificationis. et homines per ipsum efficiuntur filii Dei; unde sicut alii per Spiritum Sanctum sanctificantur spiritualiter, ut sint filii adoptivi, ita Christus per Spiritum Sanctum est in sanctitate conceptus. ut esset Filius Dei naturalis; quapropter, cum dictum fuisset [1]: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute.* additur huius rei manifestatio: *secundum spiritum sanctificationis.* id est per hoc quod est conceptus de Spiritu Sancto; et Angelus, cum annuntiasset: *Spiritus Sanctus superveniet in te.* conclusit: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

6. — **Confirmatur.** — Conceptio Christi fuit maximum miraculum. Atqui opera miraculosa Spiritui Sancto attribuuntur. Ergo et conceptio Christi Spiritui Sancto convenienter attribuitur, tanquam principio activo.

Hinc recte a Pauio IV damnati sunt qui negabant Dominum Nostrum Iesum Christum esse conceptum in utero Beatae Virginis de Spiritu Sancto, dicentes eum, *sicut ceteros homines, ex semine Ioseph* conceptum [2].

7. — **Scholion I.** — *Non solum corpus Christi, sed etiam ipse Christus convenienter dicitur conceptus de Spiritu Sancto,* quemadmodum Ecclesia in Symbolo canit: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto.*

In Spiritu Sancto, ait S. Thomas [3], *duplex habitudo consideratur respectu Christi: nam ad ipsum Filium Dei, qui dicitur esse conceptus, habet habitudinem consubstantialitatis: ad corpus autem eius habet habitudinem causae efficientis: haec autem praepositio* DE *utramque habitudinem designat, sicut cum dicimus hominem aliquem esse de suo patre; et ideo*

[1] Rom., I, 4. — [2] In Constit. *Cum quorumdam,* contra Socinianos lata, a. 1555, confirmata a Clemente VIII, per Breve *Dominici gregis,* a. 1603. — [3] 3, Quaest. XXXII. art. 2.

convenienter dicere possumus, Christum esse conceptum de Spiritu Sancto, hoc modo quod efficientia Spiritus Sancti referatur ad corpus assumptum, consubstantialitas vero ad personam assumentem. Exinde legitur [1]: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.*

Attamen, si ad rigorem verbi loqui velimus, iuvabit advertisse, particulam *de* proprie significare consubstantialitatem, dum e contra particula *ex* utrumque significare potest, scilicet consubstantialitatem et efficientiam; quapropter, quia corpus Christi non est consubstantiale Spiritui Sancto, ideo non tam recte dicitur: *Corpus Christi est conceptum de Spiritu Sancto*, sed: *Corpus Christi est conceptum ex Spiritu Sancto*; dicetur vero: *Christus ipse est conceptus de Spiritu Sancto*, propter eius cum Spiritu Sancto consubstantialitatem. Relate vero ad Beatam Virginem dicetur quod *Christus est natus vel conceptus de Beata Virgine*, scilicet materialiter.

Sed quia ista exacta loquendi ratio non semper attenditur, legimus enim [2]: *De corde exeunt cogitationes*, et [3]: *De plenitudine eius nos omnes accepimus*, ubi *de* stat pro *ex*, dici potest quod corpus Christi est conceptum de Spiritu Sancto [4].

8. — **Scholion II.** — *Spiritus Sanctus, in Christi conceptione, se habuit ut semen, attenta virtute activa quae in semine continetur.*

Nam cum in semine intelligatur et virtus activa, et substantia corporalis quae in conceptione transmutatur, potest simul affirmari et negari quod Spiritus Sanctus in conceptione Christi se habuerit sicut semen: affirmatur quidem ratione virtutis activae seu fecundantis, negatur autem ratione corpulentae substantiae. Hoc in sensu intelligendae sunt Patrum voces, quae prima fronte dissonae videntur. Sic S. Damascenus ait [5]: *In eam* (Virginem) *obumbravit... Dei sapientia et virtus... divini seminis instar.* E contra, auctor

[1] Matth., I, 18. — [2] Ibid., XV, 19. — [3] Io., I, 16. — [4] Cf. S. Thom., 3, Quaest. XXXII, art. 2, ad 2um et ad 3um. — [5] L. III Orthod. fid., c. II, t. I, p. 204.

Symboli explanationis ad Damasum dicit [1]: *Nec ut quidam sceleratissime opinantur, Spiritum Sanctum dicimus fuisse pro semine* [2].

9. — **Scholion III.** — *Licet Christus sit conceptus de Spiritu Sancto, non recte tamen dicitur Filius Spiritus Sancti, aut etiam Filius Trinitatis* [3].

Revera, nomen filiationis, sicut et nomen paternitatis et maternitatis, sequitur generationem, et quidem non latissime sumptam, non enim dicimus quod ignis generatus sit filius ignis generantis, sed sequitur generationem quae est in viventibus, et quidem secundum quod genitus producitur in similitudinem generantis; unde nec capillus dicitur filius hominis, nec homo dicitur filius seminis.

Quod si similitudo inter genitum et generantem sit perfecta, et ipsa filiatio perfecta erit, secus erit imperfecta. Perfecta autem filiatio in divinis habetur, qua Pater generat Filium sibi in aeternitate aequalem; imperfecta vero sicut in homine, in quantum creatus est ad imaginem Dei; perfectior, licet adhuc imperfecta, in quantum est recreatus secundum similitudinem gratiae.

Porro, quando aliquid de aliquo dicitur secundum rationem perfectam, non est de eo dicendum secundum imperfectam rationem, sicut Socrates, qui dicitur naturaliter homo secundum propriam hominis rationem, nunquam dicitur homo secundum illam significationem, qua hominis pictura dicitur homo. Atqui Christus est Filius Dei naturalis secundum perfectam filiationis rationem propter generationem aeternam: ideoque non debet dici Filius Dei ratione creationis et institicationis, licet secundum humanam naturam sit creatus et institicatus; ideoque debet dici Filius Patris solius, et nullo modo Filius Spiritus Sancti aut totius Trinitatis, quia haec filiatio attenditur aut secundum creationem, aut secundum institicationem, quae aliud non est, nisi filiatio adoptiva, quam Christo nullo modo competere novimus [4].

[1] Inter Opp. supp. S. Hieronymi, T. XI, P. II, Col. 203. Venetiis, 1771. — [2] S. Thom. 3, Quaest. XXXII, art. 2, ad 2um. — [3] S. Thom., loc. cit., art. 3. — [4] Cf. 3, Quaest. XXIII, art 4.

Per hoc tamen non tollitur, ut postea fusius dicetur, quin Christus dicatur verissime Filius Mariae: est enim perfecte Filius eius, cum sit conceptus de Virgine, materiam ministrante in similitudinem speciei humanae. Unde in Concilio Toletano XI haec habentur [1]: *Nec Spiritus Sanctus Pater esse credendus est Filii, pro eo quod Maria eodem Spiritu Sancto obumbrante concepit.*

10. — PROP. II. — **In Conceptione Christi α) Beata Virgo nihil active operata est, β) sed tantum materiam ministravit.**

11. — **Auctoritas.** — Ita hanc duplicem veritatem exponit S. Augustinus [2]: *Corpus Christi cum sola materia corporali per divinam conceptionis formationisque rationem de Virgine assumptum est, non autem secundum aliquam rationem seminalem humanam.*

12. — **Prob I[a] pars,** destruendo positionem, necnon rationem positionis eorum qui dicunt Beatam Virginem aliquid active operatam fuisse in Christi conceptione, et quidem virtute, sive *naturali,* sive *supernaturali.*

13. — **Beata Virgo nihil active est operata naturali virtute.** — Dicunt igitur Beatam Virginem *naturali* virtute aliquid fuisse operatam active, quia ponunt in qualibet materia naturali esse aliquod activum principium, quod necessarium credunt, ad hoc ut habeatur transmutatio naturalis: — sed in hoc decipiuntur. Revera, transmutatio dicitur naturalis propter principium intrinsecum, non solum activum, sed etiam passivum; unde in gravibus et levibus est principium motus naturalis, non activum sed passivum. Sed non est possibile quod materia agat ad sui formationem: materia enim non est ens actu, et ad hoc quod ageret ad sui formationem, esset necesse quod divideretur in duas partes, quarum una foret movens, altera mota, quod quidem in solis animatis contingit. Ex hoc capite igitur Beata Virgo nihil active est operata in conceptione Christi, naturali virtute.

[1] Mansi. Sacr. Conc. Coll. t. XI. col. 135. Florent. 1765. — [2] L. X. Sup. Gen. ad litt., cc. 20 et 21, t. III, par. I, col. 271.

14. — Sed nec virtute supernaturali. — Dicunt enim ad rationem matris requiri, praeterquam quod ministret materiam, quae est sanguis, ut etiam ministret semen quod virili semine commixtum, virtutem activam habet in generatione: cum autem in Beata Virgine nulla fuerit facta resolutio seminis propter eius integerrimam virginitatem, dicunt quod Spiritus Sanctus supernaturaliter tribuit ei virtutem activam in conceptione corporis Christi, quam virtutem aliae matres habent per semen resolutum.

At in hoc quoque decipiuntur, generationis rationem ignorantes Hoc pacto enim generatio habetur, ut mulier quidem materiam subministret, scilicet ovula fecundanda; sed fecundatio habetur ex semine viri: unde natura ad opus generationis distinxit sexus maris et feminae, praecise propter utriusque operationem; distincta igitur est operatio maris ab operatione feminae, sicut operatio agentis ab operatione patientis; et ideo tota virtus activa est ex parte maris, passiva autem ex parte feminae: quapropter, in illis plantis, in quibus utraque vis, activa scilicet et passiva, commiscetur, non est distinctio maris et feminae.

Revera, ad mulierem pertinet, in generatione, ovulum ministrare cuius fecundatio habetur ex semine viri, in quantum nemaspermata, speciali virtute donata, funduntur cum substantia ovuli, cuius pars essentialis ad generationem est vesicula germinativa.

15. — Confirmatur. — Si Beata Virgo accepit aliquam potentiam activam in conceptione Christi, ut ea uteretur, — si enim non erat ea usura, frustra omnino illam accepisset, — sequitur illam dici debere patrem Christi. Atqui Beata Virgo est mater Christi, et non pater Christi. Ergo Beata Virgo nihil active operata est in conceptione corporis Christi. Igitur tota actio, in ista mirabili conceptione, debetur Spiritui Sancto qui, ut S. Damascenus ait [1], *supervenit* (Virgini) *purgans eam*, id est primam praeservationem ab originali peccato in ea conservans, ut ipsamet Virgo purissima posset sine peccato originali concipere; supervenit quoque Spiritus Sanctus in Vir-

[1] L. III *Orthod. Fid.* c. II, t. I, p. 204.

ginem, *vimque ei tum ad suscipiendam Verbi deitatem, tum ad gignendum* (Christum) *suppeditavit*, id est, ut conciperet Verbum Dei, simul autem et generativam virtutem tribuens, scilicet ut virgo manens posset generare, non quidem active, sed passive, quod aliae matres consequuntur ex semine viri [1].

16. — **Prob. 2ª Pars.** — In conceptione Christi Beata Virgo carnis suae materiam ministravit, quod pertinet ad passionem, quo modo totum illud praestitit quod ex parte patientis requiritur. Quapropter, etiamsi admittatur, in ordinariis conceptionibus, semen viri, praeter virtutem effectivam quam habet, concurrere etiam tanquam materiale principium et corpulentam substantiam, ad constitutionem foetus, in ista tamen singulari conceptione non est agnoscenda alia origo materialis et corpulenta, nisi substantia Beatissimae Virginis [2].

17. — **Scholion IV.** — *Attamen Beata Virgo, ante ipsam conceptionem, aliquid active operata est, praeparando scilicet materiam, ut esset apta conceptui.*

Revera potentia generativa in femina se habet ad potentiam generativam in mare, sicut ars inferior respectu ad artem superiorem: atqui ars inferior disponit materiam, ars vero superior inducit formam: ergo virtus generativa feminae praeparat materiam, virtus autem activa maris format materiam praeparatam [3]. Unde, licet Beata Virgo in ipsa corporis organizatione nihil active egerit, antea tamen aliquid est operata, scilicet materian praeparando et sine mora ad locum naturalem generationis attrahendo, per potentiam generativam feminae propriam [4].

[1] Cf. S. Thom., 3, Quaest. XXXII, art. 4, ad 1ᵘᵐ. Ex hoc sequitur, corpus Christi non fuisse in Adam secundum seminalem rationem, sicut fuit ipsum corpus Beatae Virginis, quod est ex semine maris conceptum. Ibid., Quaest. XXXI, art. 6, ad 2ᵘᵐ. — [2] Ex hoc deducitur amorem Beatae Virginis erga Christum eo intensiorem fuisse, quo minus, cum alio homine, ex hoc capite, fuerit divisus. — [3] Quaest. XXXII, art. 4, ad 1ᵘᵐ. — [4] Ad complementum doctrinae huius, sequentia ex moderna biologia addidisse iuvabit. Fecundatio ex hoc

Articulus II. — *De modo quo Beata Virgo Christum concepit.*

1. — Ratio articuli. — Parum esset demonstrasse Beatam Virginem, in conceptione Christi, carnis suae materiam, absque tamen seminis emissione, ut habet S. Damascenus [1], ministrasse, nisi etiam ostenderetur quo modo Maria Christum actu concepit; sic enim via sternetur ad stabiliendum factum, quod est fidei nostrae fundamentum, scilicet, Beatam Virginem vere et proprie esse Matrem Dei. — Qua in re, non inutiliter in antecessum recoletur id quod Caietanus narrat, nempe Romae, se praesente, aliquos fuisse damnatos, qui dicerent ad hoc ut Maria sit vere Mater Dei, sufficere ut illum conceperit aut mente, aut corde, aut pectore.

Duo autem hic statuenda veniunt: scilicet, *primo*, quod Christi corpus ex purissimis sanguinibus Virginis formatum fuit [2]; *secundo*, quod in eodem instanti fuit animatum anima rationali et a Verbo assumptum [3].

2. — Praenotandum. — Hic autem aequivocationis praecavendae gratia, advertendum est, iuxta modernae physiologiae inventa, duo posse intelligi per id quod veteres *semen* aut etiam *sanguinem* mulieris vocabant: videlicet, aut illum humorem viscosum vulvo-vaginalem, quem in coitu mulieres generaliter emittunt, et quem in Deipara penitus defuisse perpetua eius virginitas demonstrat, quo sensu Angelicus

habetur, quod spermatozoon, mox ac ovulum ingreditur, nucleolum quemdam cum ovulo constituit, unde utrumque concurrit, diverso modo, ad formationem embryonis: ovulum tamquam elementum passivum, spermatozoon vero tanquam elementum activum: quorum fusioni processus segmentationis necnon formationis texturae succedit.

[1] L. III, *Orth. Fid.*, c. II, t. I, p. 204. — [2] Cf. S. Thom., 3, Quaest. XXXI, art 5. — [3] Ibid., XXXIII.

dicit Beatam Virginem absque seminis resolutione concepisse; aut ovulum, ex cuius mixtione cum semine virili, habetur omne id quod requiritur et sufficit ut generatio perficiatur: porro, hoc sensu accepto semine mulieris, concordat S. Thomae doctrina cum physiologiae legibus, ad conceptionem requirentibus ovuli muliebris commixtionem cum semine virili: cuius commixtionis potentia deficiente, sive propter seminis in viro, sive propter ovuli aut etiam uteri in muliere carentiam, impotentia proprie habetur, matrimonium dirimens, cum coniuges non possint fieri una caro per specificam seminum commixtionem [1].

3. — PROP. I. — **Filius Dei sibi ipse compegit, ex castis et purissimis sanguinibus Virginis, carnem animatam anima rationali.**

4. — **Exponitur.** — Quaestio ista, quae S. Ioannis Damasceni [2] verbis exprimitur, est contra Valentinum et Apollinaristas, dicentes corpus Christi e caelo delapsum fuisse, et per Beatam Virginem, velut per canalem, fuisse transmissum. — Dicitur: *Ex castis et purissimis sanguinibus*, ad excludendam libidinem, quae in communi hominum generatione oritur ex parte feminae, ex resolutione humoris vulvo-vaginalis, quae nunquam absque concupiscentiae corruptione habetur. Porro, iam dictum est quod talis humoris resolutio, ex parte feminae, non requiritur de necessitate ad conceptionem, ideoque in Beata Virgine locum non habuit; et quia ab antiquis iste humor vocabatur *semen*, ideo hoc sensu dicitur quod corpus Christi *non seminaliter, sed conditive* (οὐ σπερματικῶς, ἀλλὰ δημιουργικῶς), *per Spiritum Sanctum* formatum est, ut ait praelaudatus S. Damascenus [3].

Praecitatis in propositione verbis concordat Iosephi Hymnographi sententia, dum Deiparam alloquitur: *Ex sacris sanguinibus tuis incarnatus est Creator omnium atque exivit ab utero, virginem te conservans* [4]. Huc quoque perti-

[1] Cf. Card. Petr. Gasparri, tr. *de matrimonio*, vol. I, nn. 510, seq. — [2] L. III *Orthod. Fid.*, c. II, t. I, p. 204. — [3] Loco cit. — [4] In *Mariali*, die 1 Iulii Migne, *Patr. gr. et lat.*, vol. LV, col. 1006.

net quod, tanquam a S. Augustino dictum adduci solet, scilicet Mariam esse *formam Dei* [1]: quatenus Christus, in eius sinu, ad illius imaginem, perfectus homo formatus est.

5. — **Materia de qua formatur foetus.** — Porro, in conceptione Christi duo sunt; aliud, quod ad supernaturalem modum generationis eius pertinet, et hoc est quod activum principium in generatione illa fuerit virtus supernaturalis divina, ideoque quod virgo, id est non ex mare, concepcrit; aliud vero, quod ad naturalem modum generationis eius spectat, et est quod materia, de qua corpus Christi conceptum est, conformis fuerit materiae quam aliae feminae subministrant ad prolis conceptionem. Atqui haec materia est sanguis mulieris, non menstruus, quem feminae per singulos menses ex decisione ovuli emittunt et impuritatem quamdam naturalem habet, sicut et caeterae superfluitates quibus natura non indiget, et quas proinde expellit: sed est sanguis perductus ad quamdam ulteriorem perfectionem per virtutem generativam in matre, sive, ut aiunt, perductus ad ovariam formationem [2], ut ita sit materia apta quae per eius fusionem cum nemaspermate fecundetur.

Revera, carnes et ossa, cum sint actuales corporis partes, et subtrahi nequeant sine corruptione aut diminutione corporis, non sunt materia de qua formatur embryo; sed materia ista est ovulum, cuius pars essentialis ad germinationem est vesicula germinativa, quae materia nondum est actu pars, sed potentia tantum est caro et totum corpus; ideoque, cum dicitur Deus carnem ex Virgine sumpsisse, non est intelligendum quod materia de Virgine desumpta fuerit actu caro, sed fuit huiusmodi ovulum, quod potentia est caro, secus Christus in sua formatione detrimentum intulisset Matri suae, quod omnino est a veritate catholica alienum [3].

[1] *Le moule de Dieu* — [2] 3, Quaest. XXXI, art. 5, ad 3um. Hanc materiam dici posse *semen*, tradit idem Angelicus: *Potest etiam dici semen id quod est ex parte feminae, quod est principium passivum.* 1, Quaest. CXV, art 2, ad 3um. — [3] Hoc sensu intelligendum est quod veteres sanguinem vocabant. Cf. 3, Quaest. XXXI, art. 5 ad 1um

6. — Distinctio inter conceptionem Christi et formationem Evae. — In eo igitur distingui debet formatio corporis Evae ex Adam, a formatione corporis Christi ex Maria, quod Eva fuit formata ex aliqua parte actu corporis Adae ex carne et ossibus composita, quae quidem pars cum non pertineret ad integritatem eius personalem, sed tantum in quantum erat naturae humanae principium, absque illius detrimento sublata fuit ad formandum Evae corpus; corpus autem Christi ex Virgine fuit eductum, et quidem absque illius detrimento, sed non ex ossibus et carne perfectis, verum ex sanguine, id est ex ovulo, ut dictum est [1]. Unde etiam sequitur quod Eva non fuit Adae filia; quia licet ei similis specifice fuerit, tamen non producta fuit in vi naturalis generationis, sicut Christus, qui est productus ex Beatissima Virgine in similitudinem naturae eiusdem speciei, in vi naturalis ex ea generationis [2].

7. — Christi conceptio fuit simpliciter miraculosa. — Diximus: *in vi naturalis generationis*: quia licet ista conceptio, ex parte virtutis activae, id est ex parte operationis Spiritus Sancti, fuerit miraculosa, — operabatur enim non ex semine, et in sancta Virgine, supra legem naturae, — tamen ex parte materiae et virtutis passivae, seu ex parte matris, conceptio ista fuit naturalis; nam *nostri instar, natus est Christus*, ait S. Ioannes Damascenus [3] *quia homo ex muliere, ac consueto partus tempore editus est.*

E contra, formatio corporis Evae ex Adam fuit praeter naturam ex utroque capite [4]. *Sed quia unumquodque magis iudicatur secundum formam, quam secundum materiam, et similiter secundum agens, quam secundum patiens, inde est quod*

[1] Cf. Ibid., ad 2um. — [2] Cf. Tr. nostrum *de prima hominis formatione*, Quaest. XCII, art. 3, nn. 3, seq., p. 106. — [3] L. III *Orthod. Fid.*, c. 7, t. II, p. 215. — [4] Cf. 3, Quaest. XXXV, art. 3, ad 2um. Adverti tamen debet quod formatio corporis Evae proprie dici non debet miraculosa, sicut nec formatio corporis Adae, cum ad habendum miraculum proprie dictum debeat *esse in re aliquid unde videretur quod aliter esse debuisset*, quod quidem inibi non erat. Cf. cit. tr. n. *De prima hominis formatione*, Quaest. XCI, XCII.

conceptio Christi debet dici simpliciter miraculosa et supernaturalis, sed secundum aliquid naturalis [1]. Quod autem Christus miraculose habuerit naturam humanam, non officit quominus dicatur naturalis hominis filius; sufficit enim ut habuerit naturam humanam veram, sicut caecus illuminatus naturaliter videbat per potentiam visivam, licet illam miraculose acceperat [2].

Hic autem sedulo animadvertendum est, non officere veritati humanitatis Christi et eius nobiscum similitudini, quod non, ut alii homines, generatus fuerit ex commixtione maris et feminae. Nam natura quidem est determinata ad unum effectum et ad unum modum producendi illum, adeo ut alius generationis modus in natura arguat diversitatem specificam in effectu; sed divina virtus, sicut ad unum effectum non est determinata, ita nec ad unum modum producendi illum; unde, sicut fuit verus homo quem Deus primo produxit ex limo terrae, ita etiam verus homo est quem divina virtus, absque virili semine, de Virgine formavit [3].

8. — PROP. II. — **Corpus Christi in primo instanti suae conceptionis fuit α) formatum, β) animatum anima rationali, γ) et a Verbo assumptum.**

9. — **Auctoritates.** — Haec veritas traditur a tribus sanctis Ecclesiae Doctoribus. S. Gregorius Magnus ait [4]: *Non autem prius in utero Virginis caro concepta est, et postmodum divinitas venit in carnem: sed mox ut Verbum venit in utero, mox Verbum, servata propriae virtute naturae, factum est caro. Et perfectus homo, id est in veritate carnis et animae rationalis, natus est per uterum Virginis Unigenitus Filius Dei.* — S. Io. Damascenus scribit [5]: *Simul atque caro extitit, simul quoque Dei Verbi extitit caro, simul caro animata rationis particeps et intelligentiae.* — Denique S. Fulgentius dicit [6]: *Firmissime*

[1] 3, Quaest. XXXIII, art. 4. — [2] Ibid., ad 1[um]. — [3] S. Thom., loc. cit. art. 1, ad 4[um]. — [4] Ep. ad Quirin. Episc. Hiberniae, Reg. l. IX, c. 41, t. II, p. 778. — [5] L. III *Orthod. Fid.*, c. II, t. I, p. 205. — [6] L. *de Fide ad Petr.*, c. 18. Inter opp. S. August., t. VI, App., col. 30, n. 61.

tene et nullatenus dubites, carnem Christi non sine divinitate conceptam in utero Virginis, priusquam susciperetur a Verbo: sed ipsum Verbum Dei suae carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam.

10. — Prob. I[a] Pars. — Ad prioris positionis evidentiam, sciendum est quod *motus localis sanguinis* ad locum generationis, seu ad uterum, non fuit quidem in instanti perfectus: hoc enim est contra rationem motus localis cuiuscumque, quod fiat in instanti, cum duo opposita non possint inesse simul [1], sed partes successive ingrediantur locum. Et idem dicendum est de motibus coagulationis, condensationis, et organizationis, necessariis ad perfectionem materiae, qui omnes motus comprehenduntur quodammodo sub motu locali. Sed successio, ex hac parte, non officit propositae thesi; non enim in praefato motu locali consistit formalis ratio conceptionis.

Nimirum, formalis ratio conceptionis constitit in formatione corporis ex tali materia: et hanc quidem dicimus fuisse in instanti: *primo*, propter virtutem infinitam agentis, qui fuit Spiritus Sanctus: tanto enim citius potest agens materiam disponere, quanto maioris est virtutis: unde agens infinitae virtutis potest in instanti materiam movere ad debitam formam; *secundo*, ex parte personae Filii, cuius corpus formabatur: conceptio enim ipsi non attribuitur, nisi ratione assumptionis: dato igitur quod fuisset successio in formatione corporis, si Verbum illud assumpsisset in initio processus formativi, assumpsisset corpus nondum formatum, quod profecto minime decebat; si vero in termino formationis, tunc non posset tota conceptio illi attribui, cum, ut dictum est, conceptio Verbo non attribuatur, nisi ratione assumptionis: unde in primo instanti, quo materia adunata pervenit ad locum generationis, fuit sufficienter disposita, ut corpus Christi perfecte formaretur et assumeretur, ac per hoc dici posset Filius Dei conceptus esse [2].

[1] 1. Quaest. CV, art. 2, ad 3[um]. — [2] 3. Quaest. XXXIII, art. 1.

11. — **Tacita obiectio.** — Obiicienti quod non potuit materia illa esse in eodem instanti sanguis aut ovulum et caro, quia sic materia fuisset simul sub duabus formis, ergo aliud est instans in quo ultimo fuit sanguis aut ovulum, aliud in quo primo fuit caro formata, ideoque duo instantia et consequenter tempus medium, — *respondetur* dicendo, quod non est assignare ultimum instans in quo materia illa fuit sanguis aut ovulum, sed est assignare ultimum tempus quod continuatur, nullo interveniente medio, ad primum instans in quo fuit caro Christi formata, quod instans fuit terminus temporis motus localis ad locum generationis [1].

12. — **Scholion.** — Porro quantitas corporis tunc sufficiens esse debuit, ut in ea salvari posset ratio corporis animati. Quantitas autem ista in prima animatione proportionatur quantitati perfectae, ad quam homo per debitum augmentum in perfecta aetate perventurus est, ita ut maiorum hominum corpora maiorem habeant quantitatem in illa prima animatione. Porro Christus ordinabatur ad habendam, in perfecta aetate, decentem et mediocrem quantitatem: ergo in illa prima animatione, corpus cui infusa est anima rationalis fuit quantitatis proportionate mediocris [2].

Conceptionem autem consecutum est augmentum, quo corpus perducitur ad quantitatem perfectam; quantitas enim corpori humano accommodata non consistit in indivisibili, sed suam habet latitudinem. Quapropter corpus Christi fuit in illo momento formatum minima quadam quantitate tali corpori congrua, quae postea debitum augmentum per nutritionem acceptura erat. Hoc autem augmentum successivum fuit, tum quia nequit compleri sine motu locali, motus autem localis est cum tempore, tum quia tale augmentum procedit ex virtute animae operantis in corpore iam formato; anima autem sic non operatur nisi in tempore, nam potentia augmentativa est in generato, ideoque in corpore, quod in Christo erat eiusdem speciei ac in nobis, et ita successive procedebat; dum e contra potentia generativa

[1] Ibid., ad 3um. — [2] Ibid., art. 2, ad 2um.

est in generante, qui relate ad Christum fuit, non sicut in caeteris hominibus semen viri, sed agens infinitae virtutis, scilicet Spiritus Sanctus [1].

13. — Corpus Christi formatum fuit in utero Virginis. Hic autem non inopportune notabitur, quam inepte a quibusdam dictum fuerit, Beatam Virginem non utero, sed corde Christum Dominum concepisse, quod quidem illi ponebant, ut Verbi Incarnati honori consulerent, cum eo indignum putarent in mulieris utero formatum fuisse. — At videntur isti ad Scripturae et Ecclesiae voces minime attendisse; cum in illa quidem expresse legamus [2]: *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto* [3]; haec vero solemniter cantet: *Tu, ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.*

At pressius considerandum est, non esse cor locum aptum conceptui, cum non sit ibi cavitas ad foetum formandum; sed nec univoce dici posset Maria Mater Dei, si aliis organis Christum concepisset, quam fert natura humana, sicut Adam nequit dici pater Evae, quamquam haec ex aliqua illius parte fuerit formata. Denique, tres circiter post Christi conceptum menses, Maria a S. Ioseph fuit praegnans deprehensa, quam ob rem de ea dimittenda cogitabat, quod certe haud fuisset, si circa pectus illam tumescentem deprehendisset: sic enim non de ea dimittenda, sed potius de curanda eius aegritudine fuisset ipsi cogitatio.

14. — Scholion. — Dicendum igitur, si quando apud sacrum auctorem legitur Maria Christum corde concepisse, figurate, non proprie, locutionem istam esse accipiendam: eo videlicet sensu, quod priusquam Christum carne utero suo complecteretur, illum fide ac spiritu, quae per cordis motum significantur, conceperit: hoc quippe sensu Ecclesia canit [4]: *Confirmatum est cor Virginis, in quo divina mysteria, Angelo nuntiante,*

[1] Cf. ibid., ad 4[um]. — [2] Matth., I, 18. — [3] Cf. Ibid., 23; Luc., I. 31. 41; Ibid., II. 21. 23. — [4] Resp. V. in Circumc. Domini.

concepit: tunc speciosum forma prae filiis hominum castis suscepit visceribus. Et Prudentius [1]:

> *Virginitas, et prompta fides Christum bibit alvo*
> *Cordis et intactis condit paritura latebris.*

Hoc demum sensu accipiendae sunt aliae et similes Patrum loquendi formulae, puta, cum dicunt Virginem *aure concepisse*, quo plane significatur, angelicam vocem, Virginis aure insonantem atque ab ea fide susceptam, tanquam instrumentum extitisse ad tantum miraculum complendum, qualis fuit Verbi Incarnatio.

Et per haec excluditur peregrina sententia cuiusdam Petri Lucensis, Canonici Regularis, qui, ut refert Iacobus Hyacinthus Serry [2], falsa mulierculae cuiuspiam testificatione delusus, Christum finxit in corde Virginis, aut certe in parte cordi proxima conceptum; ratus hoc modo melius honori ac dignitati Christi iri consultum.

15. — Prob. 2ª Pars. — In primo illo instanti formationis suae, corpus Christi animatum fuit anima rationali. Revera, ut conceptio ipsi Filio Dei attribuatur, sicut exigit fides nostra, ita in Symbolo proposita: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto*, necesse est dicere quod corpus Christi, dum conciperetur, esset a Verbo Dei assumptum. Atqui Verbum Dei assumpsit corpus mediante anima, et animam mediante spiritu, sive intellectu, ut fusius ostendit Angelicus [3]. Ergo in primo instanti conceptionis suae, corpus Christi fuit animatum anima rationali, a Deo tunc creata et corpori infusa [4].

16. — Corollarium. — Quocirca, in Christi conceptione quaedam perfectio invenitur, quae in aliorum hominum conceptione deest. Revera, in conceptione aliorum hominum, corpus, tamquam imperfecte dispositum, primo recipit animam imperfectam, scilicet vegetativam, et postea, quando est

[1] In carmine contra Homuncionitas. — [2] Exercitationes de Christo eiusque Virgine Matre. Exercit. 27, p. 182. — [3] Tract. de Incarn. Verbi, P. I, Quaest. VI, art. 1, 2 et 4. — [4] Ibid., P. II, Quaest. XXXIII, art. 2.

perfectius dispositum, hac abiecta, animam perfectiorem, nempe sensitivam, eductam videlicet de potentia materiae sicut prior; demum, quando est perfecte dispositum, animam recipit, similiter perfectam, videlicet animam rationalem a Deo creatam et corpori infusam [1]: corpus Christi vero, propter infinitam virtutem Spiritus Sancti formantis illud, statim in primo instanti recepit animam perfectam, id est rationalem. Porro, licet secundum tempus ista diversitas adesset inter animationem corporis Christi, et animationem corporis aliorum hominum, tamen animationis humanae idem fuit principium tum materiale, tum efficiens: materiale quidem, quod fuit corpus sufficienter dispositum; efficiens vero quod fuit Deus solus. Unde S. Leo Papa dicit [2]: *Non alterius naturae erat caro* (Christi) *quam nostra: nec alio illi, quam caeteris hominibus, anima est inspirata principio* [3].

17. – **Solvitur tacita obiectio.** – Obiicienti contra hanc doctrinam, Christum nonnisi post novem menses a sua conceptione natum esse, unde videtur concludendum illum non alio modo ab aliis hominibus conceptum fuisse, — facile *respondetur*, aut tempus sui partus Christum retardasse, ut modus suae conceptionis diabolo celaretur, aut melius nullam adesse necessitatem ut credamus mysterium conceptionis et nativitatis Domini nostri illis praecise diebus advenisse, qui in calendario ponuntur, cum Ecclesia tali dierum festorum designatione non aliud intendat, nisi quod determinatum mysterium honoretur, quocumque tandem die perfectum evaserit. Ceterum littera sacri textus aliud non suggerit, nisi ut intervallum tribus mensibus paulo maius praeteriisse agnoscatur inter annuntiationem et Christi nativitatem.

[1] Vide quae scripsimus in op. *L'opera dei sei Giorni*, etc. P. II. c. VI. nn. 15, seq. — [2] In Ep. *ad Iulian.*, quae est XXV, c. 3. Opp. T. I. Venetiis, 1748, p. 141. — [3] S. Thom., loco prox. cit. ad 1[m] et ad 3[m]. Cf. Tract. nostrum *De prima hominis formatione*. Quaest. XC. Appendix, pp. 36, seq. – Lectorem monemus, non esse ab hac doctrina recedendum ob rationes quas moderni plures congerunt, qui ut plurimum confundunt animam in genere, quae scilicet est principium vitae utcumque, cum anima rationali ut sic.

18. — Prob. 3ª Pars. – Corpus Christi in primo instanti suae conceptionis fuit a Verbo assumptum. Revera, Deus ita assumpsit id quod est hominis, ut non praeexisteret id quod est hominis, quasi per se subsistens, antequam susciperetur a Verbo: non enim dicimus quod *homo factus est Deus*, sed potius *Deus factus est homo*. Atqui si caro Christi fuisset concepta antequam a Verbo susciperetur, aliquando habuisset propriam hypostasim praeter hypostasim Verbi, et ita destrueretur veritas catholica de Incarnatione, quae sibi vult quod Verbum fuerit unitum humanae naturae et omnibus partibus eius in unitate hypostasis, et ita, aut retinuisset istam hypostasim, et sic duplex hypostasis in Christo fuisset, quod est haeresis Nestorii, aut debuisset praeexistentem hypostasim humanae naturae destruere, quod minus convenit: Verbum enim per opus Incarnationis nihil destruxit.

Quod si secus esset, deberet fingi Incarnationis mysterium, quasi ascensus alicuius praeexistentis, proficientis usque ad unionis dignitatem, quod profecto et Photino, inter veteres, arrisit et positivistis recentioribus ultro placebit: dum, e contra, Incarnatio potius est descensus, secundum quem perfectissimum Dei Verbum imperfectionem nostrae naturae sibi assumpsit; unde de Christo, *vero pane vitae*, dicitur quod de caelo descendit [1].

19. — Conclusio. — Ex hoc sequitur in Christo Domino fuisse simul concipi et conceptum esse [2], unde verum est dicere: Angelo nuntiante, concipitur Verbum, seu Deus; et quia ea quae concipit potest vere dici mater eius qui concipitur, ideo vere et catholice Beata Virgo *potest* dici Mater Verbi, seu Dei: — utrum tamen et qua ratione *debeat* etiam appellari Mater Dei, ostendetur sequenti articulo.

[1] Io., VI, 32, 33. Cf. 3, Quaest. XXXIII, art. 3, ad 3um. — [2] Cf. verba S. Fulgentii *L. De Fide ad Petr.*, c. 18, superius relata, n. 9, p. 68.

Articulus III. — *Utrum Beatissima Virgo sit Mater Dei.*

1. — Divinae maternitatis ad caetera fidei dogmata intima connexio. — Si quis in historiae studium attentius incubuerit, facile deprehendet Ecclesiam nil unquam antiquius habuisse, quam ut fidem in divinam Mariae maternitatem sartam tectamque tueretur: vix enim verbis exprimi potest, quantum se quovis tempore sollicitam exhibuerit de vindicando ab haereticorum impugnationibus huiusmodi dogmate. Cuius quidem non alia causa fuit, nisi quod, hac veritate adserta, caetera fidei dogmata implicite retineri, negata vero, totam fidei oeconomiam subverti oporteat.

Revera praecipui haereticorum errores ad tria capita de facili reduci possunt; vel enim Dei proprietates, sive in unitate essentiae, sive in trinitate personarum, denegant: vel divinarum ad extra operationum rationem perperam intelligentes, ponunt Deum se univoce, et quidem necessitate naturae, creaturis communicare: vel denique oeconomiam salutis humanae impetunt, peccati originalis existentiam et gratiae necessitatem subvertendo, ac Incarnationis veritatem destruendo. Atqui fides in divinam maternitatem ita hisce impugnationibus occurrit, ut nullo ex his errore maculari possit, qui Mariam Virginem vere et proprie Matrem Dei esse fateatur.

Siquidem nequit Beata Virgo agnosci vera Dei Mater secundum id quod fides catholica docet, nisi simul et unitas divinae essentiae, quae huius assumptionis principium extitit, et personarum distinctio, ex qua habetur ut sola secunda persona humanam naturam sua personalitate terminaverit, agnoscatur.

Rursus, ex hoc quod Deus singularem naturam humanam ex muliere assumpsit, omni naturarum confusione seposita, refellitur error opinantium Deum sic cum mundo commisceri, ut cum ipso *unum omnia* constituat, ut volunt pantheistae.

Praeterea, cum Verbum carnem humanam assumpserit ut hominem e peccati originalis abysso eductum ad caelestia, divina operante gratia, perduceret, iam professio fidei in divinam maternitatem cum ordinis supernaturalis agnitione intimo foedere nectitur.

Denique fieri haud valet ut Mariam quis agnoscat tanquam Verbi Incarnati veram Matrem, simulque eiusdem Verbi aut humanitati cum Apollinare, aut divinitati cum Nestorio quicquam impio ausu detrahat. Quocirca concludi potest, fide in divinam maternitatem Beatae Mariae Virginis omnes haereses ita destrui, ut eamdem Deiparam compellare possimus cum Ecclesia: *Gaude Maria Virgo cunctas haereses sola interemisti in universo mundo.*

2. — PROP. I. — Beatissima Virgo Maria debet dici Mater Dei.

3. — Exponitur. — Dei Genitricem esse Beatissimam Virginem Mariam, non modo divinae Scripturae testantur, sed etiam Ecclesiae solemne magisterium, concorsque Patrum sententia, necnon totius populi christiani sensus ita unanimi voce proclamant, ut propositio ista potius videatur probationibus obfuscari, quam inde maiora lucis incrementa percipiat.

Nos tamen, ne quid desit tractationis integritati, per ordinem exponemus, *primo*, argumenta ex Sacra Scriptura: *secundo*, definitiones Ecclesiae; *tertio*, Patrum auctoritates; *quarto*, theologicas rationes; quibus demum succedet difficultatum solutio.

4. — I. Ex Sacra Scriptura Novi Testamenti abundantissime eruitur veritas de divina maternitate Beatissimae Virginis Mariae.

Imprimis Angelus ad Virginem, divinum ferens nuntium, ait [1]: *Ecce concipies in utero, et paries filium... Filius Altissimi vocabitur.* ἰδοὺ συλλήμψῃ ἐν γαστρὶ καὶ τέξῃ υἱόν... υἱὸς ὑψίστου κληθήσεται, id est: *erit, et ita passim celebrabitur.* Et paucis

[1] Luc., I, 31, 32.

interiectis, sub alia forma, nuntium ingeminat [1]: *Quod ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei.* τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον κληθήσεται υἱὸς Θεοῦ. Atqui quae in utero concipit et parit filium est vere mater eius. Quod intelligens S. Elisabeth, ita cognatam suam salutabat [2]: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* πόθεν μοι τοῦτο, ἵνα ἔλθῃ ἡ μήτηρ τοῦ κυρίου μου πρὸς μέ; Magi quoque stellam secuti, dicuntur invenisse *Puerum cum Maria matre eius* [3], εὗρον τὸ παιδίον μετὰ Μαρίας τῆς μητρὸς αὐτοῦ. Demum vix in Scripturis Maria nominatur, quin expresse appelletur Mater Iesu, sicut [4]: *Nuptiae factae sunt in Cana Galileae, et erat Mater Iesu ibi.* καὶ ἦν ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ ἐκεῖ. Et [5]: *Stabat autem iuxta Crucem Iesu Mater eius*, etc., εἱστήκεισαν δὲ παρὰ τῷ σταυρῷ τοῦ Ἰησοῦ ἡ μήτηρ αὐτοῦ, κ. τ. λ. Unde tam aperta dicenda est divinarum Scripturarum Novi Testamenti hac in re auctoritas, ut concludere liceat cum S. Thoma [6]: (Maria) *in Evangelio non consuevit nominari, nisi cum cognominatione huius dignitatis, quod sit mater Iesu.* Unde et in Symbolo Apostolorum legimus de Christo: *Qui natus est ex Maria Virgine.*

5. — II. **Ex definitionibus Ecclesiae** iuvat potissima illa seligere testimonia, quibus evidentius ista veritas demonstratur.

Primo loco sit perceleber Canon primus Concilii Ephesini, in quo haec leguntur [7]:

Εἴ τις οὐκ ὁμολογεῖ Θεὸν εἶναι κατὰ ἀλήθειαν τὸν Ἐμμανουήλ, καὶ διὰ τοῦτο Θεοτόκον τὴν ἁγίαν παρθένον· γεγέννηκε γὰρ σαρκικῶς σάρκα γεγονότα τὸν ἐκ Θεοῦ λόγον, Ἀ. Ἐ.

Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, ac propterea Dei Genitricem Sanctam Virginem: peperit enim secundum carnem. carnem factum Dei Verbum, A. S.

Hac solemni definitione audita, gestiens populus Ephesinus, ut testatur S. Cyrillus in Epistola ad populum suum,

[1] Vers. 35. — [2] Vers. 43. — [3] Matth., II, 11. — [4] Io., II, 1. — [5] Ibid., XIX, 25. — [6] 3, Quaest. XXVIII, art. 3, ad 6um. — [7] Primus inter anathematismos S. Cyrilli. Cf. Denzinger, n. 113.

Patres acclamavit, et ad domos suas cum facibus comitatus est.

Pariter in Epistola Ioannis II ad Senatores Constantinopolitanos haec habentur [1]: *Gloriosam vero sanctam semper Virginem Mariam proprie et veraciter Dei Genitricem Matremque Dei Verbi ex ea incarnati ab hominibus catholicis confiteri recte esse docemus... Propterea ergo, quia proprie et veraciter Dei Filius ex ea incarnatus est, ideo proprie et veraciter Matrem Dei ex ea incarnati et nati esse confitemur* [2].

Non minus explicita sunt quae in Concilio generali V, canone sexto, leguntur [3]:

Εἴ τις καταχρηστικῶς ἀλλ' οὐκ ἀληθῶς θεοτόκον λέγει τὴν ἁγίαν ἔνδοξον ἀειπαρθένον Μαρίαν· ἢ κατὰ ἀναφοράν, ὡς ἀνθρώπου ψιλοῦ γεννηθέντος, ἀλλ' οὐχὶ τοῦ Θεοῦ λόγου σαρκωθέντος καὶ τῆς ἐξ αὐτῆς, ἀναφερομένης δὲ κατ' ἐκείνου τῆς τοῦ ἀνθρώπου γεννήσεως ἐπὶ τὸν Θεὸν λόγον ὡς συνόντα τῷ ἀνθρώπῳ γενομένῳ· καὶ συκοφαντεῖ τὴν ἁγίαν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον, ὡς κατὰ ταύτην τὴν ἀσεβῆ ἐπινοηθεῖσαν παρὰ Θεοδώρου ἔννοιαν, θεοτόκον τὴν παρθένον εἰποῦσαν· ἢ εἴ τις ἀνθρωποτόκον αὐτὴν καλεῖ ἢ χριστοτόκον·... Ἀ. Ἔ.

Si quis abusive et non vere Dei Genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam, aut per relationem, tanquam homine puro nato, non autem Deo Verbo ex ea incarnato, sed relata, secundum illos, hominis navitate in Deum Verbum tanquam cohaerens nascenti homini: et criminatur sanctum chalcedonense Synodum, tanquam secundum eumdem impium intellectum, a Theodoro commentatum, Dei Genitricem Virginem asserentem; aut si quis hominis genitricem vocat eam, aut Christi genitricem.. A. S.

Pariter, in professione fidei Orientalibus ab Urbano VIII praescripta, et a Benedicto XIV [4] confirmata, definitum habetur, *dicinitatem et humanitatem ineffabili et incomprehensibili unione in una persona Filii Dei unum nobis Iesum*

[1] Ibid, n. 202. — [2] Ex hoc tempore Ecclesia fovere coepit speciali studio repraesentationes Beatae Virginis puerum Iesum in brachiis aut ulnis gestantis, et circa caput habentis siglas MP-ΘY. — [3] DENZINGER, n. 218. — [4] Per Constit. NUPER AD NOS, 16 Martii 1743.

Christum constituisse, eaque de causa Beatissimam Virginem vere esse Dei Genitricem [1].

Demum eadem resonantur in Constitutione Pauli IV, *Cum quorundam*, contra Socinianos lata, A. D. 1555, et a Clemente VIII, per breve, *Dominici gregis*, A. D. 1603 confirmata, in qua damnantur asserentes *eandem beatissimam Virginem Mariam non esse veram Dei Matrem* [2].

6. — III. Patrum quoque traditio constans et unanimis est, Beatam Virginem esse vere Dei Matrem. Sic S. Cyrillus Alexandrinus scribit [3]: *Hilarem video coetum Sanctorum omnium, qui convenerant promptis animis a sancta et Dei Matre Maria semper Virgine convocati .. Sit etiam tibi, sancta Dei Mater, laus.* Rursus [4]: *Quia Deum hominem factum et incarnatum genuit, idcirco et appellamus eam Dei Matrem... Non quod divinitas ipsius initium, ut esset, acceperit, aut ad initium existendi per sanctam Virginem vocata sit, sed potius, ut dixi, cum ante saecula antecedens Verbum esset, ex illa secundum carnem natum esse dicitur; siquidem propria erat ipsius caro, sicut nostrum cuiusque est ipsius corpus.*

Nec minus expresse S. Ephrem, cum declarat, *ad verbum catholicae pietatis... faciendam omnino fidem, sufficere Dei Genitricem sentire esse, profiteriquc sanctissimam Virginem* [5].

Egregie quoque S. Maximus [6]: *Duas in Christo generationes legimus; sed in utraque incomprehensae divinitatis est virtus. Ibi enim illum ex semetipso genuit Deus; hic eum Virgo, Deo operante, concepit... Cum autem duas in Christo docemur nativitates, non his asseritur Dei Filius natus, sed geminia in uno Dei Filio confirmatur esse substantia... Itaque, non his natus est Deus, sed ex duabus nativitatibus, id est Dei et hominis, seipsum Unigenitus Patris, atque in sese hominem unum esse voluit Deum*

Haud dissimiliter loquitur S. Gregorius Nazianzenus, qui

[1] Denzinger, n. 1462. — [2] Ibid., n. 993. — [3] Homilia contra Nestorium. Migne, P. G., t. LXXVII, col. 991. — [4] Ep. I ad Succ. Migne, Ibid., col. 230. — [5] Apud Phot., *Cod.*, 228. Migne, P. G. t. CIII, col. 966. — [6] Hom. 1 de Nativ. Dom., Parisiis, 1641, p. 195.

ait [1]: *Si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est.* Et S. Ioannes Damascenus [2]: *Sanctam Virginem Dei proprie et vere Genitricem praedicamus: sicut enim verus est Deus qui ex ipsa natus est, ita perinde Dei Mater est, quae verum Deum ex se incarnatum genuit... Non enim hominem purum sancta Virgo genuit, sed Deum verum, non nudum, sed carne vestitum.* Quocirca, cum eodem concludendum venit [3]: *Sanctam Virginem neutiquam Christiparam nuncupamus, quia ad abolendum Deiparae vocabulum, Nestorius, impurus ille et execrandus, animoque iudaeus, ignominiae vas, in contemptum eius quae super omnem creaturam sola vere colenda est, Dei Genitricis... hoc nominis excogitavit quod obtruderet.*

Sed fas non est heic silentio praeterire egregia quae habet hac de re verba S. Epiphanius, quibus contra haereticos *antidicomarianitas*, ex cura quam Christus, dum in cruce penderet, de Maria habuit, arguit eam a Salvatore tanquam veram Matrem habitam fuisse. *Nisi vere*, ait [4], (Maria) *Mater eius exstitisset, a qua carnem acceperat, quaeque ipsum pepererat, non tantam ei curam adhiberet* (Christus in Cruce pendens), *ut perpetuam Virginem commendaret, quae et Mater ob susceptum ex ipsa corpus fuisset, et ob illius honorem, atque admirabile corporis sui vas, nullam labem admisisset.*

Denique Ven. Beda ita argumentatur [5]: *Quae enim Deum edidit, quomodo Θεοτόκος id est Dei genitrix non esse potuit?* Et iterum [6]: *Sanctum, inquit, vocabitur Filius Dei. Quid hic dicis, Nestoriane, qui beatam Mariam Dei negans esse Genitricem, apertam niteris impugnare veritatem? Ecce Deum dixit superventurum, Dei Filium nasciturum. Quomodo ergo aut Dei Filius Deus non est, aut quae Deum edidit, quomodo Theotocos, id est, Dei genitrix, non esse potest?*

[1] Ep. CI, quae est II ad Cledon. Presb. Parisiis, 1842, t. I, p. 85. — [2] L. III *Fid. orthod.*, c. 12, t. I, p. 222. — [3] Loc. cit., p. 223. — [4] L. III *adversus Haeres.*, Colon. 1682, t. II, p. 1043. — [5] Homil. hiem. de Tempore, Feria IV Quat. temp., Migne, P. L., t. XCIV, col. 527. — [6] L. I in Luc., c. 1, Ibid., t. XCII, col. 315.

7. — IV. Prob. rat. theol. Omne nomen quod significat naturam aliquam in concreto, potest supponere pro qualibet hypostasi illius naturae. Porro, unio Incarnationis est facta in hypostasi, unde nomen istud *Deus* potest supponere pro hypostasi illa quae, praeter divinam naturam, habet etiam humanam naturam. Atqui de quacumque hypostasi possunt praedicari in concreto ea quae sunt naturae in qua illa hypostasis subsistit; ideoque quidquid convenit divinae naturae vel humanae potest attribui illi personae, sive significetur nomine divinae naturae, ut Deus, sive nomine humanae naturae, ut homo. Atqui concipi et nasci attribuuntur personae et hypostasi secundum naturam illam in qua concipitur et nascitur. Ergo, cum humana natura fuerit assumpta a divina persona in ipso conceptionis principio, hinc vere dicitur: *Deus est conceptus et natus de Virgine*, et consequenter: *Beata Virgo est Mater Dei*, cum ex eo quod mulier aliquem concipit et generat, dicitur eius mater.

Brevius: Quae concipit et generat Deum, est mater eius. Atqui Beata Virgo concepit et genuit Deum. Ergo Beata Virgo est Mater Dei.

Minor declaratur. Beata Virgo genuit aliquem qui est divinae naturae, cum nunquam ille fuerit homo, quin esset Deus. Sed hypostasis alicuius naturae potest significari nomine significante naturam illam in concreto. Ergo Beata Virgo concepit et genuit Deum. Ubi hoc nomen *Deus*, licet sit commune tribus personis, tamen in casu supponit pro sola persona Filii, sicut quando dicitur: *Deus generatur*, nomen *Deus* supponit pro sola Filii aeterni persona.

8. — Confirmatur. — I. Ab indirecto. Si quis neget Beatam Virginem esse Matrem Dei, hoc nonnisi ex duplici capite fingi potest.

Vel, *primo*, quia ponit humanitatem prius fuisse subiectam conceptioni et nativitati quam assumptam, quod Photinus asserere non est veritus, ponens in Christo ascensum, quasi alicuius praeexistentis, usque ad unionis dignitatem. Sed si ita foret, Christus habuisset aliquando aliam hypostasim ab hypostasi Verbi, unde sequeretur etiam quod

homo esset factus Deus, quae omnia in tractatu de Incarnatione excluduntur [1].

Vel, *secundo*, aliquis negabit Beatam Mariam esse Matrem Dei, quia ponit quod humanitas non fuit assumpta in unitatem personae vel hypostasis. Sed haec est haeresis Nestoriana iamdiu ab Ecclesia damnata.

9. — II. Directe. — Generatio ad suppositum terminatur. Atqui pro termino generationis, quae in Virgine est peracta, nullum aliud suppositum potest adsignari, nisi persona Filii Dei. Ergo Beata Virgo generavit Filium Dei, et proinde est et dici debet Mater Filii Dei. Licet igitur actio Virginis terminata fuerit ad humanitatem prius ratione, quam haec uniretur Verbo, tamen quia eodem instanti conceptionis Verbum terminavit et hypostatice sibi univit illam humanitatem, ideo conceptionis terminus est persona Verbi unita humanitati.

10. — Quaestio. — *Quot miracula in Christi conceptione et nativitate sunt agnoscenda?*

Respondeo: duo in conceptione, unum vero in nativitate.

— Et quidem, primum miraculum in Christi conceptione in hoc consistit quod non vir, ut in aliis conceptibus, sed Spiritus Sanctus Virginem fecundavit; cui rei addi debet instantanea perductio materiae a matre subministratae usque ad perfectam corporis formationem: quae quidem perductio habet rationem mutationis substantialis. Cum enim semen maris, ex sui cum mulieris ovulo fusione, illud non statim perducat ad determinatam hominis formam, cum anima humana non possit recipi in corpus nisi sufficienter dispositum [2], tamen virtus divina, quae non est determinata ad certum quemdam effectum producendum, sed potest immediate movere quamcumque materiam, eo praecise quia nullo determinato subiecto indiget ad operandum, transmutavit

[1] Cf. ea quae scripsimus in Tractatu *De Incarnatione Verbi*, Quaest. II; et Vol. II, Quaest. XVI, art. 7. Cf. etiam verba S. Fulgentii, Lib. *De Fid. ad Petr.*, c. 18, relata n. 9 praec. articuli, p. 68. — [2] Cf. supra, art. 2, nota 3.

immediate in corpus Christi materiam a matre ministratam, sicut olim transmutaverat limum terrae in corpus Adae [1], quod profecto virtus naturalis facere non potest, cum haec non possit transmutare ad certam formam nisi determinatam et dispositam materiam [2].

Quod autem ad nativitatem attinet, miraculum unum in hoc attendendum est, quod Christus ex utero clauso Matris suae exierit, secundum illud Isaiae dicentis [3]: *Ecce Virgo concipiet et pariet Filium*: non enim decebat ut hospitium quod ingressus sanctificaverat, Dominus egressus devirginaret [4]. Hoc autem fecit Christus, non assumendo dotem subtilitatis, ad subtilitatem enim non spectat quod duo corpora simul esse possint, sed per speciale miraculum.

Ad rem pius auctor, sub nomine S. Augustini [5]: *Virgo genuit, quia Virgo concepit: inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Utrobique miraculum, et sine corruptione gravida, et in partu Virgo puerpera.*

11. — Scholion. — Celebris extitit saeculo IX controversia inter Paschasium Ratbertum, Abbatem Corbeiensem, et Ratramnum, monachum pariter Corbeiensem, circa modum quo Salvator de utero Matris egressus est. Et hic quidem modum naturalem, licet absque integritatis damno, quod utique contradictionem implicat; ille vero, ut catholica fert veritas, editionem simpliciter miraculosam praedicabat [6]. Circa modum egressus Christi ex utero Matris, ad rem faciunt verba S. Bonaventurae [7]: *Oritur germen in vite ita quod vitem fecundat et implet, sed integritatem eius nec aperit, nec polluit nec infrangit. Per hunc modum nascitur Deus in Virgine, ita ut eam impleat, fecundet et sanctificet, nec frangat, nec violet, nec contaminet.*

[1] Cf. 3, Quaest. XXVIII, art. 1, ad 5um. — [2] *Del Miracolo*, cap. IV, § III; et cap. VI, § V: 2^{a} Ed. — [3] VII, 14. — [4] Cf. 3, Quaest. XXVIII, art. 2. — [5] Serm. CXX in Nativ. Dom. n. 2, t. V, App., col. 219. — [6] Extat Paschasii tractatus de *Partu Virginis* (Patr. lat., t. CXX); Ratramni vero Lib. de *Nativitate Christi* (P. L. t. CXXI). — [7] In Serm. XII de temp. Ad Claras Aquas, t. IX, 1901, p. 100.

12. — Difficultates ex Sacra Scriptura. — Obiiciebat Nestorius, nunquam legi in Sacra Scriptura quod Maria sit Mater aut Genitrix Dei, sed tantum aut Christi, aut pueri: sed non est dicendum, circa divina mysteria, nisi quod ex Sacra Scriptura habetur. Ergo Beata Virgo non est Mater Dei.

Respondet S. Doctor [1] quod licet non inveniatur in Sacra Scriptura expresse dictum quod Beata Virgo sit Dei Mater, tamen in Sacra Scriptura expresse invenitur quod Iesus Christus est verus Deus [2], et quod Beata Virgo est Iesu Christi Mater [3]; unde ex necessitate sequitur, ex verbis Sacrae Scripturae, quod Beata Virgo sit Mater Dei. Quapropter, valet huiusmodi argumentum: *Iesus Christus est Filius Mariae. Atqui Iesus Christus est Deus. Ergo Deus est Filius Mariae.* Ubi tamen hoc nomen Deus, exigentia logica, supponit particulariter, id est, non pro omnibus personis Sanctissimae Trinitatis, sed pro determinata persona: est enim in minori praedicatum propositionis affirmativae, ideoque particulariter tantum supponit [4].

Confirmatur haec responsio auctoritate S. Pauli [5]: *Ex quibus* (Iudaeis) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula,* καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα (id est, quantum ad carnem attinet), ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Atqui Christus non est ortus ex Iudaeis, nisi mediante Beata Virgine. Ergo qui est super omnia Deus benedictus in saecula, est vere natus, tanquam ex sua Matre, ex Beata Virgine.

Ex quibus facile deducitur nos rite loqui de antecessoribus, sive de maioribus Filii Dei secundum carnem, et

[1] 3, Quaest. XXXV, art. 4, ad 1um. — [2] 1 Io., V, 20. — [3] Matth. II, 11. — [4] Legitimam esse hanc argumentationem ex hoc deducitur quod propositio singularis, considerata in sua ordinabilitate logica, aequiparatur propositioni universali, non modo in quantum est de uno subiecto, sed etiam in officio logico, quia subiectum illius, utpote indivisibile, affirmationem aut negationem determinate recipit, non secus ac subiectum propositionis universalis, quod est quoddam totum singulas partes per modum unius comprehendens. Cf. Card. Lorenzelli, *Phil. Theor. Instit.*, Vol. I, Logic, 3^{a} p., L. I, n. IX p. 89. Romae, 1896. — [5] Rom., IX, 5.

de eo recte texi genealogiam. Quod Iudaeis adeo persuasum erat, ut sibi singulariter honori ducerent, inter Messiae progenitores connumerari, quae aestimatio eousque percrebuerat, ut virginitatem despicerent, quam obstare putabant procreando secundum carnem Filio Dei.

Dices: Secundum divinam Scripturam, Beata Virgo eodem censu est mater Iesu, quo sanctus Ioseph est eius pater; dicebant enim Iudaei [1]: *Nonne hic est Iesus Filius Ioseph, cuius nos novimus patrem et matrem?* Quinimmo Beata Virgo sibi acquiparat sanctum Ioseph in eo quod pertinet ad ius in prolem [2]: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.* Atqui sanctus Ioseph numquam dictus est pater Dei. Ergo nec Beata Virgo dicenda est mater Dei.

Resp. Imprimis si valeret argumentum, negandum foret Christum esse vere conceptum aut vere natum de Virgine, cum conceptus et natus non sit ex sancto Ioseph; probatum est autem supra, Christum, secundum fidem catholicam, vere fuisse conceptum de Virgine, quippe quae ipsi carnis suae materiam ministravit, sub activitate Spiritus Sancti fecundatam. At sanctus Ioseph nihil omnino praestitit, sive active sive passive, in conceptione Christi; ideoque signanter dicit S. Matthaeus [3]: *Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Iesus.* Immo S. Ioseph Christi conceptionem ignorabat: *Ioseph autem vir eius* Mariae, *cum esset iustus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam* [4].

Possumus igitur vocare sanctum Ioseph Christi patrem secundum hominum aestimationem, ineffabile arcanum mirabilis conceptionis Christi ignorantium; unde dicitur [5]: *Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph*; aut melius, ut alibi traditur [6], ratione veri coniugii inter ipsum et Mariam, vi cuius illud ad maritum pertinet, quod ex uxore, extra adulterium, concipitur, sicut quod in domini fundo nascitur, domini est [7]: et hoc sensu

[1] Io., VI, 42. — [2] Luc., II, 48. — [3] I, 16. — [4] Ibid., 19. — [5] Luc., III, 23. — [6] Vide tract. n. de S. Ioseph. P. II, art. 6 et 7. — [7] *Natus est Iesus in terra, seu fundo ipsius Ioseph*, aiebat Gersonius, Serm. in Conc. Constant., consid. 4. Card. Vives. Summa Ioseph., n. 194.

Beata Virgo sanctum Ioseph Filii sui patrem appellavit, nec sine causa, cum ingentis tunc doloris recordatione opprimeretur, illis vero, qui in magna angustia sunt positi, mos sit dulcia quaeque nomina, ad dolorem magis patefaciendum adhibere.

Instabis: Christus in Scripturis nunquam invenitur Mariam vocitasse Matrem, immo interdum hoc potius negasse videtur, ut verbi gratia, quando dixit [1]: *Quae est mater mea* [2]? quinimmo, in Cruce pendens Mariam ita alloquitur [3]: *Mulier, ecce filius tuus.*

Resp. Licet non legatur quod Christus Beatam Virginem Matris nomine sit allocutus, illam tamen ut Matrem habuit; fuit enim illi subditus [4], et in cruce moriens eam Ioanni commendavit [5]. Sed et turbae Mariam Matrem Christi constanter agnoscebant et interdum etiam acclamabant, ut patet in citato S. Matthaei loco [6]: *Dixit autem ei quidam: Ecce Mater tua et fratres tui foris stant quaerentes te:* et S. Ioannes, discipulus Christi, in superius citato loco, praemiserat: *Dicit Matri suae: Mulier*, etc. Quinimmo, et mulier quaedam de turba exclamavit [7]: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti*; sed et ipsa Beata Virgo Iesum non diffitetur suum Filium nominare [8]: *Fili, quid fecisti nobis sic?*

Atqui, Christus, dato quod non fuisset vere Filius Mariae, debuisset, utpote veritatis magister, turbas corrigere, et vetare ne vocaretur, sive ab extraneis, sive maxime a Maria, nomine quod sibi non competebat [9]. Hoc autem nullatenus praestat; sed dum appellativum tacite agnoscit, corrigit Iudaeorum materialem intellectum, iubens ut altius sua studia dirigant, beatitudinem potius in interna cordis sanctitate, quam in carnis ad Christum cognatione collocando.

[1] Matth., XII, 48. — [2] Cf. vers. 49 et 50. — [3] Io., XIX, 26. — [4] Luc., II, 51. — [5] Io., XIX, 27. — [6] Vers. 47. — [7] Luc., XI, 27. — [8] Ibid., II, 48. — [9] Obiicienti Christum non correxisse falsam turbarum existimationem, sentientium S. Ioseph fuisse verum eius patrem, respondetur praecise divina dispositione factum fuisse ut Ioseph Christi pater ab hominibus tunc haberetur, ut scilicet partus divinus et diabolo et iudaeis carnalibus celaretur.

Quod autem Mariam ipsemet Dominus non appellet Matrem suam, congruit fini susceptae missionis, qui erat ut suam divinitatem manifestaret; unde, cum ab hominibus tanquam Mariae Filius ultro agnosceretur, potius ipsi insistendum fuit in sua a Patre aeternali origine; praeterea, qui venerat *separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam et nurum adversus socrum suam* [1], primus huius abrenunciationis exempla praebere debebat, ostendens propter consanguineos non esse opus Dei praetermittendum.

Sed et maioris gloriae titulus confertur Virgini Beatae, quod mulieris nomine a Christo appelletur, quam quod vocetur Mater: hoc enim innuitur Filium Dei Matris suae fortitudinem et excellentiam in opere Redemptionis humanae voluisse commendari, quasi haec, personalibus relationibus posthabitis, totam se operi, ad quod vocata fuerat, peragendo, dediderit. Quod si quando Christus illam arguisse videtur, ut illo loco [2]: *Quid mihi et tibi est, mulier?* — hoc ideo est, quia ad divinitatem suam volebat ut attenderetur, ad quam pertinet miraculorum patratio, propria Dei operantis virtute; licet non abnueret et propriae humanitatis et Matris suae in illo opere complendo instrumentalitatem. Unde Christus plus praestabat quam quod Mariam vocitaret Matrem suam: quandoquidem agnoscebat illam esse *mulierem fortem* κατ' ἐξοχήν [3], quam sibi in redemptionis opere sociam adsciverat.

13. **Difficultates ex ratione theol.** — Divina natura non accepit initium essendi ex Virgine. Atqui Christus dicitur Deus secundum divinam naturam. Ergo beata Virgo non est dicenda Mater Dei.

Respondet S. Thomas [4] quod Beata Virgo dicitur Mater Dei, non quia sit Mater divinitatis, sed quia est secundum humanitatem Mater personae habentis divinitatem et humanitatem. Qua in re notanda sunt pulcherrima verba S. Cyrilli, hanc difficultatem solventis [5]: *Sicut hominis anima cum*

[1] Matth., X, 35. — [2] Io., II, 4. — [3] Prov., XXXI, 10. — [4] 3 Quaest. XXXV, art. 4, ad 2um. — [5] Ep. IV *contra Nest.* Migne, P. G. t. LXXVII, col. 47.

proprio corpore nascitur et tanquam suum reputatur, et, si voluerit quispiam dicere quod est genitrix carnis, non tamen et animae genitrix, nimis superflue loquitur, — tale aliquid gestum percipimus in generatione Christi; natum est enim ex Dei Patris substantia Dei Verbum; quia vero carnem assumpsit, necessarium est confiteri quod natum est secundum carnem ex muliere [1].

14. — **Conclusio.** — Ex quibus constat Beatam Virginem esse Dei Matrem vere et proprie, non abusive, ut Nestoriani blasphemantes admittebant, quasi illa genuisset hominem aliquando ad divinam dignitatem evehendum, ex eo quod et Deus in illo habitaverit sicut in templo, et unitatem affectuum cum illo habuerit, et honore et denominatione illum voluerit haberi ut Deum; eo fere censu quo aliqua mulier episcopi mater dici potest, eo quod genuerit hominem, ad dignitatem episcopalem postea evehendum. Quae blasphemia, quantum Filio Dei de Matris suae honore perquam sollicito displicuerit, argui potest ex infelici Nestorii exitu, cui morienti, ut referunt Evagrius [2] et Nicephorus [3], linguam vermes exederunt, ex qua in totum corpus putredo pervenit, ut ex Theodoro et Cedreno refert Baronius [4].

Quae ita cum sint, concludendum est, non modo licitum esse Mariam vocare Matrem Dei, sed etiam catholice exigi ut veritatem hanc confiteamur, ita ut qui hoc inficias eat, iam naufragium in fide fecisse credendus sit: sic enim Nestorio consentit, Deiparam, Christi, non Dei, Matrem pervicaciter dictitanti; ex quo demum hoc evincitur, haereticorum negationes occasionem fuisse maioris et amplioris catholicae fidei professionis. — *Multa quippe ad fidem ca-*

[1] Cf. S. Thom., Ibid. — [2] L. I. c. 7. ed. I. Bidez, London, 1890, p. 12. — [3] *Hist.*, L. XIV, c. 36. Paris, 1630, t. II, p. 491. — [4] T. V, ad A. D. 436. Scite advertit Petavius, plus significari nomine graeco Θεοτόκος, quam latinis nominibus *Dei Genitrix* et *Deipara:* siquidem illud in se unite continet quod ista duo divisim; quorum tamen primum praeferendum est, cum Maria non solum pepererit, sed vere genuerit Deum; unde et Nestorianus Beatam Virginem Deiparam forsan ultro confitebitur, minime vero Dei Genitricem. Petav., *De Incarnat.* L. V, c. XV.

tholicam pertinentia, ait S. Augustinus [1], *dum haereticorum callida inquietudine excogitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius praedicantur. Ab adversario mota quaestio discendi existit occasio* [2].

15. – Verba Ven. Bedae. Coronidis loco iuvat heic referre egregia verba, quibus sanctus Beda [3] divinam maternitatem illustrat et defendit ; qui commentans mulieris exclamationem [4]: *Beatus venter qui te portavit*, etc., — ait: *Magnae devotionis et fidei haec mulier ostenditur quae, scribis et pharisaeis Dominum tentatibus simul et blasphemantibus, tanta eius Incarnationem prae omnibus sinceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur, ut et praesentium proceram calumniam, et futurorum confundat haereticorum perfidiam. Nam sicut tunc Iudaei, Sancti Spiritus opera blasphemando, verum consubstantialemque Patris Dei Filium negabant, sic haeretici postea negando Mariam semper Virginem, Sancti Spiritus operante virtute, nascituro cum humanis membris Unigenito Dei carnis suae materiam ministrasse, verum consubstantialemque matri filium hominis fateri non debere dixerunt.*

Sed si caro Verbi Dei secundum carnem nascentis a carne Virginis matris pronuntiatur extranea, sine causa venter qui eum portasset, ubera quae lactassent beatificantur... (Dicit autem Apostolus) [5]: QUIA MISIT DEUS FILIUM SUUM FACTUM EX MULIERE, FACTUM SUB LEGE. *Neque audiendi sunt qui legendum putant : Natum ex muliere, factum sub lege, sed factum ex muliere : quia conceptus ex utero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne : alioquin nec vere Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine.*

Et nos igitur his contra Eutychen dictis, extollamus vocem cum Ecclesia catholica, cuius haec mulier typum gessit : extollamus et mentem de medio barbarum, dicamusque Salvatori :

[1] L. XVI *de Civ. Dei*, c. II. n. 1. t. VII, col. 415. — [2] Vide quae scripsimus in opere *de Stabilitate et Progressu Dogmatis*, 2 ed., p. 181. — [3] L. IV in Ev. S. Luc. MIGNE. P. L., t. XCII. col. 479. — [4] LUC. XI. 27. — [5] GAL., IV. 4.

Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti. Vere enim beata parens, quae, sicut quidam ait [1],

ENIXA EST PUERPERA REGEM CUIUS
NUMEN ET AETERNO COMPLECTENS OMNIA GYRO,
IMPERIUM SINE FINE MANET: QUAE VENTRE BEATO,
GAUDIA MATRIS HABENS CUM VIRGINITATIS HONORE,
NEC PRIMAM SIMILEM VISA EST NEC HABERE SEQUENTEM
QUI CAELUM TERRAMQUE TENET PER SAECULA [2].

[1] SEDULIUS. — [2] Circa praedicta verba: *Beatus venter*, etc., vide ALEX. M. PLANCH, O. S. M., *Vita B. M. V.* Oeniponti, 1762, pp. 191, seq. Liceat hic Richardi a S. Laurentio, olim poenitentiarii Rhotomagensis (floruit circa medietatem saeculi tertiidecimi) versus, quibus Deiparam pie compellat, pro lectoris aedificatione referre:

Festina miseris misereri, Virgo Beata,
Nam, si te recolis, miseri fecere beatam:
Ergo bea miseros, quorum te causa beavit

De Deipara, L. IV, 22, in fine opp. B. Alberti Magni, t. XX. — Facere non possumus quin hic adnotemus quomodo vel non catholici poetae magnam Dei Matrem, inspecta eius praecellenti dignitate ac insigni sanctitate, laudibus extulerint. Sic Wordsworth eam compellat:

Mother, whose virgin bosom was uncrost
With the least shade of thought to sin allied
Woman, above all women glorified,
Our tainted nature's solitary boast.

Shelley quoque, licet fidei luce careret:

Sweet Benediction in the eternal curse!
Veiled glory of the lampless Universe!
Thou Wonder and Thou Beauty and Thou Terror!
Thou Harmony of Nature's art.

CAPUT III.

De consequentibus divinam maternitatem.

PROLOGUS.

Ratio et ordo capitis. — Habito, secundum fidei et theologiae principia, quod Beatissima Virgo est vere et proprie Mater Dei, pronum est ut, iuxta praemissa, ea perpendantur, quae ad divinam maternitatem immediate consequi intelliguntur, quae sunt ut Matris Dei dignitas *primo* in semetipsa consideretur (art. 1), et *secundo* in eo quod consequitur ad relationes quas fundat, hinc per respectum ad Christum, secundum huius ad suam matrem subiectionem (art. 2), illinc, per respectum ad totam Trinitatem, in quantum Maria, ex quo Verbi Mater effecta est, propius qualibet alia pura creatura ad tres divinas personas accesserit (art. 3).

Hinc, tria hic quaeruntur:

Primo. De Matris Dei dignitate.

Secundo. De Christi erga Matrem officiis.

Tertio De relatione Beatae Virginis ad Sanctissimam Trinitatem.

Articulus I. — *De Matris Dei dignitate.*

1. — **Ratio articuli.** — Praesentis articuli intentio est ut determinetur divinae maternitatis dignitas per respectum ad totum ordinem creatae rei. Porro, cum inter creatas res, potissima sit unio beatae mentis ad Deum per gratiam et gloriam, ideo hic proprie dubitatur utrum divina maternitas, nude ac solitarie inspecta, superet ordinem gratiae et gloriae. Dicitur, *nude ac solitarie inspecta*, id est quatenus formaliter et simpliciter maternitas est; si enim divina maternitas adaequate sumatur, scilicet pro illo omnium gratiarum et donorum cumulo, quem Matris Dei dignitas de lege Dei

ordinaria secumfert, non est ambigendum illam sic supergredi omnem ordinem gratiae et gloriae: eo vel magis quod gratia et gloria Beatae Virginis longe superant gratiam et gloriam cuiuscumque alterius purae creaturae, ut suo loco dicetur [1].

2. — **Sententiae.** — Quod Matris Dei dignitas, nude ac solitarie inspecta, sit maior omni gratia sanctificante, non omnes theologi admittunt: non desunt enim qui putant cum Suarez [2], cui et Vasquez consentit, unionem mentis cum Deo per gratiam, potiorem esse unione creaturae ad Deum per maternitatem. Hanc autem sententiam fulciri volunt illis Christi verbis, quibus mulierem redarguebat, quae magnificaverat ventrem qui eum portaverat: *Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud* [3].

Nos autem contendimus maternitatem divinam facere maiorem unionem cum Deo, quam gratia sanctificante aut ipsa gloria animae procuretur. Unde sit

3. — PROP. I. — **Dignitas Matris Dei superat totum creatum ordinem gratiae et gloriae.**

4. — **Prob.** — α) **Ex parte termini utriusque unionis.** - Gratia sanctificans et gloria faciunt hominem esse filium Dei adoptivum, consequenter filium Dei per participationem; dum e contra divina maternitas facit Beatam Virginem esse Matrem Dei naturalem, per se, vere et proprie. Atqui maior est unio cum Deo in eo qui per se refertur ad Deum, quam in eo qui refertur ad Deum tantummodo per aliud et per participationem. Ergo unio quam facit divina maternitas potior est unione quam facit gratia et gloria.

Ad cuius rei evidentiam, advertendum est quod relatio hominis ad Deum secundum adoptivam filiationem exurgit quidem ex operatione cognoscendi et amandi Deum in se; sed ista operatio supponit habitum gratiae, quo potentia informatur, et proinde filius adoptivus non immediate refertur ad Deum, sed mediante habitu gratiae. Pariter relatio

[1] P. II, c. I, art. 5 et 6. — [2] In 3 P., Quaest. XXVII, art. 1, Sect. II. — [3] Luc., XI, 28.

Matris Dei ad Deum ipsum exurgit ex operatione generandi Deum; at ad huiusmodi operationem non requiritur habitus medius, ideoque Beata Virgo ut Dei Mater immediate refertur ad Deum, et sic propriissime divinitatis fines attingit.

Accedit quod, licet operatio intellectus, utpote altissimae potentiae, altior sit operatione generativae virtutis, quae est inferior potentia, tamen, quia generans generat sibi simile secundum formam naturalem et substantialem, intellectus autem sibi simile producit tantummodo secundum formam intentionalem et accidentalem, ideo unio quam facit divina maternitas tanto altior est unione beatae mentis ad Deum, quanto res aliqua specie illius rei altior est.

Praeterea, unio per gratiam, salvo subiecto, cessare potest, et etiam, absolute loquendo, unio per gloriam; at fieri nequit, etiam de potentia Dei, ut Maria cesset esse mater Dei: Deus enim facere nequit ut quod fuit non sit factum.

5. — γ) **Ex ratione mensurae et mensurati.** — Dona gratiae et gloriae, ceteraque charismata inde provenientia ita Deus in Beata Virgine congessit, ut eorum mensura fuerit ipsamet maternitas divina; unde ex hac parte maternitatis divinae proprietates aliquando dici solent. Atqui mensura est potior mensurato [1]: propter quod enim unumquodque tale et illud magis. Ergo divina maternitas est potior omnibus donis gratiae et gloriae.

Ideo radix totius gratiae in Maria extitit ipsa divina maternitas, iuxta illud S. Augustini [2]: *Inde novimus tantam gratiam illi* (scilicet Mariae) *esse collatam, quia Deum concipere meruit ac parere.*

[1] Obiicienti dispositiones ad gratiam esse etiam mensuram gratiae, et tamen non esse potiores ipsa gratia. — *respondetur* huiusmodi dispositiones esse mensuram gratiae secundum ordinem causae materialis, quae infima est inter causas; divina autem maternitas est mensura gratiae in Beata Virgine secundum ordinem causae finalis: ei enim data est tanta gratia, ut *congrua* fieret Mater Dei: finis autem potior est iis quae sunt ad finem. — [2] L. *De natura et gratia*, c. 36, t. X, col. 145.

6. — γ) Ex cultu propter divinam maternitatem debito. — Accedit quod Beatae Virgini, praecise ratione divinae maternitatis, debetur cultus hyperduliae [1]: ut autem est gratia et virtutibus ornata, duliae cultum tantummodo obtinet. Atqui cultus hyperduliae cultu duliae altior est, cum alicui tribuatur ratione cuiusdam excellentiae alias quascumque excellentias supergredientis [2]. Ergo praestat dignitas Matris Dei toti creato ordini gratiae et gloriae.

Quam veritatem etiam ex modo loquendi divinarum Scripturarum firmare possumus; nam, ut observat Angelicus Doctor [3], *Beata Virgo ante nativitatem* Christi, *ab Angelo nominatur coniux* [4], *sed post nativitatem non, et hoc propter duo: primo, ad commendationem Virginis: sicut enim virgo concepit, ita virgo peperit; secundo, propter dignitatem eius: erat enim Mater Dei, qua dignitate nulla maior; et denominatio fit a digniori.*

7. — Solvuntur obiectiones. — I. Nec obstant recitata verba [5], *Quinimmo beati*, etc.; — his enim verbis Christus aliud evincere noluit, nisi quod unio hominis ad Deum per gratiam facit hominem beatiorem, quam unio per divinam maternitatem, quod ultro concedimus. Licet enim divina maternitas collocet subiectum illius in ordine quodam supremo, et ita illud afficiat ineffabili et incomparabili dignitate, non tamen propterea illud beatum simpliciter facit, cum beatitudo consistat in actu fruitionis divinae Essentiae.

Quapropter, cum in tractatu de Incarnatione [6] fusius ostendatur non omnino repugnasse quod Deus assumpserit aliquam naturam natura humana inferiorem, sequeretur exinde, nec illum secundum talem naturam, nec id unde secundum hanc naturam processisset, gratiae aut beatificae visionis capax existere, et proinde non simpliciter beatum esse: quod tamen non impediret quominus et Verbum ita incarnatum, et illa res unde processisset secundum talem naturam, maiori dignitate donarentur, quam sit dignitas

[1] Cf. 3. Quaest. XXV. art. 5. — [2] Cf. P. II. c. II, art. 2. — [3] In Cap. II S. Matth. — [4] Matth., I, 5. — [5] Luc., XI, 28. — [6] Vide 3, Quaest. IV, art 1.

quam homini confert, in alio quidem ordine, gratia et gloria. Licet igitur divina maternitas sit maior, altior, dignior et nobilior cum Deo coniunctio coniunctione per gratiam et gloriam, tamen non maternitate Beata Virgo formaliter beatificatur, sed gratia et gloria.

II. Nec dicatur, in visione beatifica mentem immediate uniri Deo, divinam autem maternitatem non immediate unire Beatam Virginem Deo, sed mediante humanitate quam Christo praebet; — nam visio beatifica est immediata cum Deo unio in ordine logico, non autem in ordine reali. Fit enim divina essentia veluti species mentem beatam immediate informans [1]; sed divina maternitas facit coniunctionem cum Deo physicam, non quidem immediatam omnino, sed mediante humanitate Christi: coniunctio autem in esse physico est superior quam coniunctio quaecumque in ordine logico.

8. — **Corollarium.** — Ex hoc tamen perperam deduceretur, sanctos Ioachim et Annam coniunctionem cum Deo maiorem habere ex eo quod extiterint parentes Matris Dei, quam ex eo quod gratiam et gloriam sortiti sunt. Nam, imprimis, si ita esset, haec ratio valere deberet etiam pro omnibus Christi progenitoribus, quos inter plures extiterunt peccatores. Deinde, licet isti Sancti rectissime honorentur, propterea quod ex ipsis nata est Dei Mater, bonitas enim filiorum redundat in parentes, secundum illud [2]: *Filius sapiens laetificat patrem*, — tamen accidit beatis Ioachim et Annae quod eorum filia Deum conceperit, sicut accidit patri quod filius eius vicissim pater existat, ideoque divinae maternitatis excellentia usque ad eos formaliter nobilitandos non pertingit.

9. — PROP. II. — **Unio quam ex divina maternitate Beata Virgo habet cum Deo, ad unionem hypostaticam per accessum et reductive pertinet.**

10. — **Prob.** — Divina maternitas transcendit, ut dictum est, non modo ordinem naturae, sed etiam ordinem gratiae et gloriae. Atqui solemne est in theologia quod divina Sapien-

[1] Cf. 1. Quaest. XII. art. 2. — [2] PROV., X, 1.

tia coniungit suprema inferiorum cum infimis superiorum. Ergo dignitas Matris Dei, quae sola unione hypostatica transcenditur, ita ordines naturae, gratiae, et gloriae ipsamet transcendit, ut ad unionem hypostaticam quodammodo pertinere videatur, secundum illud S. Thomae [1]: *Beata Virgo propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam.* Quapropter dici potest, congruum fuisse Deum ex femina incarnari, ut persona creata sit coniuncta Deo quantum esse potest ratione personae, dum in ipsamet Incarnatione, natura humana est coniuncta Deo quantum esse potest ratione naturae.

11. — Scholion. — Ex hoc argumentum sumi potest in confirmationem praecedentis propositionis. Nam, si divina maternitas ad unionem hypostaticam pertinet, haec autem quamcumque aliam unionem cum Deo supergreditur, ergo nulla unio hominem Deo tam intime coniungit post Incarnationem, sicut dignitas Matris Dei. — Quod autem unio hypostatica transcendat aliam quamcumque unionem, ostenditur ex verbis S. Thomae, ubi ait [2]: *Unio Incarnationis transcendit unionem beatae mentis ad Deum, quae est per actum fruentis.* Et revera, prius et dignius est esse quam operari. Atqui unio Incarnationis est secundum esse; unio autem per gratiam et gloriam est secundum operationem: ergo huic illa praestat dignitate et excellentia.

12. — Auctoritates. — Haec autem veritas passim a scriptoribus ecclesiasticis celebratur. Sic S. Anselmus dicit [3]: *Hoc solum de sancta Virgine praedicari, quod Dei Mater est,* (excedit) *omnem altitudinem quae post Deum dici aut cogitari potest.* Pariter S. Bonaventura ait [4]: *Hoc autem quod* (Maria)... *Dei Mater est, tantae dignitatis est, quod non solum viatores, sed etiam comprehensores, non solum homines, verum etiam angeli eam revereantur quadam praerogativa speciali.*

[1] 3, Quaest. XXVII, art. 5. — [2] 3, Quaest. II, art. 11. — [3] L. *de Excell. Virg.*, c. II, Migne, P. L., t. CLIX, col. 559. — [4] In l. III Sent., Dist., IX, art. 1, Quaest. IV, t. III, p. 206.

Et S. Bernardinus Senensis [1]: *Tanta nempe est laus quam ei tribuimus, cum dicimus* MATER DEI, *quod nec in personis creatis, angelis vel hominibus, nec in personis increatis, reperitur haec incogitabilis dignitas, scilicet quod habeat Dei Filium, nisi in una persona divina, quae est Patris, et una persona humana, quae est Matris. Insuper maius est hoc donum quod sit Mater Dei, quam quod sit Domina creaturarum Dei, quia hoc dependet ab illo, sicut ramus a radice: propterea ei potius dicimus* MATER DEI, *quam Domina mundi vel universi.*

13. — Divina maternitas infinitatem quamdam induit. — Quod autem divina maternitas quamdam infinitatem habere videatur, ita egregie exponit S. Thomas, cum dicit [2]: *Humanitas Christi, ex hoc quod est unita Deo, et beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio Dei, et Beata Virgo, ex hoc quod est Mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus, et ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis: sicut non potest aliquid melius esse Deo:* quae verba sibi volunt, ut exponit eximius Suarez [3], *hanc dignitatem esse suo genere infinitam, quia est suprema quaedam coniunctio cum persona infinita.*

Igitur, cum ratio cuiuscumque rei ex fine desumatur, ad divinam Sapientiam autem pertineat et fines praefigere et media opportuna statuere ad finem debito modo consequendum, ideo, supposito fine Incarnationis et divinae maternitatis, sicut repugnat aliquid melius esse in ordine Incarnationis, ita repugnat aliquid melius esse in ordine divinae maternitatis: non quod Deus non potuerit aliquid melius facere in alio ordine, sed quod id quod fit a Deo in ordine a se praestituto, adaequate correspondet termino a divina Sapientia praefixo; unde Alighierius pulcherrime appellat Beatam Virginem,

Termine fisso d'eterno consiglio [4].

14. — Comparatio inter Adam et Beatam Virginem. Qualis autem et quanta sit huius divinae maternitatis di-

[1] Serm. VII, art. III, c. 2, Lugduni, 1650, t. IV, p. 101. — [2] 1, Quaest. XXV, art. 6, ad 4um. — [3] In 3, Quaest. XXVII, art. 1, Sect. II. — [4] Parad., c. XXXIII, vers. 3.

gnitas et excellentia significatum reperitur in Christi genealogia, qualem S. Matthaeus texuisse perhibetur. Dum enim S. Lucas Christi genealogiam perducit ascendendo usque ad Adam *qui fuit Dei* [1], S. Matthaeus, e converso, descendendo illam a Maria immediate derivat [2]: *Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus:* ex quo licet inferre hinc Adam, illinc vero Mariam generis humani velut extrema, quibus ad Deum continuatur, obtinere; unde uterque, ad humanam naturam formaliter quidem pertinet, attamen propter hanc immediatam ad Deum colligationem, ad ordinem divinum reductive ascendit, modo tamen diverso, scilicet Adam ratione processionis, Maria vero ratione reditus: unde sicut in mathematicis termini infinitesimales quodammodo extra quantitatem sunt, ita Adam et Maria dici possunt supra humanitatem ita elevati, ut ad ordinem divinum quodammodo pertineant; licet ad Deum propius accedat illa per quam humana natura ad Dei personam hypostatice coniungitur, quam ille qui solum a Dei immediata operatione formatus est.

Hinc beatissima Virgo, cum Verbi Incarnati Mater recens esset effecta, prophetico afflata spiritu, laetabunda canebat [3]: *Exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo... Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

15. — Scholion. — Addi autem hic debet Beatam Virginem fuisse instrumentum in Incarnatione Verbi.

Revera, conceptio Christi fuit miraculum, cum fuerit res visibilis in suis effectibus, talis videlicet, ut in huiusmodi re quae fiebat fuerit aliquid unde videbatur quod aliter esse debuisset. Illa enim singularis humana Christi natura terminari debuisset propriae personalitatis termino, nisi occurrisset divina persona hanc naturam propria personalitate terminans: unde vere dicitur Christi Incarnationem fuisse miraculum proprie dictum [4]. Porro, in miraculis creatura cooperari potest, tanquam Dei instrumentum, in

[1] Luc., III, 38. — [2] Matth., I, 16. — [3] Luc., I, 47, 48. — [4] Cf. 3, Quaest. XXIX, art. 1, ad 2um; et Quaest. XXXI, art. 1, ad 2um. Vide supra, c. II, art. 2, n. 7, p. 67.

quantum Deus utitur rei creatae propria operatione, quam habet secundum propriam formam, ad productionem rei mirabilis; sicut artifex utitur operatione cultelli, quam habet secundum propriam formam, quae est scindere, ad faciendum opus artis. Unde instrumentum duas habet operationes; unam, quae ipsi competit secundum propriam formam: alteram, quae ipsi competit secundum quod movetur a principali agente, quae quidem ita est instrumenti, ut sit una et eadem cum operatione principalis agentis [1].

Igitur Beata Virgo in conceptione Christi duplicem habuit operationem: unam, secundum propriam formam, quae in hoc consistebat ut tantummodo subministraret materiam: alteram, secundum quod movebatur a principali agente, in hoc quod subministraret materiam ad hoc ut esset corpus non hominis, sed Dei; et haec secunda operatio non erat alia ab operatione principalis agentis, scilicet Spiritus Sancti.

16. – **Advertendum.** — Attamen sedulo caveri debet, ne Beata Virgo appelletur *causa Dei*, quo quidem importari videretur quod Deus fuerit effectus Beatae Virginis, quod nullatenus sustineri potest. Revera, operatio Deiparae, si consideretur secundum propriam Virginis formam, debuisset terminari ad hypostasim creatam puri hominis, et sic verum fuisset dicere quod est causa illius hominis, sicut de matre dicitur quod est causa filii; sed quia humana illa Christi natura non habuit hypostasim propriam, ideo Beata Virgo nequit dici causa Filii sui, cum illa humana Christi natura non fuerit perducta usque ad ultimum suum naturalem terminum. Si vero consideretur operatio Deiparae ut erat instrumentum Dei, cum effectus non attribuatur instrumento, sed principali agenti, ideo nequit dici Beata Virgo sub hoc respectu esse causa Dei, licet Deum conceperit et genuerit. Sed tamen neque dici debet Spiritus Sanctus esse causa Verbi incarnati, quia unum est esse Christi et esse Spiritus Sancti. Propterea, Spiritus Sanctus non

[1] Cf. Tract. n. *De Incarnatione Verbi*, t. II. quaest. XIX, art. 1, n. 4, p. 84; necnon op. n. *Del Miracolo*, c. X, pp. 156, seq.

concepit nec genuit Verbum, ut dictum est, sed solum de eo conceptus est Christus aut Filius Dei, aut Deus ipse, natus ex Maria Virgine.

Articulus II. — *De Christi erga Matrem officiis.*

1. — Ratio articuli. — Ex eo quod Beata Virgo est vere Mater Dei, sequitur Deum ipsum, ut est eius verus Filius, quibusdam officiis erga eam teneri, ex quibus divinae maternitatis dignitas magis magisque commendatur. Inter quae potissima sunt reverentia et amor, necnon sublevamen et subiectio, de quibus proinde hic singillatim quaeretur.

2. — Christi erga Matrem reverentia et amor. — Et primo quidem, quod Filius Dei vere et proprie reverentiam et amorem Mariae, ut Matri suae, debeat, evidens est, cum sit naturale filiorum erga parentes officium; aliunde Christus naturalibus praeceptis obstrictus tenebatur [1]. Quod egregie adumbratum invenitur in illo Scripturae loco, ubi narratur Salomon Bethsabee, matrem suam, speciali honore et reverentia fuisse prosecutus [2]: *Venit Bethsabee ad regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia; et surrexit rex in occursum eius, adoravitque eam, et sedit super thronum suum: positusque est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius. Dixitque ei: Petitionem unam parvulam ego deprecor a te: ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex: Pete, mater mea; neque enim fas est ut avertam faciem tuam.* Porro, Bethsabee quidem id quod postulabat non obtinuit, imo in eum qui petitionis instigator fuerat, mortis sententiam provocavit, licet visus esset rex prima facie omnia voluisse concedere [3]; at, Maria postulante, primo videtur Iesus peti-

[1] Cf. Tract. n. *De Incarnatione*, t. II, Quaest. XVIII, art. 4, § VI, p. 70. — [2] 3 Reg., II, 19, 20. — [3] Perperam negant nonnulli citato loco Mariam adumbrari, eo quod Salomon Bethsabee petitionem respuit: at perpendenti figuras nunquam per omnia figurato applicari, ad oculum patebit Salomonem Christum obumbrasse solum in reverentia erga matrem suam. Sic quippe et David, aliique Veteris Testamenti insignes viri, non per omnia Christi typi extiterunt.

tionem reiicere, puta in Cana Galilaeae; realiter tamen omnia concedit quae illa petierit; nihil enim petit Maria, nisi quod noverit a Deo esse concedendum, ut infra dicetur [1].

3. — Quomodo Christus Matrem suam sublevaverit. — Sed nec ambigendum est Christum, Matris suae curam, ut bonum filium decet, gessisse, eamque in angustiis rebusque dubiis sublevasse, ita ut credendus sit loculos in hunc finem habuisse, ut non solum discipulorum et indigentium, quemadmodum tradit Ven. Beda [2], sed maxime Matris suae necessitatibus subveniret.

Quam curam specialiter exercuisse dicendus est in passione sua, cum non permiserit ut Maria, quemadmodum et discipuli, iniuriam a iudaeis paterentur, cum tamen naturaliter expectandum fuisset ut in eos quoque, et potissime in eius secundum carnem Genitricem, saevire debuissent [3]. Maxime vero eluxit haec Christi in Matrem pietas, cum in Cruce pendens, eam dilecto discipulo commendavit [4]. Unde sanctus Laurentius Iustinianus sic inducit Christum Matrem suam alloquentem [5]: *Discipulum quem diligo prae caeteris tibi commendo in Filium, ut quemadmodum comes, ita et integerrimae virginitatis tuae sit custos: obtemperabit tibi ut filius, et tu de illo, sicut de me, qualicumque fueris solatio.*

Quae cum ita sint, potissime hic dubitatur utrum et quo pacto Christus Matri fuerit subiectus. Pro quo solvendo sit sequens

4. — PROP. — Christus Mariae de iure quodammodo subiectus fuit.

5. — Exponitur. — In antecessum advertimus, non hic agi de quacumque subiectione qua Beatae Virgini Christus libere subiici voluerit propter perfectionem virtutis, sicut etiam iudaeis illum crucifigentibus subiectus mansit; sed

[1] P. III, c. 1, art. 4. — [2] L. IV, c. 54, in Luc., 12. — [3] Cf. Io., XVIII, 8. — [4] Io., XIX, 26, 27. — [5] In Triumph. Christi agone, C. VIII. Brixiae, 1558, t. I, f. 68.

proprie de subiectione quae aliquo iure naturali inducatur. Quae quidem subiectio in Christo ultro agnosci debet, scilicet ratione acceptae a Beata Virgine generationis: maternitas enim fundat titulum ad aliquem potestatis actum exercendum in prolem: quaenam autem sit ista potestas, vult hic expresse determinari.

6. — Quo pacto Christus Mariae subiectus dicitur. — Sciendum autem est quod, licet Christus sit persona divina, tamen vere dicitur Mariae subiectus, ratione scilicet humanae naturae; nam, ut advertit Angelicus [1], *quamvis non proprie dicatur quod natura sit domina vel serva, potest tamen proprie dici quod quaelibet hypostasis vel persona sit serva vel domina secundum hanc vel illam naturam*, quo etiam modo dicitur Christus subiectus Patri secundum humanam naturam.

Nec obstat quod dignius est esse filium adoptivum quam esse subiectum; atqui Christo repugnat esse filium adoptivum, etiam secundum naturam humanam; ergo videtur quod ipsi etiam repugnat esse subiectum; — nam facile *respondetur*, verbis eiusdem Angelici [2], quod *subiectio ad Deum* (et idem dicatur de alia quacumque subiectione), *non solum respicit personam, sed etiam naturam, quod dici non potest de filiatione, et ideo non est similis ratio*. Ergo tota ratio subiectionis Christi ad Matrem suam ratione susceptae ex ea humanitatis resultat.

7. — Triplex subiectionis genus. — At vero cavendum est ne ista subiectio ultra debitos limites, ut saepius fit, extendatur. Angelicus Doctor [3], loquens de subiectione Christi ad Patrem, illam asserit esse secundum triplicem rationem: nempe secundum *bonitatem*, secundum *servitutem*, et secundum *voluntatem*, prout scilicet natura illius humana participat de divina bonitate, aut subiicitur Patris circa illam ordinationibus, aut denique Patris mandatis obtemperat.

[1] 3, Quaest. XX, art. 1, ad 2um. — [2] 3, Quaest. XX, art. 1, ad 3um. — [3] Ibid., in corp. art.

Iamvero Christus Matri, quantum ad bonitatem, non subiicitur, quin potius ipsa Christo, qui est caput Ecclesiae, et qui influit in omnia membra, et primo quidem in Beatam Virginem, quae est redemptorum primitiae, vitam et dona spiritualia.

Pariter, admitti non debet Christum de iure subiectum fuisse Beatae Virgini secundum voluntatem [1]; quia, cum obedientiae ratio ex eo desumatur, quod *sicut ex ipso ordine naturali divinitus instituto, inferiora in rebus naturalibus necesse habent subiici motioni superiorum, ita etiam in rebus humanis, ex ordine iuris naturalis et divini, tenentur inferiores suis superioribus obedire.* [2], — patet Christum qui, secundum humanam naturam, superiorem se neminem agnoscebat, non debuisse Matri quantum ad obedientiam de iure subiici, qui pariter legibus Caesaris aut iussis summi Sacerdotis non tenebatur, cum ipsis, etiam secundum naturam, longe superior existeret. Nec ad hoc maternitas ius ullum conferebat; *sicut*, iuxta animadversionem Cornelii a Lapide [3], *religiosus vel monachus, si erectur pontifex, eximitur ab obedientia sui ordinis, imo totius ordinis fit superior.*

Quapropter excludenda est, tanquam veritati minus consentanea, illa quorumdam piorum auctorum sententia, tradentium Christum, antequam ad mortem proficisceretur, Matris licentiam formaliter quaesivisse.

8. — **Corollarium.** Ergo non restat nisi ut dicatur Christus, dum mortalem vitam ageret, Matri suae subiectus esse voluisse, et quidem *de iure*, secundum illius circa se ordinationes, puta in iis quae ad temporalis vitae necessitates pertinebant, ita ut, qui *formam servi acceperat* [4], quemadmodum divinae circa se Providentiae dispositionibus naturaliter subiectus erat, ita etiam temporalibus Matris ordinationibus se, saltem in minori aetate constitutum, subditum esse voluerit.

Hinc Mariae determinationi Christus subiacuit in illis omnibus quae ad temporales circa eum dispositiones pertine-

[1] Intellige. *de necessitate.* — [2] 2 2^{ae}, Quaest. CIV, art. 1. — [3] In vers. 51. cap. II Luc., — [4] Phil., II. 7.

bant, verbi gratia, in eo quod ab ea in praesepio reponeretur, eius brachiis gestaretur, eius lacte nutriretur, eius opera vestiretur, deferretur in Aegyptum, et cetera huiusmodi.

9. — **Solvitur tacita obiectio.** — Nec aliquam vilitatem, infirmitatem aut indecentiam ista filialis subiectio continebat; *quid enim*, quaerit S. Ambrosius [1], *magister virtutis, nisi officium pietatis impleret?... Non utique infirmitatis, sed pietatis est ista subiectio.* Ideoque non stricta subiectio haec erat, quae scilicet dominium supponit in filium, sed subiectio late accepta, per quam filius matri, qua filius est, subditur. Stricta enim subiectio, aut *naturalis* est, aut *legalis;* et illa quidem ea est qua creatura refertur ad Deum, a quo pendet in fieri, esse, conservari et gubernari; haec vero, ut notat Suarez [2], tria importat, scilicet, ut subditus non sit sui iuris, ut domino obedire teneatur, et ut cum domino nec in bonis, nec in honore, nec in sede communicet. Porro, rem accurate perpendenti patebit ad oculum, Christum Matri suae hisce modis subditum dici haudquaquam posse.

10. — **Scholion I.** — Attamen, Christus non modo *de iure* subiectus est Matri suae, *quantum ad illius de se temporales dispositiones*, verum etiam *de facto*, *quantum ad voluntatem*, elegit eidem subdi in pluribus, scilicet ut praeclarissimae virtutis humilitatis exemplum nobis praeberet; quo sensu interdum a Sanctis dictum legitur Christum emancipationis iuri relate ad patriam aut maternam potestatem ultro cessisse, remansisseque, dum viveret, parentibus subiectum. Hoc sensu intelligendum est dictum illud [3]: *Et erat subditus illis*, non utique necessitate filialis conditionis, ut dictum est, sed omnino libere, quantum ad conformitatem eius voluntatis cum voluntate matris suae, in iis videlicet quae ad Patris sui caelestis negotia minime pertinebant.

Et sic qui omnium hominum supremus rex et dominus existit, ut nobis humilitatis et obedientiae exemplum praeberet, sponte sua non modo Beatae Virgini, sed etiam pu-

[1] Esposit. Evang. sec. Luc., l. II, super illud: *Et erat subditus illis.* — [2] In 3 P., Quaest. XX, Disp. XLIV, Sect. I, T. XVI. — [3] Luc., II, 51.

tativo patri sancto Ioseph se subiecit, in iis, puta, quae domi agenda erant, et in fabrilis artis, in quam cum eodem incubuit, exercitatione; ita ut secundum rei veritatem de Maria et Ioseph dici queat id quod Scriptura de Iosue secundum metaphoram testatur [1]: *Deo obediente voci hominis.* — (Christus), ait S. Basilius [2], *in prima aetate subditus parentibus, omnem laborem corporalem mansuete et obedienter sustinuit. Cum enim homines illi essent iusti quidem ac pii, verum pauperes, ... merito laboribus corporis assiduis dediti erant, per hoc necessarias res sibi ipsis acquirentes. Iesus autem his subditus, velut ait Scriptura, omnino etiam simul perferendo labores obedientiam declarabat.* Insigne sane exemplum, nunquam ab oculis mentis dimittendum.

11. — **Scholion II.** — Hoc modo intelligenda ea sunt quae passim a Sanctis aut a Doctoribus de subiectione Christi ad Virginem per emphasim dicta leguntur. Sic S. Bernardinus Senensis ait [3]: *Deo subdita est omnis creatura et Beata Virgo: Beatae Virgini subdita est omnis creatura et Deus.* Et Gersonius [4]: *Melius eam appellare non possumus, quam Matrem Dei: quoniam per hoc habet veluti auctoritatem et naturale dominium ad totius mundi Dominum, et a fortiori ad omne id quod huic subiectum est Domino.* Sic quoque intelligi possunt quae interdum recitantur, nempe Deum pro nobis a Beata Virgine non oratione supplicari, sed iussione imperari ut ille nos exaudiat: quae hyperbolice dicta non aliud significant, nisi decere ut Christus Matri suae nihil deneget, cui in terris subiectus esse voluit; aut melius Deum, suis promissis fidelem, illius postulationibus non acquiescere haud posse, quae divinae voluntati in omnibus perfectissime sese conformavit.

12. — **Solvitur obiectio.** — Obiicienti contra praefatam Christi ad Virginem subiectionem verba Ioannis [5]: *Quid mihi et tibi est, mulier?* quasi Christus profiteretur se minime stare

[1] Ios., X, 14 — [2] In Constit. Monast., c. IV. Paris., 1637 pag. 764. — [3] Serm. III, art. 1, c. 1. Ed. cit., t. IV, p. 82. — [4] Serm. de Assumpt. — [5] C. II, 4. Vide in hunc locum, inter alia, praeclarum commentarium J. B. Terrien, *La Mère de Dieu*, etc. Vol. I, p. 177, note I.

sub Matris potestate, — *respondetur* cum S. Ambrosio [1], duas esse in Christo generationes, alteram ex Patre aeternam, alteram ex Matre temporalem; et quia in iis quae Patris erant, Christus Matri suae subiectus non erat, hinc merito illum dixisse: *Quid mihi et tibi est, mulier?* cum ibi de patrando miraculo, quod Christo qua Filio Patris, non qua Filio Matris, conveniebat, ageretur; cum tamen in iis quae ipsi qua Filio Matris conveniebant, se Mariae subditum profiteretur: erat enim, teste Evangelista, suis secundum carnem parentibus subditus.

13. — Quaestio. — *Qua ratione Christo Maria subdita fuerit?*

Resp. Beata Virgo Filio suo subiecta fuit subiectione *bonitatis* et *voluntatis*, et hoc quidem stricto iure. Cuius ratio est, tum quia Virgo gloriosa fuit a Christo vere redempta, licet redemptione praeservativa, non liberativa, ut dicetur; tum quia Christus est totius Ecclesiae caput, in omnia membra vitam influens, omnibusque motionem supernaturalem imprimens.

Dici quoque potest Beata Virgo se de facto aliquando subiecisse Christi circa eam dispositionibus, maxime in illius vita publica, quando cum aliis mulieribus sanctis, Filium suum, quocumque pergeret, sequebatur. Sed haec Beatae Virginis ad Christum subiectio stricta servitus minime fuit, cum Maria sui iuris esse non desierit: hinc potius subiectioni filiali similis fuit, quo sensu pulcre ab Aligherio de Deipara canitur [2]:

Vergine Madre, Figlia del tuo Figlio.

Nec a Christi Domini, ut supremi iudicis, potestate Virgo Beata exempta fuit: ille enim, ante cuius tribunal omnes stare debent [3], etiam erga suam Matrem iudicis officio fungetur: at non quoad factorum discussionem, nihil enim in Deiparae vita nisi sanctissimum reperire erit, ideoque nihil in ea carpendum, verum quoad finalem sententiam

[1] Lib. II, in c. 2 Luc., n. 64; t. III, col. 58. — [2] Parad., cant. XXXIII, vers. 1. — [3] Rom., XIV, 10.

approbationis et retributionis: quocum stat quod Mater Christi prima inter Sanctos Filio iudici assidebit, simul cum illo tribus Israël iudicatura [1].

Articulus III. — *De relatione Beatae Virginis ad Deum.*

1. — Ratio articuli. — Posito quod dignitas Matris Dei Beatam Virginem super omnem ordinem totius creati elevaverit, iam inquirendum venit quanam relatione illa ad Deum se habuerit, et quo pacto a quibusdam sacris scriptoribus, probante Ecclesia, secunda post Trinitatem fuerit interdum praedicata.

Porro relatio huiusmodi potest esse aut consanguinitatis aut affinitatis. Prior est per carnis propagationem ex eadem radice; et hac relatione Maria ad Verbum refertur proprie et formaliter, ut dictum est. Relatio autem affinitatis alia est propria, quae est per carnis copulam, qua quis non fit particeps eiusdem radicis, sed eidem radici quasi extrinsecus adiungitur [2]. Et de hac quidem affinitate hic sermo esse nequit, sed de affinitate metaphorice accepta, quae aliud non est, nisi quaedam propinquitas inter duas personas propter convenientiam actionum orta, quo sensu hic affinitatem accipimus.

Denique advertimus, quae hic dicturi sumus secundum appropriationem intelligi debere, cum originem ducant ex Incarnatione, quae est opus ad extra; in operibus autem ad extra communicant simul tres divinae personae sub ratione unitatis in essentia et operatione.

2. — Prop. I. — Ex eo quod Beata Virgo est Mater Dei, quamdam affinitatem cum personis Sanctissimae Trinitatis contraxit.

Haec propositio ostendetur singillatim expendendo capita affinitatis quibus Beata Virgo adstringitur — I. cum Patre, II. cum Filio, III. cum Spiritu Sancto.

[1] Utrum Beata Virgo legibus humanis subderetur, dicetur infra, P. III, c. II, art. 1. — [2] Supplem., Quaest. LV, art. 1.

3. — I. Affinitas Beatae Virginis cum Patre. — Quod Beata Virgo, ex quo est Mater Dei, quamdam affinitatem habeat cum Patre, ostenditur *primo*, ex eo quod utraque generatio, aeterna scilicet et temporalis, ad eumdem Filium terminatur [1]; *secundo*, ex eo quod secundum utramque generationem, genitus, id est Iesus Christus, generatur ex substantia generantis; *tertio*, ex eo quod sicut Iesus Christus est unicus Filius Patris, ita est etiam unicus Filius Matris, et uterque illum genuit Virgo permanens. Unde Beata Virgo talem ad Patrem affinitatem habet, qua profecto intimior esse non potest. — *C'est l'associer à sa génération*, ait Bossuet [2], *que de la faire Mère d'un même Fils avec lui. ... Après cela, ô Marie, quand j'aurais l'esprit d'un ange et de la plus sublime hiérarchie, mes conceptions seraient trop ravalées pour comprendre l'union très parfaite du Père éternel avec vous. ... Pour établir avec vous une société éternelle, il a voulu que vous fussiez la Mère de son Fils unique, et être le Père du vôtre.*

4. — II. Cum Filio. — Cum Filio etiam Beata Virgo strictam habet relationem, *primo*, per hoc quod carnis suae materiam Dei Filio in illius Incarnatione subministravit; *secundo*, per familiaritatem quam habuit cum Christo, cum ipso intime conversata per totum illius vitae decursum, simul cum eo sanctis operibus, simul quoque operi quotidiano vacans [3]; *tertio*, per teneram compassionem, quam ipsa, aliis recedentibus, Christo in passione exhibuit, quasi alio altari in corde suo erecto, in quo cum Filio transfigeretur; *quarto* demum, per beatitudinem, quam communem habuit cum Filio in gloria, throno a dextris throni Filii sui posito, sicut le-

[1] Notari hic potest quod cum actus generandi sit in Patre aeternus, aeternitas autem totum tempus complectatur, ideo verum est dicere quod Pater Filium suum in utero Virginis generat, utique non ut hominem, sed ut Deum, seu generat Deum qui est homo; iuxta quam interpretationem, quod legimus (Ps. CIX, 3): *Ego hodie genui te*, intelligi posset de momento in tempore quo Virgo Beata Deum genuit. — [2] 3me Sermon pour la Nativité de la Sainte Vierge, *Troisième privilège*. Œuvres, etc., p. 696. — [3] *Arcana Cordis* (Iesu), ait Pius X, *ut nemo alius novit* (Maria). Encycl. *Ad diem illium*, 21 Febr. 1904.

gitur in Psalmo [1]: *Adstitit Regina a dextris tuis.* et rursus in officio Ecclesiae [2]: *Maria Virgo assumpta est ad aethereum thalamum, in quo rex regum stellato sedet solio.*

Attamen ex eo quod Beata Virgo carnis suae materiam subministravit Verbo Dei, minus recte ab aliquibus subinfertur, nunc carnem Christi in caelis aut etiam in Eucharistia esse ipsammet carnem Virginis Mariae, aut nos in Eucharistia carnem et sanguinem Deiparae recipere, cum in conceptione Christi mutatio substantialis sit peracta circa materiam illius corporis, ex eo quod est actuata anima, tamquam forma substantiali eiusdem [3].

5. — III. **Cum Spiritu Sancto.** — Demum per divinam maternitatem Beata Virgo facta est propinqua Spiritui Sancto, a quo fecundationem accepit. Et quidem inter Spiritum Sanctum et Mariam, *primo* intercessit *mutua de se invicem traditio*, cum Maria corpus suum ipsi tradiderit ut, illo afflante, procrearetur corpus Verbi divini, et vicissim Spiritus Sanctus in Virginem supervenerit ad perficiendam illam mirabilem conceptionem. *Secundo*, habetur *individua vitae consuetudo*, cum Beata Virgo nulla unquam labe sanctitatem animae, quam a Spiritu Sancto habebat, commaculaverit. *Tertio*, verificatur *bonorum communicatio*, Spiritu Sancto illam multiplici bonorum suorum cumulo ditante, ipsa vero vicissim omnia sua, nil sibi reservando, ei consecrante. Ad rem Leo XIII: *Quae ipsi* (Mariae) *rationes cum Spiritu Sancto intercedant intimae admirabilesque, probe no-*

[1] XLIV, 10. — [2] In Off. Parv. B. V. Antiph. 2. ad Laud. — [3] Verba: *Caro Iesu est caro Mariae*, quae citari solent tamquam S. Augustini, eius non sunt, sed cuiusdam scriptoris sub ementito illius Patris nomine (L. de Assumpt. B. V., c. V, inter Opp. S. August.); possunt tamen hoc sensu intelligi, quod Christus ex Maria carnem traxerit: quo modo etiam intelligi possunt haec alia verba Arnoldi Carnot. (de Laud. Mariae. Biblioth. Patr., t. XVII, p. 1282): *Una est Mariae et Christi caro.* Locus Doctoris Hipponensis, qui prima facie loco superius posito analogus videtur, est sequens: *Sicut vera caro Mariae, vera caro Christi, quae inde suscepta est* (Serm. CCCLXII *de Resurrect. mort.*, alias CCXI de *diversis*): quae tamen verba longe alium sensum continent.

stis; ut Sponsa eius immaculata merito nominetur [1]. Attamen hanc *Sponsae* denominationem Mariae magis competere per respectum ad Filium mox ostendetur [2].

6. — Maria Filia Patris, Sponsa Christi, Sacrarium Spiritus Sancti. — Ex hucusque explicatis relationibus Beatae Virginis ad personas Sanctissimae Trinitatis, evenit ut Deipara soleret celebrari tanquam *Patris Filia, Christi Sponsa* et *Spiritus Sancti Sacrarium;* quae tria singillatim explicanda veniunt, ad honorem gloriosissimae Matris nostrae, et ad eius filiorum solamen et gaudium.

Ubi imprimis advertendum est, in nominibus quae secundum metaphoram dicuntur, hoc verificari, nempe plura huiusmodi nomina uni personae competere posse, quae competere non possent, si secundum proprietatem acciperentur. Quapropter, cum Beata Virgo sit proprie Mater Verbi, ipsi proprie competere nequit nomen Sponsae aut Filiae eiusdem; potest tamen, si haec nomina secundum metaphoram accipiantur. Et quia haec nomina aliis quoque creaturis rationalibus interdum decreta videmus, hoc unum contendimus, per antonomasiam, quod est excellentissime, ea soli Deiparae competere.

α) Mariam FILIAM PATRIS, aut FILIAM UNICAM, imo PRIMOGENITAM, aut UNIGENITAM DEI, constanter praedicant sacrorum scriptores, tum apud Graecos tum apud Latinos [3]. Cuius rei ratio est quod Beata Virgo, praecise propter divinam maternitatem, prima est inter adoptivos Dei filios, propterea quod eius gratia gratiam cuiuscumque alterius Sancti, imo omnium simul Sanctorum, superat. Unde in aeternis consiliis prima omnium extitit, et in tempore eius filiatio typus est filiationis adoptivae omnium Sanctorum [4].

[1] Ep. Encycl. *Divinum illud*, 9 Maii, 1897. — [2] Numero sequenti. — [3] Vide auctoritates, apud J. B. TERRIEN, *La Mère de Dieu*. Vol. I, pp. 194, seq. — [4] In Vigilia B. M. V. in Ord. Serv. Mariae quolibet vespere recitari solita. 1ª lectio sic incipit: *Sancta Maria, Virgo virginum, Mater et Filia Regis regum omnium.* Sic quoque Alighierius: *Vergine Madre, Figlia del tuo Figlio.*

3) Quod Maria dici possit, utique metaphorice, SPONSA CHRISTI, quadruplici ratione constat [1].

Primo, propter eius *insignem sanctitatem*. Revera, si animae iustorum sunt sponsae Christi, dicente S. Bernardo [2]: *Sponsae nomine censetur anima quae amat*, et signanter animae virginum, canente Ecclesia: *Veni Sponsa Christi*, a fortiori anima Mariae Christi sponsa dici potest, quae omnibus gratiarum privilegiis est donata; unde Patres et Scriptores sacri unanimiter in Sponsa Canticorum vident Beatissimam Virginem figuratam. Quinimmo Maria dicitur unica Sponsa Christi, quae sola *adsistit a dextris eius* [3], eo videlicet quia est supra omnes sponsas, unam mentem, unam haereditatem, unam domum, unam mensam, unum torum, unam quoque carnem cum Christo participans [4].

Secundo, propter *consensum in Incarnatione datum*. Cum enim Incarnatio fuerit connubium inter Verbum et humanam naturam et quidem naturam humanam ex Maria consentiente sumendam, ideo quodammodo Christus ad Mariam sponsi relationem habet, ita ut quod dixit Adam, et ipsa Virgo dicere valeat: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea* [5].

Tertio, propter *Deiparae concursum in opere redemptionis*. Christo et Maria convenientibus in opus regenerationis hominum perficiendum; unde vere Maria est Christo *adiutorium simile sibi* [6].

Quarto, quia Maria est *typus Ecclesiae*. Ecclesia autem

[1] Vocatur etiam aliquando Beata Virgo *Sponsa Spiritus Sancti*, verbi gratia, a Leone XIII. in cit. encycl. *Divinum illud*, 9 maii. 1897. Iuxta P. J. B. TERRIEN, (*La Mère de Dieu*, etc., Vol. I, p. 202), appellatio Sponsae Spiritus Sancti data Mariae vix invenitur bis in longa saeculorum serie, cuius rei haec forsan ratio potest assignari, ne videlicet videretur inferendum Spiritum Sanctum esse patrem Christi. Notandum, Deiparam ab Aligherio vocari

quell'unica Sposa
Dello Spirito Santo.

Purgat., c. XX, v. 97, 98.

[2] In Cantic., Serm. VII, n. 2. — [3] Ps. XLIV, 10. — [4] S. Bernard., l. c. — [5] Gen., II, 23. — [6] Ibid., 18.

est Sponsa Christi: atqui propter quod unumquodquod tale et illud magis [1].

γ) Denique Deiparam iure meritoque vocitari SPIRITUS SANCTI TEMPLUM seu SACRARIUM, facile ostenditur ex iis quae alibi diximus [2], scilicet id dici proprie templum, in quo persona inhabitans opera vitae rationalis exercet. Opus autem Spiritus Sancti in creatura rationali per hoc manifestatur, quod in ea influxum vitae supernaturalis, per gratiae derivationem, exercet: unde fideles habentes quidem non solam fidem, sed fidem quae per caritatem formata est, templum sunt Spiritus Sancti, dicente S. Paulo [3]: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Sanctus habitat in vobis.* Atqui non solum Spiritus Sanctus fuit per gratiam singularem in Beata Virgine, ita ut Angelus eam salutaret: *Dominus tecum*, sed etiam in ea operatus est quid singularissimum, formando videlicet ex ea corpus Christi; unde additur: *Spiritus Sanctus supervenict in te*, modo scilicet singularissimo, faciens Virginem esse templum suum, tum secundum animam, tum secundum corpus.

Accedit quod cum divinae personae sint una in alia, Maria non potuisset Filium Dei ventris hospitio recipere, nisi etiam Spiritus Sanctus in ea domicilium specialiter constitueret.

Demum, cum per Iesum Maria generare deberet filios adoptionis, quae quidem filiatio per Spiritum Sanctum, tanquam imprimentem in nobis similitudinem filiationis naturalis completur [4], ideo ex hoc quoque capite Spiritus Sanctus in Maria habitare debuit, ut ipsi conferret fecunditatem spiritualem, sicut ipsi contulerat fecunditatem corporalem in conceptione Christi [5].

[1] Quae ita cum sint, apparet quam merito, fere in omnibus festis B. M. V., Ecclesia, ad eius laudes celebrandas, loca excerpserit ex Cantico Canticorum, quod est sublimissimum carmen quo ineffabilis amor Sponsi erga Sponsam et vicissim describitur. — [2] Tract. *de Sanctissima Trinit.*, Quaest. XLIII, art. 3, n. 4, p. 453. — [3] 1 Cor., III, 16. — [4] Vide Tract. n. *de Incarn.*, Vol. II. p. 159, n. 5. — [5] Vide J. B. TERRIEN, *La Mère de Dieu*, etc. Vol. I. p. 206. Hac de causa, in festo Praesentationis B. M. V., in antiph. ad Magnif., Maria vocitatur: *Templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti.*

7. — **Corollarium.** — Ex hucusque traditis apparet quantum divina maternitas exaltaverit Beatissimam Virginem supra ordinariam hominum conditionem, ita ut recte dici possit quod per hoc privilegium in deitatis ordinem quodammodo adscita fuerit. Quod tamen argumentum eo usque producendum est, ut ostendatur divina maternitate aliquid ipsimet Trinitati, utique extrinseca ratione, accrevisse.

8. — PROP. II. — **Beata Virgo recte vocatur complementum totius Trinitatis, non quidem essentiale et intrinsecum, sed accidentale et ad extra.**

9. — **Exponitur.** — Debentur priora verba Hezychio, presbytero Hierosolymitano, qui sub initio saeculi VII mortuus est; licet verba illa *Trinitatis complementum*, sensu parum diverso a sensu in quo recitari solent, ille adhibuerit. Nam, in Homilia secunda, verba de Beata Virgine interserens, eamque cum arca noetica componens, haec profert: *Illa erat animalium arca, haec autem arca vitae; illa corruptibilium animalium, ista vero vitae incorruptibilis; illa ipsum Noe, haec vero ipsius Noe factorem portavit; illa duas et tres contignationes et mansiones habebat.* HAEC AUTEM UNIVERSUM TRINITATIS COMPLEMENTUM, πᾶσῃ δὲ ὅλον τῆς τριάδος τὸ πλήρωμα; *quandoquidem et Spiritus Sanctus adveniebat atque hospitabatur, et Pater obumbrabat, et Filius utero gestatas inhabitabat:* SPIRITUS *enim* SANCTUS, *ait Gabriel*, etc... *Vides quanta et qualis est Deiparae Virginis dignitas*[1].

Attamen, cum venerabilis traditio verba illa enoseraverit in sensu superius recitato, ideo intentio nostra hic est ea perpendere, quatenus significant Beatam Virginem, ex quo Mater Dei facta est, causam extitisse cur novae Deo relationes ad extra advenerint[2].

10. — α) **Beata Virgo per divinam maternitatem contulit Patri auctoritatem in Filium aliunde sibi coaequalem.**

[1] D. Hezych. Presbyt. Hier., tom. II. de Sancta Maria Deipara, interprete Io. Pico. Magna Bibliot. Vet. PP., t. XII. p. 665. Parisiis. 1644. — [2] Utiliter legi potest de hoc argumento egregia commentatio EM. CAMPANA, *Maria nel Dogma Cattolico*, pp. 92. seq. II[a] ed. Taurin., 1923.

Revera, in Virginis utero incoepit Dei auctoritas et auctoritatis exercitium in Filium, qui licet sit Patri in aeternitate aequalis, fit tamen ei in tempore subiectus [1]; et ita Deus, qui aeterna duratione antecedit Beatam Virginem in productione Filii sui, illam non antecedit in auctoritate in Filium. Quod profecto Deo magnae argumento dignitatis est, cum ipsi pene nihil sit creaturis imperare, sed res plane Deo digna imperare subdito, qui et ipse Deus sit [2]. Cum autem auctoritas Patri approprietur, hinc dici potest Deiparam contulisse Patri auctoritatem in Filium sibi aequalem.

11. — β) **Beata Virgo per divinam maternitatem contulit Filio generationem temporalem,** cum ex ea ille sumpserit naturam nostram humanam. Et ita, cum omnes creaturae Creatoris perfectiones pro modulo suo manifestare debeant, Iesus Christus, ex Virgine procreatus, quantum ad humanitatem, divinas perfectiones unus excellentius manifestat quam quaelibet alia creatura, quod profecto ex Virgine Beata habet, in qua proinde, Filio mediante, splendor divinae gloriae perfectius emicat; ita ut Filius ex Virgine habeat quod omnes universi perfectiones in se adunatas ad Patrem referat, qui vicissim Matri suae plenissimam divinorum charismatum participationem confert. Unde, ait S. Thomas [3], *festo neomeniae*, seu novilunii, *succedit festum Beatae Virginis, in qua primo apparuit illuminatio solis, id est Christi, per copiam gratiae.*

12. — γ) **Beata Virgo per divinam maternitatem contulit Spiritui Sancto ut fecundans fieret generatione temporali Christi Domini.** — Cum enim Spiritus Sanctus solus inter divinas personas infecundus maneat, cum sit ipse terminus supremus divinae fecunditatis, in Maria et per Mariam fecunditatem Dei glorificatricem sortitus est, superveniendo in Beatam Virginem et illam virtute sua obumbrando, ut esset temporalis Christi generationis activum principium: quod tamen intelligendum est dictum per appropriationem.

[1] Cf. 3, Quaest. XX — [2] Cf. Card. de Bérulle. De l'Etat et des Grandeurs de Jésus. Disc. prem. — [3] 1 2ae, Quaest. CIII, art. 3. ad 4um.

13. **Solvitur tacita difficultas.** Huic loquendi rationi minime obstat quod Beata Virgo fuerit instrumentum in Incarnatione, instrumentum autem aliquid non conferat principali agenti: hoc enim verum est tantum in eo formaliter quod est instrumentum, in quo actionem principalis agentis participat, non autem in eo quod instrumentum habet propriam actionem: unde male quidem diceretur Beata Virgo contulisse Deo ut Incarnationem perageret; sed quia, consensum Angelo nuntianti praebendo, Spiritum Sanctum movit ut in ea formaret Christi corpus, ideo dici potest ei contulisse ut fecundans fieret; quod per appropriationem esse intelligendum, evidenter resultat ex anteactis. Quapropter, in eo quidem quod Verbi caro ex sanguine Beatae Virginis formata est, utique Deipara fuit instrumentum, ideoque nihil Spiritui Sancto contulit; contulit tamen in eo quod consensum suum libere praestitit, in quo non erat instrumentum Spiritus Sancti, cum principaliter ageret. *Mox ut Virgo assensit*, ait Dionysius Carthusianus, *celebratae sunt in utero eius nuptiae hypostaticae unionis videlicet coniunctio humanae naturae cum Verbo...; tunc quoque celebratae sunt nuptiae Sponsi caelestis cum sua Sponsa singulari, quae est Mater virginea, Virgo christifera, quae Filium Dei concipiendo, facta est Sponsa ipsius singularis*[1].

Qua in re notanda sunt S. Bernardi verba[2]: (Maria) *omnibus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine eius accipiant universi: captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus laetitiam; denique tota Trinitas gloriam. Filii persona carnis humanae substantiam, ut non sit qui sē abscondat a calore eius.*

14. — **Scholion I.** — Sub huius doctrinae luce apprime intelligitur quomodo Beata Virgo proxime ad Trinitatem accedat, cuius rei testimonia non desunt penes ecclesiasticos scriptores. Sic a S. Ephrem Maria salutatur: *Plenitudo*

[1] Enarratio in Cap. I Luc., art. 3, Tom. XI, p. 390 Monstrolii 1900. Quae cum ita sint, evanescunt animadversiones clar. P. L. Janssens, Tract. de Deo Homine, p. 488. — [2] Sermo de B. V. Maria, de Verbis Apoc, B. Io., 12. f. 98 v°.

gratiarum augustae Trinitatis, utpote quae secundas post divinitatem partes teneat, Τριαδικῶν χαρίτων πλήρωμα, ὡς τὰ δεύτερα τῆς θεότητος φέρουσα, et a Ioanne Geometra: *Salve, quae sola accepisti regium honorem poli et caelestium mentium, tu quae altera es a Trinitate,*

Χαῖρε μόνη λεχόωσα πόλου βασιληΐδα τιμῆν
Οὐρανίων τε νοῶν, δεύτερα τῆς τριάδος,

et rursus: *Salve mihi, o Regina utriusque mundi, altera post regiam augustamque Triadem,*

Χαῖρέ μοι ὦ βασιλεία, καὶ ἀμφατέρων διὰ κόσμων
Βασιλικῆς τριάδος δεύτερα οἰοτάτης.

Quinimmo Ecclesiae latinae sensus in haec verba effertur:

Gaude Virgo, Mater Christi,
Quia sola meruisti,
O Virgo piissima,
Esse tantae dignitatis,
Quod sis sanctae Trinitatis
Sessione proxima [1].

Quae omnia ita claudit Angelicus Doctor [2]: *Sic ergo familiarior cum Deo est Beata Virgo quam Angelus; quia cum ipsa Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus, scilicet tota Trinitas.* Cui cohaeret quod habet S. Petrus Martyr, dum Mariam vocat *nobile triclinium Trinitatis* [3].

15. — Scholion II. — Divina maternitas fuit, relate ad Beatissimam Virginem, ratio omnium caelestium charismatum, quibus a Dei bonitate largissime donata est. Quod pulcherrime exprimitur verbis Pii IX, qui cum praemisisset Beatae Virginis electionem atque praedestinationem in Matrem Dei, mox consequentiam huius electionis et praedestinationis tradit, dicens [4]: *Quapropter illam* (Mariam) *longe*

[1] In op. De Immac. Deip. semper Virginis conceptu, a Car. Passaglia, S. I. Romae, 1854, t. I, pp. 36, 37. — [2] Expositio in *Salutationem Angelicam*, Opusc. VI, Ed. Parm. — [3] Sermo de Assumptione. — [4] In Bulla Ineffabilis, in init.

ante omnes angelicos spiritus cunctosque Sanctos, caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulcra et perfecta, eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam, praeter Deum, nemo assequi cogitando potest.

Ex quibus apparet rite invaluisse morem in Ecclesia, statim a primis temporibus, quem morem postea traditio fideliter suscepit, repraesentandi Beatissimam Virginem divinum Puerum in brachiis gestantem, quasi hoc signo summa eius dignitas exprimatur [1]. Plenior tamen adhuc symbolismus habetur, in eo quod repraesentatur Deipara in ulnis suscipientem exanime corpus Unigeniti sui: hoc enim emblemate nedum significatur Beatam Virginem esse Dei genitricem, sed etiam hominum Matrem constitutam fuisse, pro quibus Unigenitum suum offerebat, ut fusius infra patebit [2].

16. — Scholion III. — Verba Pii IX mox recitata, dum primam huius tractationis partem compendio referunt, viam simul convenienter sternunt pro secunda parte exponenda, in qua, veluti primae partis sequela, agitur quaestio de dotibus et perfectionibus Beatae Virginis secundum se inspectae. Interim liceat nobis Beatissimam Virginem, tantae dignitatis splendore decoratam, disertissimis italici poetae verbis compellare [3]:

Vergine Madre, Figlia del tuo Figlio,
Umile ed alta più che creatura,
Termine fisso d'eterno consiglio.

Tu se' colei che l'umana natura
Nobilitasti sì, che il suo Fattore
Non disdegnò di farsi sua fattura.

Nel ventre tuo si raccese l'amore,
Per lo cui caldo nell'eterna pace
Così è germinato questo fiore.

[1] Videsis P. Sixtus, O. C. R., Notiones Archaeologiae Christianae. Vol. II, P. II, c. IV, *Christus et Maria.* Romae, 1910. — [2] In 3ª Parte. — [3] Parad., cant. XXXIII, vers. 1. seq.

Qui se' a noi meridiana face
Di caritade, e giuso, intra i mortali,
Se' di speranza fontana vivace.

Donna, se' tanto grande, e tanto vali,
Che qual vuol grazia, ed a te non ricorre,
Sua disïanza vuol volar senz'ali.

La tua benignità non pur soccorre
A chi dimanda, ma molte fiate
Liberamente al dimandar precorre.

In te misericordia, in te pietate,
In te magnificenza, in te s' aduna
Quantunque in creatura è di bontate [1].

[1] Utilis simul et iucunda res est verba referre quibus antiquus poeta anglicus CHAUCER ultimum hunc conceptum exprimit (The seconde Nonnes Tale· Inuocacio ad Mariam):

Assembled is in thee magnificence
With mercy, goodnesse, and with swich pitee
That thou, that art the sonne of excellence,
Nat only helpest hem that prayen thee,
Bul ofte tyme, of thy benignitee,
Ful freely, er that men thyn help biscche.
Thou goost biforn, and art hir (their) *lyves leche* (physician).

PARS II.

DE BEATA VIRGINE CONSIDERATA PER RESPECTUM AD SEMETIPSAM

PROLOGUS.

1. — Ratio huius partis. - Ex statuta divinae maternitatis veritate, deductae sunt, in praecedenti parte, insignes illae Deiparae praerogativae, quae illi relate ad Deum obveniunt, ex quibus confectum est fundamentum cui tota structura aedificii gloriae et excellentiae eiusdem Beatae Virginis innititur. Quae cum ita sint, pronum modo est ut gloriosa Deipara in se ipsa consideretur, ut quantum humanae menti possibile existit, illius perfectiones deprehendantur, quae post Christum Deo propinquior extitit. Ex quo enim Omnipotens Virginem Mariam ad sublimissimam dignitatem Matris suae evehere voluit, illam tot naturae ac gratiae muneribus augere dignatus est, ut vere esset, iuxta dictum S. Mechtildis [1], *microcosmos*, cui Deus plus curae impendit, quam condendo universo: unde ipsi apprime quadrat illud S. Ioannis [2]: *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.*

2. — Quam difficile sit rem hanc congrue tractare. - At vero praetermittendum non est, rem esse haud adeo levem, Deiparae excellentiam in clara luce, uti decet, exponere. Cum enim Maria omnium divinarum perfectionum velut compendium existat, ideo ea omnia, quae in sacra theologia

[1] L. Revel., c. 42, seq. Parisiis, 1513, f. 164. — [2] Apoc., XII, 1.

aut in christiana philosophia traduntur, ita in ea quodammodo adunantur, ut cuncta prorsus fidei nostrae dogmata, cuncta quoque philosophiae placita quadantenus ab illo relegi debeant, qui de Maria rite loqui voluerit; unde etiam ex hoc capite omnes haereses sola interemisse dicenda est Virgo gloriosa, cum error quilibet circa eius privilegia in totius doctrinae theologicae vel philosophicae detrimentum redundare debeat. Quapropter, haud approbanda videtur eorum praxis, qui quidquid fingendi hac in re licentiam sumunt; quorum quidem agendi ratio huc demum unice tendit, ut imaginationem quidem, modo tamen insalubri, pascant, mentem vero et cor sano validoque pabulo vacua relinquant.

3. — Dionysii Petavii monitum. — Qua in re notanda sunt egregia Petavii verba. *Vere aurea sunt*, ait [1], *haec Gersonii* [2] *praecepta, quibus immoderatam in praedicandis Beatae Virginis laudibus licentiam temperat, et intra modum sobriae ac robustae pietatis coercet. Ex iis autem apparet, frivolum et nugatorium esse genus hoc argumentationis quo plerique solent uti, ut insitatum Beatae Virgini quodlibet gratiae genus affingant. Sic enim disputant: Quidquid ad honestandam Matrem suam Dei Filius conferre potuit, id illum reipsa praestare decuit; sive hoc modo: Quidquid decoris et ornamenti in Sanctos reliquos idem ille Dei Filius profudit, totum hoc in Mariam congessit: ex quo id quod volant concludendo nectunt: quod sane genus argumentandi, tanquam captiosum et sophisticum, Gersonius contemnit.*

Hoc loco tamen animadvertendum est, non esse damnandas pias quasdam cogitationes ac meditationes animi, quae ad fidei mysteria et sacras historias, Scripturaeque narrationes prudenter adtexuntur, ex usu et consuetudine humana: dum ea quae in similium rerum gestione plerumque dici, aut cogitari, aut etiam fieri videmus, eadem in historiis illis et my-

[1] Theol. Dogm. De Incarn., l. XIX, c. 8, n. 11. — [2] Non omnibus tamen Gersonii praeceptis, quibus alludit Petavius, subscribendum esse censemus, verbi gratia, cum negat usum perfectae rationis Deiparae, statim dum concepta est, fuisse concessum: cuius quidem contrarium infra probabitur.

steriis dicta, cogitata, transactaque esse, coniectura quadam fingimus, haud inepta, et absurda, sed rei gestae consentanea. Cuiusmodi permulta leguntur tractanturque, non sine fructu, a sanctissimis et eruditissimis viris memoriae prodita, Anselmo, Bernardo, Bonaventura et similibus; quae stulte, otioseque ludibrio habent haeretici, velut ideo cum Scriptura pugnantia, quia in Scriptura minime continentur.

Huc quoque faciunt aurea S. Bonaventurae verba [1]: *Sufficiunt Virgini aliae dignitates, quas sibi Filius communicavit et dedit, in quibus excellit omnes humanas laudes et devotiones; et ideo non oportet noros [2] honores fingere ad honorem Virginis, quae non indiget nostro mendacio, quae tantum [3] plena est veritate.*

Caeterum, ut eiusdem Petavii verbis iterum utamur, *amor erga sanctissimam Dei Matrem ac Virginem meus, necnon falsa et impia in cultores eiusdem catholicos haereticorum calumnia paullulum immorari nos hortantur in illius ornanda et vindicanda dignitate* [4].

4. — Ordo huius partis. — Huius quidem rei praestandae ordo observandus erit quem indicat ipsamet Ecclesia, dum orat: *Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante, praeparasti.* — Scilicet, singillatim erit agendum de perfectionibus corporis et animae, mutato quidem hoc ordine, qui generationis est, in ordinem dignitatis et naturae; ita ut, *primo* loco, agi debeat de perfectione animae Beatae Virginis, *secundo* vero, de qualitatibus corporis; quibus et *tertium* caput adiiciendum erit, scilicet de eo quod ad corporis simul et animae perfectionem attinet, nempe de virginitate Deiparae, necnon de illius desponsatione et matrimonio, quibus videlicet nullum eius virginitati detrimentum accessit.

[1] 3, Dist. III, P. I, art. 1, Quaest. II, ad 3um, t. III, p. 68. — [2] (al. nos). — [3] (al. tam). — [4] De Incarnat., l. c., n. 1.

CAPUT I.

De perfectionibus animae beatae Virginis Mariae.

PROLOGUS.

1. — **Ratio capitis.** — Acturo de gratiis et privilegiis Beatissimae Virgini a Deo collatis, illud supremi criterii instar ob oculos versari oportet, scilicet eam esse vere et proprie Matrem Dei, cum haec dignitas sit ultima ratio omnis cumuli perfectionum illius. *Propterea*, ait auctor Sermonum ad fratres in eremo [1], *Maria Mater electa est, et super omnes creaturas praeelecta, omnibus gratiis fecundata, omni virtute et sanctitate in utero matris repleta, ut de mundissima Matre mundissimus Filius nasceretur.*

Quapropter, sicut omnium divinarum perfectionum summa hoc verbo comprehenditur, quod scilicet Deus est ipsum suum esse subsistens [2], et pariter omnium perfectionum Verbi Incarnati ratio ex eo deducitur, quod est vere et proprie Homo-Deus, ita etiam adaequatum principium et velut propria mensura omnium charismatum quae in domo, quam sibi aedificaverat, divina Sapientia munificentissime congessit, ex eo desumatur oportet, quod Maria Dei Mater effecta est.

Huiusmodi vero charismata non tanquam extrinsecus collata Mariae obvenerunt; sed ipsamet Deipara, sua perfecta cum divina gratia cooperatione, sibi ea merito proprio ita comparavit, ut vere sua dici possint [3]. Revera, ut mox

[1] Serm. XX inter Opp. S. Augustini. App. t. VI, col. 324. — [2] 1, Quaest. III, art. 4. — [3] P. Faber (Foot of the Cross, 7th Dolour, p. 365, London), rem hanc ita exponit: *Mary was no mere monument of marvels upon which God had hung external dignities, and*

ostendemus, nec gratia, in prima illius sanctificatione, Deiparae non consentienti, collata est, nec gratiae augmentum, nisi propter ferventiores actus ex caritate elicitos ipsa recepit, nec denique gloria ipsi consummativa collata fuit, nisi qualis et quanta eius meritis in via comparatis responderit; ita ut cum S. Ambrosio dicere liceat [1]: *Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius ea quam splendor elegit? Quid castius ea, quae corpus sine corporis contagione generavit?*

2. — Ordo capitis. — Porro, ut plene cognoscatur quae et quanta sit perfectio animae Beatissimae Virginis, non satis erit ab ea removisse omnem imperfectionem (art. 1-3), sed etiam necesse erit investigare quaenam gratia fuerit ipsi collata (art. 4-8). Omnis autem animae imperfectio removenda est a Deipara, tum in eius conceptione, tum in eius vitae decursu. Quorum primum sibi vult, Beatam Virginem fuisse conceptam, non solum absque omni originalis peccati labe (art. 1), sed etiam absque fomite peccati, qui est veluti quaedam originalis peccati naturalis consequentia (art. 2); alterum vero ponit Beatam Virginem adeo illibatam vitam transegisse, ut nullam unquam, vel minimam, actualis peccati maculam contraxerit (art. 3).

Perfectiones autem Deiparae considerandae erunt nedum in seipsis (art. 4-7) sed etiam in sua consummatione (art. 8), scilicet in assumptione et gloria Beatae Mariae

endless banners, and figurative emblems, and the external spoils of a redeemed world. The bewildering glory outside, and truly was it bewildering, was as nothing, compared to that which was within. Mary was a creature, a woman, a mother, a sufferer; and by stupendous correspondence to them, she had made God's gifts her own. They are at this moment not mere ornaments, or privileges, or decorations, or offices conferred, or prerogatives communicated, or even inalienable jewels; neither are they simple attributes, or perfections referred to her, or glories separable from her, or wonders predicated of her, or merits imputed to her; in heaven they are Mary's own self, her own human, characteristic, loving, quiet self; a self which is in glory what God made it twice over, in nature and in grace.

[1] L. II DE VIRGINIB., c. 2, n. 7, t. IV, col. 212.

Virginis. Porro, consideratae in seipsis, huiusmodi perfectiones reducuntur ad gratiam (art. 4-6), et ad scientiam (art. 7). At gratia Deiparae, ut apprime cognoscatur, considerari debebit, tum in sui initio (art. 4), tum in sui explicatione (art. 5-6), sive quatenus gratia in seipsa inspiciatur (art. 5), sive quatenus ex ea perfectiones quaedam resultent, quae sunt virtutes et dona (art. 6).



Hinc octo heic quaeruntur.

Primo. De Immaculato Conceptu Beatae Mariae Virginis.

Secundo. Utrum Beata Virgo habuerit fomitem peccati.

Tertio. De Beatae Mariae Virginis impeccabilitate.

Quarto. Da prima sanctificatione Beatae Mariae Virginis, scilicet in momento eius conceptionis.

Quinto. De secunda sanctificatione Beatae Mariae Virginis, seu de eius profectu in gratia.

Sexto. De virtutibus et donis Beatae Mariae Virginis.

Septimo. De scientia Beatae Mariae Virginis.

Octavo. De assumptione et gloria Beatae Mariae Virginis.

Articulus I. — *De Immaculato Conceptu Beatae Mariae Virginis.*

1. — Peccati originalis traductio. — Docet fides catholica, primum peccatum primi hominis originaliter transire in posteros, ita ut quicumque ortum ducit per virtutem activam ab Adam derivatam, peccatum in ipso suo conceptu contrahere debeat, ideoque nascatur *filius irae* [1]. Quod Apostolus ad Romanos scribens ita solemniter tradidit [2]: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*, scilicet, non per modum imitationis tantummodo, aut per modum incitationis, sed per modum verae traductionis a primo parente in eius posteros.

Quod quidem non ita debet intelligi, quasi anima rationalis, quae sola est peccati subiectum, traducatur cum semine: nec ista originalis peccati traductio similis est traductioni defectuum corporalium aut etiam moralium a parentibus in proles: huiusmodi enim defectus, ex quo habentur ex origine, culpabilitate vel imputatione vacant, peccatum vero originale est vera macula spiritualis, per modum habitus animae inhaerens. Quocirca, definiri solet peccatum originale [3] *quaedam inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius harmoniae in qua consistebat ratio originalis institiae*: non secus ac aegritudo corporalis est quaedam inordinata corporis dispositio, secundum quam solvitur aequalitas in qua consistit sanitatis ratio. Quapropter peccatum originale dicitur *languor naturae*, et est quaedam inordinatio naturae, sicut peccatum actuale est quaedam inordinatio actus [4].

Ut autem sciatur qua ratione peccatum istud propagetur, considerandum est quod omnes homines, qui ex Adam nascuntur, possunt considerari ut unus homo, in quantum conveniunt in natura quam a primo parente accipiunt; et quemadmodum omnes homines unius populi sunt membra unius corporis, ita omnes homines ab Adam derivati, sunt

[1] Eph., II, 3. — [2] V, 12. — [3] Cf. tr. n. *de pecc. orig.*, quaest. LXXXII, art. 1, n. 6, p. 69. — [4] Ibid., pp. 66, seq.

tanquam multa membra unius corporis. Porro, in uno homine, actus unius membri, verbi gratia, homicidium quod manus committit, non est voluntarius voluntate ipsius manus, et ita non imputatur ad peccatum manui secundum se consideratae; sed voluntarius est voluntate animae, quae primo movet membrum, et ita imputatur manui solum in quantum manus est aliquid hominis, quod movetur a primo principio motivo hominis. Pariter, inordinatio quae est in *hoc* homine ex Adam genito, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes qui ex eius origine derivantur [1].

Sicut igitur membra moventur ab anima ad peccatum actuale, ita homines moventur ab Adam per generationem ad peccatum originale. Porro, non est motio ad generationem, nisi per virtutem activam in generatione: quocirca illi soli peccatum originale contrahunt, qui ab Adam descendunt per virtutem activam in generatione originaliter ab Adam derivatam, seu per seminalem rationem, cum virtus activa in generatione non sit aliud, nisi seminalis motio. Unde, si quis formaretur ex carne quidem humana, sed non seminali ratione, vis activa non derivaretur ab Adam, ideoque talis peccatum originale non contraheret; quemadmodum si manus hominis non moveretur a voluntate hominis, sed ab aliquo extrinseco movente, actus eius non pertineret ad peccatum [2].

2. — Christus originale peccatum non contraxit. — Cum itaque ex dictis iam constet Christum, ex humana quidem carne, sed non seminali virtute, fuisse conceptum, hinc apparet, quod vi suae generationis singularissimae, nullo modo peccatum originale contraxit. Quocirca finis Immaculatae Conceptionis Beatae Virginis non debet sic intelligi, quasi necessaria ista fuerit ut impediretur transfusio peccati originalis in prolem, id est in Christum [3]: transfusio enim

[1] Ibid., pp. 30, seq. — [2] Ibid., pp. 51, seq. — [3] Ad rem S. Bonaventura (3 Sent., Dist. III, P. II, 2, Q. I. Opp., T. III, p. 86): *Non fuisset necessaria Virginis sanctificatio ad hoc quod formaretur caro Christi sine omni peccato.*

peccati originalis in Christo sufficienter impeditur per hoc quod ponitur conceptus ex Spiritu Sancto. Unde, etiamsi Beata Virgo fuisset infecta peccato originali, non propterea Christus cum originali peccato conceptus fuisset. Quod exprimit S. Thomas, qui, dum commentatur illud Damasceni [1]: *Spiritus Sanctus supervenit qui purgavit eam* (scil. Virginem), ait [2]: *Illa purgatio praeveniens in Beata Virgine non requirebatur ad auferendam transfusionem originalis peccati, sed quia oportebat ut Mater Dei maxima puritate niteret: non enim est aliquid digne receptaculum Dei, nisi sit mundum, secundum illud* [3]: DOMUM TUAM, DOMINE, DECET SANCTITUDO.

Sed talis exemptio, praecise ex vi conceptionis, singularissima est in Christo Domino, qui solus ex virtute Spiritus Sancti conceptus est. Praeter ipsum igitur, omnes homines *ex Adam derivati*, ait S. Thomas [4], *peccatum originale ex Adam contrahunt, alioquin non omnes indigerent redemptione quae est per Christum, quod est erroneum.*

Porro, notandus est genuinus horum verborum sensus, ne quis existimet his verbis S. Thomam erroneum reputare quod quis ex speciali privilegio praeservari potuerit. *Est igitur necessarium secundum fidem catholicam credere*, ait Caietanus [5], *quod omnis utriusque sexus, ab Adam secundum rationem seminalem proveniens, ex ipsa sua generatione sit obnoxius peccato originali, et iuxta hunc sensum militat ratio auctoris, scilicet, quia aliter non indigerent redemptione quae per Iesum Christum facta est. Si enim peccatum originale vel in actu, vel in necessitate habendi illud quis non incurreret, non egeret redemptione, quod haereticum esset dicere; sed, si omnes obnoxii sunt peccato originali, sufficit ad indigentiam redemptionis. Neque enim solum redemptione eget actualiter captivus sed etiam obnoxius captivitati* [6].

3. — PROP. — Beatissima Virgo Maria, in primo instanti suae conceptionis, fuit singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvato-

[1] L. III *Orth. Fid.*, c. 2, t. I, p. 204. — [2] Cf. 1 2ae. Quaest. LXXXI, art. 5, ad 3m. — [3] Ps. XCII, 5. — [4] 1 2ae Quaest. LXXXI, art. 3. — [5] In hunc loc. — [6] Vide Append. II. ad calc.

ris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservata immunis.

4. — **Exponitur.** — Verba haec sunt Pii IX [1]: *Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, declaramus, pronunciamus et definimus, doctrinam, quae tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.*

Circa modum huiusce definitionis advertendum est Pium IX, per hunc solemnissimum actum, minime praevenisse definitionem dogmaticam de pontificia infallibilitate; etsi enim rogantibus episcopis Romae praesentibus, ille solus definitionem ediderit [2], non omisit tamen mentionem facere de votis episcoporum qui, illius rogatui arcessituique respondentes [3], fere unanimiter erant testati suam populorumque sibi commissorum sententiam esse, Virginem in suo Conceptu Immaculatam fuisse [4].

[1] In bulla Ineffabilis. — [2] Cf. La solenne Definizione del Dogma dell'Immacolato Concep. Atti e Documenti, ab Ill.mo Vinc. Sardi edit., P. II, passim. — [3] Pius IX. 2 Febr. 1849, encyclicam ab urbe Caieta, ad omnes totius orbis episcopos direxerat, sciscitans quid ipsi, quid clerus, quid populus sibi concrediti de hac re sentirent et expeterent. Vide opus cit. P. I, p. 571. — [4] Revera, quingenti quadraginta sex episcopi singularem suam suarumque ovium fidem in Immac. Concept. testati sunt: quatuor tantum vel quinque definitioni adversarios sese professi sunt: demum quinquaginta, etsi faverent definitioni, aliqua tamen dubia sive circa opportunitatem, sive circa rationem edendae definitionis protulerunt. Op. cit. P. II, p. 175. Omnes autem episcoporum responsiones, una cum pluribus insignium virorum de hoc argumento dissertationibus, collectae fuerunt et evulgatae in novem voluminibus sub communi titulo: *Pareri dell'Episcopato Cattolico*, Romae. Typis *della Civ. Catt.*, 1851.

Porro, antequam ad thesim demonstrandam deveniamus, primo loco insistendum nobis erit in exhibendo genuino sensu, quo accipi debeat dogma de Immaculata Conceptione: qui sensus prioribus theseos verbis clauditur.

5. — Cur dicatur in primo instanti. — Imprimis, ex verbis Pii IX docemur, Beatam Virginem hoc privilegio in primo instanti suae conceptionis fuisse donatam. Revera, sensus Ecclesiae iugiter fuit, privilegium huiusmodi in primo instanti Conceptionis beatissimae Virginis asserendum esse. Cum enim nonnulli excogitassent discrimen inter primum et alterum conceptionis instans et momentum, asserentes celebrari quidem Conceptionem, sed non pro primo instanti atque momento, Romani Pontifices *suarum partium esse duxerunt, et beatissimae Virginis festum et Conceptionem pro primo instanti, tanquam verum cultus obiectum, omni studio tueri ac propugnare* [1].

Ne autem aequivocatio cadat circa istud primum Conceptionis instans, sedulo notanda sunt decretoria verba quibus olim Alexander VII Ecclesiae mentem declarabat, ad quae verba Pius IX provocat in Bulla *Ineffabilis*, eo fine ut verus et genuinus sensus exhibeatur, quo Immaculatae Conceptionis dogma debeat intelligi. *Sane*, inquit praelaudatus Pontifex Alexander VII [2], *vetus est Christi fidelium erga eius beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sentientium eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus, fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius Filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu eius Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium.*

6. — Conceptio activa et conceptio passiva. — Porro, verba ista viam aperiunt percelebri ac diu probatae a philosophis ac theologis distinctioni, scilicet inter conceptionem activam et passivam. Prior se tenet ex parte principii naturae, et respicit conceptum in illo statu, in quem virtus

[1] Bulla Ineffabilis. — [2] In Const. Sollicitudo, die 8 dec., 1661.

formativa parentum primo illum perducit, in quo statu foetus, utpote imperfectissimus et nondum capax animae rationalis, anima tantum vegetativa informatur; cui foetui perfectiori et evolutiori advenit suo tempore anima sensitiva, et postea anima rationalis. Altera conceptio, scilicet passiva, se tenet ex parte termini rationalis naturae, et habetur solummodo quando corpori iam ad sufficientem perfectionem perducto infunditur anima rationalis a Deo tunc creata. *Et utrumque*, ait Magister Sententiarum [1], *vocatur conceptus, scilicet et cum caro propagatur, formamque corporis humani recipit, et cum anima infunditur, quod aliquando etiam dicitur nativitas...: proprie autem nativitas dicitur in lucem editio* [2].

Distinctionem hanc Benedictus XIV fusiori calamo prosequitur. *Conceptio*, ait [3], *dupliciter accipi potest: vel enim est activa, in qua sancti Beatae Virginis parentes opere maritali invicem convenientes praestiterunt ea quae maxime spectabant ad ipsius corporis formationem, organisationem et dispositionem ad recipiendam animam rationalem a Deo infundendam. . . vel est passiva, cum rationalis anima cum corpore copulatur. Ipsa animae infusio et unio cum corpore debite organisato vulgo nominatur conceptio passiva, quae scilicet fit illo ipso instanti, quo rationalis anima corpori omnibus membris ac suis organis constanti unitur.*

Utraque autem ista conceptio, quae profecto in Christo Domino non distinguitur tempore, eo quod conceptio eius, operante Spiritu Sancto, fuit completa in instanti [4], in ipsa Beatissima Virgine debet realiter distingui, non minus quam in alterius cuiuscumque hominis conceptione, cum ipsa ex viro et muliere convenientibus fuerit formata.

Porro, cum conceptio non sit formaliter humana, nisi illo instanti quo anima rationalis infunditur corpori et cum corpore individuum humanae speciei constituit, motus enim a termino denominatur et speciem sumit, et cum, ex altera parte, homo non sit peccati capax, nisi in quantum habet animam rationalem per quam solam etiam est capax ut san-

[1] Lib. 2 Sent., Dist., XXXI. — [2] Vocata etiam est prior conceptio *materialis*, et altera *personalis*. — [3] De Fest., l. II, c. XV, n. 1. Edit. Rom., 1786. — [4] Vide supra, P. I, c. II, a. 2, n. 8, p. 68.

etificetur per gratiam, ideo cum maiori theologorum parte contendimus definitionem pianam, sub luce definitionis alexandrinae, hoc sensu sumi debere, quod Beata Virgo, in primo instanti quo anima rationalis creata est et infusa eius corpori, fuerit in originali iustitia concepta. Verba enim Pontificis ad animam ac personam Beatae Virginis referuntur, minime vero ad id quod nequit dici *Beata Virgo* nisi in causa, virtute aut potentia [1]: dicit enim Beatam Virginem, in primo instanti suae Conceptionis, fuisse *praeservatam* immunem ab originali peccato.

Itaque vi conceptionis suae materialis, Beata Virgo debuisset esse obnoxia debito contrahendi peccatum originale; ita ut, nisi speciale Dei privilegium accessisset, illud contrahere debuisset; sed ex Dei munere, qui legibus a se constitutis non subditur, contigit quod caro Mariae non infecerit eius animam; immo anima tanta fuerit virtute donata, ut ipsam carnem omnino mundaverit ab omni radicali vitiosa dispositione. Hoc autem est praecise quod significatur illo commate: *Singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis:* quae verba fere eadem recurrunt, uti vidimus, in definitione Alexandri VII.

7. — Quid significent verba: Singulari omnipotentis Dei gratia, etc. — Porro, his verbis duo significantur: *primo*, singulare privilegium Beatae Virgini collatum; *secundo*, causa meritoria huius privilegii.

Et quidem, cum privilegium sit gratia quaedam constans, a superiore alicui individuo collata, praeter aut etiam contra legem communem, sat inde eruitur quod Beata Virgo obnoxia fuisset, vi conceptionis suae ex parentibus, contrahendo peccato originali, et proinde cuidam *debito* illud contraendi fuisset subiecta, nisi exempta fuisset: non secus ac puer, qui ex matre in statu servitutis constituta nasceretur, qui tamen ex praevia domini mulieris dispositione futurus esset

[1] De origine animae humanae, et de distinctione inter conceptionem activam et passivam, fuse disseruimus in Op. *Dell'opera dei sei giorni*. P. II. c. VI. Romae, 1904.

liber, esset quidem actu a servitute liber, attamen vi nativitatis ex tali muliere debuisset et ipse servitutem contrahere, nisi extitisset illa praevia exemptio; et ideo debitum quoddam contrahendi servitutem habuisset, nisi fuisset exemptus. Similiter debuisset Beata Virgo, ex vi Conceptionis suae ex parentibus, originale peccatum contrahere, nisi adfuisset speciale Dei privilegium.

Qua quidem expositione, nihil prorsus Virginis dignitati aut catholico dogmati detrahitur, ut aliqui irrationaliter conqueruntur; quin potius salvatur praeservationis et exemptionis ratio in Beata Virgine, necnon singularis Christo proprietas manet, quod ipse nullo modo, nec remote quidem, vi suae conceptionis, fuerit peccato originali obnoxius. Praeterea, ista distinctio viam aperit explicandis catholico sensu plurium Patrum dictis, quae prima fronte contra hoc dogma pugnantia videntur, ut infra ostendetur. Hanc autem veritatem illustrat illud Ulpiani[1]: *Princeps legibus solutus est; Augusta autem, licet legibus soluta non sit, princeps tamen eadem illi privilegia tribuit, quae et ipse habet.*

Ubi vis quoque facienda est in verbis definitionis, *singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio:* licet enim nec fidei catholicae, nec rationi theologicae expresse adversetur aliquorum positio, Deum alios etiam sanctos, verbi gratia sanctum Ioseph, ab originali labe praeservasse, tamen et verbis Bullae *Ineffabilis*, et theologico sensui conformior est sententia adserens privilegium illud pro una Dei Matre, praecise divinae maternitatis ratione; cui et ipsa Beatissima Virgo suffragari visa est, dum in celebri sui apparitione apud Lourdes in Gallia, seipsam esse dixit non solum *immaculate conceptam*, sed ipsammet *Immaculatam Conceptionem: Je suis l'Immaculée Conception*, — quasi a tali privilegio quicumque alius purus homo excludatur[2].

Denique statuitur Beatam Virginem decretam fuisse

[1] Habetur II, tit. 3, DE LEG., lege XXXI. — [2] Quapropter minime probandum est quod aliqui confingunt de immaculata conceptione S. Ioseph. Nuper. decreto S. Officii (Febr. 1907), condemnatus est articulus a José DOMINGO M. CORBATÓ conscriptus, in eph. La Señal de la Victoria, cui titulus, *El Inmaculado S. José.*

immunem ab originali labe, non intuitu ipsiusmet futurorum meritorum, puta quae sua compassione comparatura erat, ut aliqui falso imaginantur, sed *intuitu meritorum Christi*, ita ut rite dicatur prima omnium creaturarum a Christo redemptarum, primitiae fructus pretiosissimi eius Sanguinis. Cum enim Christus sit omnium Redemptor, nullo modo ipsemet redemptus, aequum fuit ut redemptionis fructum prima omnium illa caperet, quae ad ipsum propinquius omnibus, maternitatis relatione, accedebat. Et quia quanto propinquius aliquod receptivum accedit ad principium influens, tanto magis de eius influxu recipit, ideo redemptio Beatae Virgini collata non liberativa, sed praeservativa esse debuit; nec propterea ex hoc desinit esse redemptio, quod Maria vinculis peccati nunquam actu fuerit detenta: non enim minus est a lapsu aliquem totaliter impedire, quam post lapsum iterum erigere. Unde, in Bulla *Ineffabilis*, Beata Virgo expresse dicitur *sublimiori modo redempta.*

8. — **Duplex redemptio.** — Est igitur duplex redemptio: alia *restaurativa* seu liberativa, alia autem *praeservativa*, seu anticipata. Et haec, non minus quam illa, vera redemptio est. Quem in locum faciunt pulcherrima verba S. Augustini, qui, commentans illud: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori. — Quidam*, ait [1], *... orans in voce Christi, eruisse Deum animam suam ab inferno inferiore dixit, quia liberavit se a talibus peccatis, per quae posset deduci ad tormenta inferni inferioris. Quemadmodum si medicus videat tibi imminentem aegritudinem forte ex aliquo labore, et dicat: Parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis utere; nam si non feceris, aegrotabis: tu autem si feceris et salvus fueris, recte dicis medico: Liberasti me ab aegritudine, non in qua iam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestam mittendus erat in carcerem: venit alius, defendit eum: gratias agens, quid dicit? Eruisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo: liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant; sed quia talibus meritis agebantur ut, nisi subrentum esset, ibi essent, inde recte se dicunt liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perduci.*

[1] Enarr. in Ps. LXXXV, v. 17. n. 18, t. IV, c. 913.

9. — Beata Virgo fuit a Christo redempta. — Porro, non potuit fieri quod Beata Virgo fuerit in tempore praeservata ab incurrenda originalis peccati labe, quin Deus ab aeterno illam praefinierit taliter praeservandam. Quod autem taliter praeservata fuerit, non est Adae adscribendum, quasi ille, ut aliqui volunt, in sua voluntate excluserit, inter suos posteros, Beatam Virginem: est enim falsus modus intelligendi transmissionem peccati originalis, quasi voluntas cuiuscumque hominis ab Adam nascituri fuerit tunc actu inclusa in illius voluntate; nec eo sensu praeservata Deipara fuit, quasi Deus ipse, pacto cum Adam inito, noluerit Filii sui Matrem includi in comminatione de universo genere per primi hominis peccatum perdendo, cum Immaculata Conceptio pendeat ex praevisis meritis Christi Domini, et decretum de Incarnatione fuerit natura posterius, ut supra diximus [1], decreto de lapsu.

Quocirca, melius dicendum est Deum, cum ab aeterno praevidisset primi hominis peccatum, quo omnes universim homines ex ipso per viam naturalis generationis nascituri infici deberent, et cum in huius peccati remedium ordinasset Christi Domini Incarnationem, voluisse et praefinivisse ut ex Verbi Incarnati praevisis meritis, illa quae futura erat eius Mater, a contrahendo peccato originali, alias ipsi debito, per speciale privilegium eximeretur: unde diximus Beatissimam Virginem, nisi fuisset praeservata, debuisse, necessitate generationis seminalis ex Adam, et hoc quidem ex praeordinatione Dei permittentis ipsum Adae lapsum, originale peccatum contrahere.

Quapropter, minus recta, confusionem inducens, et consequenter eliminanda est illa distinctio duplicis debiti in Beata Virgine, *remoti* scilicet et *proximi*, quatenus istud ex ipsa generationis lege, illud vero ex Dei voluntate oriatur: non enim poterat seminalis generatio peccatum originale citra Dei ordinationem inducere: unde et generaliter non est distinguendum in effectu id quod est causae primae ab eo quod est causae secundae [2].

Unde negare quod Beata Virgo debuisset, vi suae con-

[1] Cf. supra, P. I, c. I, art. 2, p. 19. — [2] 1, Quaest. XXIII, art. 5.

ceptionis, contrahere peccatum originale, idem est ac diminuere universalitatem actionis redemptivae Christi; ita ut in ista hypothesi, Beata Virgo decreto Dei antecedenti et absoluto et prorsus absque respectu ad Christi merita fuisset praedestinata ut immaculata conciperetur, immo ante praevisionem peccati originalis necnon ante praevisionem ipsius Incarnationis mysterii, quod sedulo exclusimus in prima parte [1]. Quin potius, in ordine executionis, Deus praeordinavit ut Christi Incarnatio totum rerum ordinem irradiaret, ideoque usque ed eius Genitricem extenderetur, non quidem ad hoc ut Deipara fieret, sed ad hoc ut *talis*, scilicet absque culpa originali, nasceretur.

Quapropter Maria recte ponitur ex praevisis Christi, humani generis Redemptoris, meritis praedestinata ab aeterno, ut a naturae labe, cui, utpote Adae filia, obnoxia tenebatur, immunis evaderet. *Certum puto convenire in eo nos omnes*, ait Suarez [2], *Virginem scilicet immaculatam, fuisse proprie et vere redemptam per Christum; hoc fuit fundamentum S. Thomae, in quo non ei contradicunt boni defensores Immaculatae Conceptionis, sed in consequentia quam fecit:... nec video aut audio qui illud neget.*

De cette manière donc, ait S. Franciscus Salesius [3], *Dieu destourna de sa glorieuse Mère toute captivité, luy donnant le bonheur des deux estatz de la nature humaine, puisqu'elle eut l'innocence que le premier Adam avoit perdue, et jouit excellemment de la rédemption que le second luy acquit; en suite dequoy, comme un jardin d'eslite qui devoit porter le fruit de vie, elle fut rendue florissante en toutes sortes de perfections, ce Filz de l'amour eternel ayant ainsi paré sa Mère de robbe d'or, récamée* [4] *en belle varieté, affin qu'elle fust la Reyne de sa dextre, c'est a dire la première de tous les esleuz, qui jouiroit des delices de la dextre divine. Si que cette Mère sacrée, comme toute reservée à son Filz, fut par lui rachetée, non seulement de la damnation, mais aussi de tout peril de la damnation, luy asseurant la grace et la perfection de la grace; en sorte qu'elle marchast comme une belle aube qui, commençant*

[1] Supra. p. 19. — [2] De Pecc. orig., disp. IX, sect. IV. — [3] 3, Traité de l'Amour de Dieu, l. II, c. VI. — [4] Idest *brodée*, ital.: *ricamata*.

à poindre, va continuellement croissant en clarté jusques au plein jour. Rédemption admirable, chef d'œuvre du Rédempteur et la premiere de toutes les rédemptions, par laquelle le Filz, d'un cœur vrayement filial, prévenant sa Mère es benedictions de douceur, il la préserve non seulement du peché, comme les Anges, mais aussi de tout peril de peché et de tous les divertissemens et retardemens de l'exercice du saint amour. Aussi proteste-il qu'entre toutes les créatures raysonnables qu'il a choisies, cette Mère est son unique colombe, sa toute parfaite, sa toute chère Bienaymée hors de tout parangon [1] *et de toute comparayson.*

Hisce praestitutis, iam ad theseos probationem deveniendum est, quae desumitur ex Sacra Scriptura, ex Ecclesiae traditione, necnon ex theologicis rationibus: quibus tamen evolvendis normam praebebit ipsa celeberrima Bulla *Ineffabilis.*

10. — Probationes ex S. Scriptura. — I. Ex Veteri Testamento. — α) Ex protoevangelio [2]. — *Patres Ecclesiaeque scriptores,* legitur in citata Bulla, *caelestibus eloquiis edocti... enarrantes verba quibus Deus praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praenuntians, et deceptoris serpentis retudit audaciam, et nostri generis spem mirifice erexit, inquiens:* INIMICITIAS PONAM INTER TE ET MULIEREM, ET SEMEN TUUM ET SEMEN ILLIUS. — *docuere divino hoc oraculo clare aperteque praemonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet Unigenitum Dei Filium Christum Iesum, ac designatam Beatissimam eius Matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas. Quocirca, sicut Christus Dei hominumque mediator, humana assumpta natura, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud Cruci triumphator affixit, sic sanctissima Virgo, arctissimo et indissolubili vinculo cum Eo coniuncta, una cum Illo et per Illum, sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso plenissime triumphans, illius caput immaculato pede contrivit* [3].

[1] Idem quod *comparaison*, ital.: *paragone.* — [2] GEN., III, 15. — [3] Ex hisce verbis aperte constat, non solum theologum uti posse

Porro, cum hic locus sit potissimus eorum quae in Veteri Testamento pro immaculato Beatissimae Virginis Conceptu habentur, pretium operae nostrae erit paulisper in eo explicando immorari. Integer locus ita hebraice legitur: וְאֵיבָה אָשִׁית בֵּינְךָ וּבֵין הָאִשָּׁה וּבֵין זַרְעֲךָ וּבֵין זַרְעָהּ הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ וְאַתָּה תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב: — quod Septuaginta reddunt: καὶ ἔχθραν θήσω ἀνὰ μέσον σοῦ, καὶ ἀνὰ μέσον τῆς γυναικὸς, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς· αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν. In nostra autem Vulgata legitur: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.*

11. — **Sensus huius vaticinii.** — Priorem huius vaticinii partem modo considerantes, *primo* excludere debemus falsos sensus; *secundo* veros sensus stabiliemus.

Falsi sensus tres fingi possunt: primus, eorum qui in mosaica narratione solum mythum agnoscunt; secundus, sentientium, cum Origene, solam ibi allegoriam contineri; tertius, accipientium, cum auctore quodam rosminiano [1], pro semine serpentis, de quo in vaticinio fit sermo, illud semen quod diabolus ipse produxisset in Adam per comestionem fructus quem possederat; per semen autem mulieris, minimam huius partem a daemone neglectam, ex qua postea Beata Virgo fuisset producta [2].

vaticinio genesiaco, saltem quod ad illius primam partem attinet, ad dogma de Immaculata Conceptione conficiendum, sed etiam nemini licere de illius sensu ancipitem haerere: siquidem, huic interpretationi, quam esse Patrum Ecclesiaeque scriptorum testatur Pius IX, accedit ipsa huius Pontificis, per citata Bullae *Ineffabilis* verba, solemnis sactio. Videsis P. Gulielm. Arendt, S. I.: *Qua ratione immaculata Mariae Virginis Conceptio in Protevangelio contineatur*. Analecta Ecclesiastica, Nov., 1903, pp. 463 seq.; Ian. 1904, p. 39, seq. Nuperrime Pius X, in Encycl., *Ad diem illum*, 11 Febr., 1904, ait: *Mariam utique serpentis caput conterentem prospiciebat Adam.*

[1] Ragioni della condanna delle quaranta Proposizioni di Rosmini, esposte dal Teologo F. C. D., pp. 71, seq. — [2] De hac sententia fusior recurret sermo inferius.

Sensus autem veri tres pariter esse possunt, et quidem litterales: scilicet, unus *proprius*, duo vero *metaphorici* [1].

Primus sensus est ut per serpentem intelligatur ille materialis serpens quo diabolus usus est tanquam instrumento ad tentandam Evam ipsam: ita ut inimicitiae intelligantur statutae inter hominum genus et progeniem serpentis, quod eventu satis comprobatur, hominibus a serpentibus particulariter horrescentibus.

Secundus sensus est ut per mulierem intelligatur Ecclesia, sive Veteris sive Novi Testamenti, per serpentem autem diabolus, qui in Apocalypsi vocatur *serpens antiquus* [2]; unde inimicitiae praedicuntur extiturae inter Ecclesiae filios et diabolicum exercitum, iuxta illud S. Petri [3]: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret: cui resistite fortes in fide.*

Tertius sensus convenit cum secundo ex parte serpentis, per quem intelligitur daemon, et per eius semen, exercitus sub illo constitutus; sed discrepat a praecedenti in eo quod per mulierem exhibet significatam Beatissimam Virginem Mariam, et per eius semen Christum Dominum. Huic quidem interpretationi aliena non est traditionis mens: legimus enim apud veterem auctorem [4]: *Aliud semen mulieris nullum prorsus accipio, nisi illud quod Apostolus ait:* FACTUM EX MULIERE, FACTUM EX CARNE... *Mater itaque Domini Nostri Iesu Christi in illa iam tunc muliere promissa est.* Revera, in voce hebraica הָאִשָּׁה, praefixum ה, quod Graecorum articulo respondet, specialem quamdam et excellentem mulierem designat, quae Evae peccatrici opponitur. Convenit autem propositae rei quod Christus dicatur mulieris semen, cum sine viri consortio natus sit.

Ex quibus in promptu est ut argumentum conficiatur. Siquidem, eiusdem generis inimicitiae constituuntur inter Beatam Virginem et diabolum, quae sunt inter Virginis Fi-

[1] Recole quid de multiplici sensu litterali disseruimus in tract. de DEO UNO, P. I, Quaest. I, art. 10, nn. 8, seq. — [2] XII, 9. — [3] 1 PETR., V, 8, 9. — [4] In Epist. DE VIRO PERFECTO, C. 6, t. XI, pars II, p. 80, inter opera S. Hier.

lium, scilicet Christum, et diaboli progeniem. Atqui inter Christum et daemonem tales inimicitiae sunt, ut nihil sui daemon in Christo reperiat, quemadmodum ipse diabolus coactus est confiteri [1]: *Quid nobis et tibi, Iesu, Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos.* Ergo inter Beatam Virginem et serpentem tales quoque inimicitiae sunt, ut in illa diabolus nihil sui, id est, peccati, reperire valeat.

II. Quod autem ad alteram vaticinii partem attinet, aliqua difficultas habetur propter discrepantiam textuum primigeniorum a Vulgata latina: siquidem in Vulgata mulier, secundum orientales textus autem mulieris soboles, serpentis caput contritura exhibetur; nam et hebraicum הִוא, *ipse*, ad זַרְעָהּ *semen*, grammaticali, graecum vero αὐτός, *ipse*, ad σπέρμα, *semen*, logica concordantia pertinent. — Attamen lectio Vulgatae, quae et plurium Patrum inter latinos et Ecclesiae usu commendatur, sensum exhibet non substantialiter diversum a sensu orientalium textuum, cum nonnisi per Filium, Beatissima Virgo diaboli caput conterere potuerit.

Igitur, secundum lectionem Vulgatae, ita argumentari possumus ad confirmationem probationis. Beata Virgo, simul cum Filio suo, plenissimum de hoste antiquo ostenditur relatura triumphum. Atqui, ut plenus sit triumphus, necesse est ut in nullo quis ab hoste vincatur. Ergo Beata Virgo, non secus ac eius Filius Iesus Christus, nullo modo ab hoste maligno superanda erat; exinde in Conceptione sua ab omni culpa immunis prorsus evasit.

12. — β) Ex figuris quibus Beata Virgo in Veteri Testamento praesignatur [2]. — Hoc argumentum melius evolvere non possumus, quam utendo ipsismet verbis Bullae *Ineffabilis*. in qua, post expositum triumphum Beatae Virginis, in Genesis capite III praedictum, sequentia habentur: *Hunc eximium singularemque Virginis triumphum, excellentissimamque innocentiam, puritatem, sanctitatem, eiusque ab omni peccati labe integritatem, atque ineffabilem caelestium omnium gratiarum, virtutum, ac privilegiorum copiam et magnitudi-*

[1] MATTH., VIII, 29. — [2] Cf. quae diximus, Part. I, C. I, art. 3.

nem, iidem Patres viderunt tum, a) *in* arca *illa* Noe, *quae divinitus constituta a communi totius mundi naufragio plane salva et incolumis evasit; tum* b) *in* scala *illa, quam de terra ad caelum usque pertingere vidit Iacob, cuius gradibus Angeli Dei ascendebant et descendebant, cuiusque vertici ipse innitebatur Dominus;* c) *tum in* rubo *illo, quem in loco sancto Moyses undique ardere ac inter crepitantes ignis flammas non iam comburi aut iacturam vel minimam pati, sed pulcre virescere ac florescere conspexit;* d) *tum in illa inexpugnabili* turri *a facie inimici, ex qua mille clypei pendent omnisque armatura fortium;* e) *tum in* horto *illo concluso, qui nescit violari neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus;* f) *tum in corusca illa Dei* civitate, *cuius fundamenta in montibus sanctis;* g) *tum in augustissimo illo Dei* templo, *quod divinis refulgens splendoribus plenum est gloria Domini;* h) *tum in aliis eiusdem generis omnino plurimis, quibus excelsam Deiparae dignitatem, eiusque illibatam innocentiam et nulli unquam naevo obnoxiam sanctitatem insigniter praenunciatam fuisse Patres tradiderunt.*

Ad hanc eamdem divinorum munerum veluti summam, originalemque Virginis, de qua natus est Iesus, integritatem describendam, iidem Prophetarum adhibentes eloquia, non aliter ipsam augustam Virginem concelebrarunt, ac uti i) columbam *mundam, et* j) *sanctam* Hierusalem, *et* k) *excelsum Dei* thronum, *et* l) arcam *sanctificationis, et* m) domum, *quam sibi aeterna aedificavit Sapientia, et* n) Reginam *illam quae deliciis affluens et innixa super Dilectum suum, ex ore Altissimi prodivit omnino perfecta, speciosa ac penitus cara Deo, et nullo unquam labis naevo maculata.*

13. — II. Ex Novo Testamento -- α) Ex annuntiatione Gabrielis Archangeli [1]. — *Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus... Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum.* — Χαῖρε, κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν... Μὴ φοβοῦ, Μαριάμ· εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ.

[1] Luc., I, 28-30.

Quae verba commentans Pius IX in Bulla *Ineffabilis* ait: *Cum vero ipsi Patres, Ecclesiaeque scriptores animo mentequc repularent Beatissimam Virginem ab Angelo Gabriele sublimissimam Dei Matris dignitatem ei nuntiante, ipsius Dei nomine et iussu, gratia plenam fuisse nuncupatam, docuerunt, hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita, ostendi Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem omnibusque Divini Spiritus charismatibus exornatam, immo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustam, adeo ut nunquam maledicto obnoxia et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit*: BENEDICTA TU INTER MULIERES ET BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI [1].

Ex quibus locis ita licet argumentari. Imprimis *novum genus salutationis*, quae profecto ipso Deo mandante fiebat, innuit in Virgine Beata novum specialemque adesse titulum pro laudatoriis Angeli verbis. Atqui in Veteri etiam Testamento nonnulli extiterunt magnae sanctitatis viri et mulieres, quibus similis quidem compellatio, utique quantum ad partem, nunquam tamen quantum ad totum, convenerat: sic quippe sanctam Iudith de Holophernis caede reducem Ozias salutavit [2]: *Benedicta es tu filia, a Domino Deo excelso*; sic quoque Baptista vocatus est Ioannes, ob gratiam quam ex utero matris sibi collatam habuit [3]. Ergo novum et insolitum salutationis genus argumento est, in Maria novam adesse et insolitam sanctificationis praerogativam; talem quippe quae etiam Ioannis sanctificationem superexcedat,

[1] IBID., 42. — [2] IUDITH, XIII, 23. — [3] LUC., I, 15. Etsi S. Augustino (Ep. CLXXXVII ad Dardan., t. II, col. 690, n. 35), S. Bernardo (Ep. CLXXIV ad Can. Lugd., t. II, p. 74), S. Thomae Aquinati (3. Quaes. XXVII, art. 6) aliisque visum sit Hieremiam sanctificatum fuisse in utero, tamen probabilius cum pluribus sacrorum scriptoribus retinemus id quod de illo legitur (Ier., I, 5): *Antequam exires de vulva sanctificavi te*, intelligi debere de quadam speciali deputatione, scilicet ad praefigurandum Christum propria passione; mos enim Scripturae est ut *sanctificatio* pro *deputatione* ponatur, sicut cum dixit Christus de seipso (Io., XVII, 19): *Et pro eis ego sanctifico meipsum*. Vide tract. nostrum de S. IOSEPH, P. II, art. 1, nn. 7, seq., p. 144.

et quidem non in utero post conceptionem, sed in ipso conceptionis momento.

Rursus, taliter praedicatur gratia in Maria existens, ut eius capacitas sine temporis restrictione adimpleta perhibeatur. Atqui quilibet homo, etiam in primo instanti suae conceptionis, gratiae capax existit. Ergo Beata Virgo in primo instanti suae conceptionis gratiam recepit, cuius quidem talis capacitas non potuit impleri, quin originale peccatum in ipsa excluderetur.

Nec *obstat* quod in graeco habetur κεχαριτωμένη, quod potius significare videtur *gratiosam redditam* quam *gratia plenam*, unde et in Anglicanorum versionibus legitur *highly favoured*, italice: *o favorita*: — nam, praeterquam quod Vulgatae nostrae auctoritati, quam ex Ecclesiae susceptione habet, suffragatur Patrum, etiam ex antiquioribus, interpretatio, vox ipsa κεχαριτωμένη per ly *gratia plena* optime redditur. Revera, et vocabulum χάρις, et ab eo derivatum χαριτόω, in Sacra Scriptura adhibentur non ad illam gratiam significandam, quae in mera gratificantis aestimatione consistat, sicut penes profanos scriptores accipitur; sed ad designandam gratiam sensu theologico acceptam, id est pro illo dono quod a Deo derivatum animae inhaeret [1]. Quocirca, ly κεχαριτωμένη hic idem est ac *obiective ac in temetipsa gratiosa reddita*, nulla scilicet vacuitate relicta, ideoque *omnino plena caelesti gratia* [2].

Pariter, ita gratiam habuit Beatissima Virgo, ut illam simpliciter invenerit apud Deum. Atqui gratiam simpliciter apud Deum invenisse, est illa nunquam caruisse. Ergo Beata Virgo nullo suae existentiae momento caruit divino gratiae munere, caeterisque charismatibus quae habentes gratiam comitantur.

Iterum, Angelus Virginem salutavit, tanquam inter omnes mulieres, id est, prae omnibus mulieribus, simpliciter benedictam. Ergo talis esse debuit ista benedictio, ut omnem maledicti umbram excluderet. Igitur Beata Virgo nunquam

[1] Cf. tr. nostrum De Gratia, Quaest. CX, art. 1, n. 6, p. 102. — [2] Circa modum salutationis angelicae, vide Alex. M. Planch, Ord. Serv. B. M. V. Vita B. M. V., Oeniponti, 1762, pp. 84, seq.

peccato subiacuit, ne originali quidem, secus aliquando maledictio in ea extitisset. — Quae ratio confirmatur ex verbis quibus S. Elisabeth, divino acta Spiritu, Virginem est allocuta; nam afflante Spiritu Sancto, eodem benedictionis genere, quo Christus praedicatur benedictus, benedicta praedicatur et eius Mater. Atqui ita Christus exstitit benedictus, ut nunquam maledicto fuerit obnoxius. Ergo et Beata Virgo una cum Filio suo perpetuae benedictionis particeps fuit.

Ubi evidenter malae fidei arguitur versio italica Sacrae Scripturae a protestantibus edita, dum alteram partem angelicae salutationis ita reddunt: *Il Signore sia teco, benedetta sii tu fra le donne*; et salutationem S. Elisabeth: *Benedetta sii tu fra le donne, e benedetto sia il frutto del tuo ventre.* Profecto ἡ κεχαριτωμένη non poterat Dei praesentia carere, ita ut haec ipsi optaretur: et sicut Christo, in quo Deus *benedixit nos* [1], non erant expetendae benedictiones, ita nec Beatissimae eius Matri, quae simul cum Christo benedicta praedicatur [2].

14. — *γ*) **Ex cantico ipsius Beatissimae Virginis.** — Audita mirabili salutatione Elisabeth, Beatissima Virgo celebre illud edidit canticum *Magnificat*, in quo et Dei proprietates mirifice extollit, et suam ipsius excellentiam, humilitatis probe conscia, amplissimis verbis praedicat. Ubi, inter caetera haec protulit: *Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum no-*

[1] Eph., I, 3. — [2] Non tanto ausu traditionalem huius loci interpretationem aggressa est anglicana versio Iacobi sexti, dum praefata verba ita reddit: *Hail, thou that art highly favoured, the Lord is with thee, blessed art thou among women.. Blessed art thou among women and blessed is the fruit of thy womb.* — Impares tamen manebunt Bibliarum protestanticae Societates evellendo e cordibus gentium catholicarum in magnam Deiparam fidei devotionisque sensui: de hisce enim dici potest quod de Italia rite scripsit poeta Longfellow (*Prince Henry*):

This is indeed the Blessed Mary's land
Virgin and Mother of our dear Redeemer.

Luc., I, 49. Contra eos qui, paucis latinae editionis exemplaribus innixi, contenderunt cum A. Loisy, Minocchi, aliisque, canticum *Magnificat* esse attribuendum S. Elisabeth, plures insurrexerunt catho-

men eius, ἐποίησέν μοι μεγάλα ὁ δυνατός, καὶ ἅγιον τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Quod commentans Summus Pontifex Pius IX, ait [1]: *Hinc non luculenta minus, quam concors eorumdem* (Patrum) *sententia, gloriosissimam Virginem, cui fecit magna qui potens est, ea caelestium omnium donorum vi, ea gratiae plenitudine, eaque innocentia emicuisse, qua veluti ineffabile Dei miraculum, immo omnium miraculorum apex, ac digna Dei Mater extiterit, et ad Deum ipsum pro ratione creatae naturae quammaxime accedens omnibus, qua humanis, qua angelicis praeconiis celsior evaserit.*

Ex quo iterum sic libet argumentari. In Beatissima Virgine suam Deus omnipotentiam singulari modo ita manifestavit, ut ipsa Beata Virgo miraculum, imo omnium miraculorum apex recte dicatur. Atqui divina omnipotentia in hoc potissime manifestatur, quod Deus totaliter hostes suos devicerit. Ergo in Beatissima Virgine Maria magna fecit Deus omnipotens, in ipsa totaliter debellando et superando diabolicas potestates.

Accedit et aliud argumentum, quod tradit Pater Segneri [2], ex P. Perez depromptum. In cantico suo Beatissima Virgo omnia argumenta exponit unde seipsam, tanquam humilem Dei ancillam, coram Angelo deprimat. Atqui, si in peccato originali revera fuisset concepta, profecto id rescivisset, ideoque non debuisset dicere: *Respexit humilitatem ancillae suae*, sed: *Iniquitatem inimicae suae*, quemadmodum omnes Sancti peregere, et suadet veritas; nam initium iustitiae est accusatio proprii reatus, iuxta illud [3]: *Iustus prior est accusator sui.*

15. — Corollarium. — Cum ex Tridentino doceamur [4] homines, ex Adam progenitos, protinus inquinari, esse immundos, maculatos, natura filios irae et peccati ac diaboli

lici scriptores, inter quos R. P. Florianus Jubaru, S. I., in opusc. cui titulus: *Le Magnificat, expression réel de l'âme de Marie*. Romae, 1905, in quo futilem illam positionem auctor egregie refutat. Videsis ephem. Revue thomiste, Sept., Oct. 1911, art. *Le Magnificat*, a P. Péret.

[1] Bulla Ineffabilis. — [2] Panegirico dell'Annunziata. — [3] Prov. XVIII, 17. — [4] Sess. V, Decretum de Pecc. orig.

servos, Mariam autem noverimus conditam fuisse in statu Evae adhuc virginis, adhuc innocentis, adhuc incorruptae et nondum mortifero serpente deceptae, et in isto beatissimo statu, secus ac Evam, iugiter permansisse, hinc inferri potest ab ipsa serpentis *vim potestatemque, virtute divinitus accepta, funditus labefactatam fuisse* [1].

16. — **Probationes ex Ecclesiae traditione.** — At quoniam Dominus Noster Ecclesiae suae mandavit tum ut fidei depositum ab erroribus immune custodiret, tum ut id quod in initio implicite traditum est, temporum decursu in meliorem lucem, discussis undequaque dubiis, proferret, ideo officium nostrum nunc est, exposita Sacrae Scripturae doctrina de Immaculato Virginis Conceptu, Ecclesiae quoque traditiones reserare, ut deprehendere valeamus quanam ratione catholica de isto dogmate doctrina variis aetatibus fuerit retenta, et in explicitiorem formam postea redacta [2].

Ad quam traditionem provocat Pius IX in citata Bulla, his verbis: *Quam originalem augustae Virginis innocentiam cum admirabili eiusdem sanctitate, praecelsaque Dei Matris dignitate omnino cohaerentem, catholica Ecclesia, quae Sancto semper edocta Spiritu, columna est ac firmamentum veritatis, tanquam doctrinam possidens divinitus acceptam, et caelestis revelationis deposito comprehensam, multiplici continenter ratione splendidisque factis magis in dies explicare, proponere ac fovere nunquam destitit.*

In quo, ut ordinatim procedamus, distinctis paragraphis dicemus: I, quid Ecclesiae Concilia hac de re definierint: II, quid Patrum consensio tenuerit; III, quid Romani Pontifices docuerint; IV, quid liturgia ipsa tradiderit; V, quid universitates catholicae decreverint; VI, quid denique fidelium sensus sit hac in re constanter professus.

17. — **I. Ex Ecclesiae Conciliis.** — Ad Ecclesiae fidem, a sacris Doctoribus in Conciliis propositam et defensam, primo

[1] Bulla Ineffabilis. — [2] Videsis Ant. Ballerini, S. I., Sylloge monumentorum ad mysterium Conc. Imm. Deiparae illustrandum. Parisiis, 1855.

loco adtendentes, ostendere debemus quomodo, ex hoc capite, dogma de Immaculato Virginis Conceptu mirifice elucescat. *Omnes norunt,* ait Pius IX [1], *quantopere solliciti fuerint Sacrorum Antistites, vel in ipsis ecclesiasticis conventibus, palam publiceque profiteri, sanctissimam Dei genitricem Virginem Mariam, ob praevisa Christi Domini Redemptoris merita, numquam originali subiacuisse peccato, sed praeservatam omnino fuisse ab originali labe, et idcirco sublimiori modo redemptam.*

Revera, in Concilio *Constantiensi* (A. D. 1416), celeber Gersonius, sermone habito super illo S. Matthaei [2]: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus,* doctrinam de Immaculata Virginis Conceptione exposuit et defendit, approbante Concilio [3].

Celebre quoque est decretum Concilii *Basileensis* (A. D. 1439), in Sessione trigesima sexta latum, quo declaratur Immaculatam Beatae Mariae Virginis Conceptionem esse opinionem piam, Ecclesiae doctrinae, fidei catholicae, rectae rationi, necnon Sacris Scripturis consentaneam; tum dicitur quod ab omnibus catholicis adprobari debet, nec permittitur ut contrarium doceatur aut praedicetur. Festum quoque celebrandum indicitur in universa Ecclesia pro die 8 Decembris, iuxta consuetudinem Ecclesiae Romanae; nam usque ad id tempus festum illud libere et arbitrarie fuerat observatum; officium vero a Ioanne de Segovia compositum can-

[1] Bulla INEFFABILIS. — [2] I, 10. — [3] MANSI, Sacr. Concil. nova et ampl. Collectio, t. XXVIII, col. 535, seq. Venet. 1785. - En quae pertractanda sibi proponebat eximius parisiensis universitatis Cancellarius in illo celebri sermone: *Offerunt autem nobis ex praeassumptis Matthaei evangelistae verbis duo nostrae fidei principia. Primum, quod ex Maria natus est Iesus qui vocatur Christus, et ita fuit Mater Dei, quia Christus est Deus. Alterum quod Ioseph fuit vir Mariae, et ita caput eius, quia* CAPUT MULIERIS VIR, *(Ephes., V, 23), secundum Apostolum. Ex hoc autem duplici principio concluditur alterum duplex. Unum, quod decuit, ut Maria tanta puritate niteret, sicut dicit Anselmus, qua sub Deo maior nequit intelligi. Alterum, quod decuit ut Ioseph tanta praerogativa polleret, quae similitudinem et convenientiam exprimeret talis Sponsi ad talem Sponsam, Mariam* DE QUA NATUS EST IESUS QUI VOCATUR CHRISTUS. Apud. Card. Ios. Cal. Vives, SUMMA IOSEPHINA, Romae, 1907, p. 34.

tandum proponitur; Indulgentiae etiam conceduntur hoc festum celebraturis. Et licet iam Eugenius IV Concilium anathemate perculserat, unde decretum illud infallibilitate caret, tamen hoc ipsum decretum causa fuit cur pluribus in locis Immaculatae Conceptionis cultus mirabiliter augeretur [1].

Sed et in Concilio *Avenione* (A. D. 1457) adunato, cura Petri Cardinalis de Foix Archiepiscopi Arelatensis et Legati Avenionensis, praecipue ad hunc finem, ut scilicet decretum Concilii Basileensis de Immaculata Conceptione B. M. V. confirmaretur, prohibitum fuit omnibus sub excommunicationis poena, ne contrarium praedicarent, et omnibus parochis iniunctum ut decretum illud omnibus suis subditis annuntiarent [2].

Verum solemnior longe est declaratio facta a Concilii *Tridentini* Patribus, qui, definita peccati originalis in omnes homines, necessaria lege, transmissione, addunt: *Declarat tamen haec ipsa sancta Synodus, non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem: sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papae IV, sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat* [3]. Qua declaratione, *Tridentini Patres ipsam Beatissimam Virginem ab originali labe solutam, pro rerum temporumque adiunctis satis innuerunt, atque adeo perspicue significarunt, nihil ex divinis Litteris, nihil ex traditione, Patrumque aucto-*

[1] Mansi, t. XXIX, col. 182. Qua in re, placet referre verba quibus Gianius (*Annal. Serv. B. M. V.*, t. I, centuriae III, l. I, c. XIII, p. 469) refert, huius decreti causa, praefatum cultum penes Beatissimae Virginis Servos incrementum accepisse. *Cumque eisdem illis diebus* (1445) *decretum Basileensis Concilii de Festo die Immaculatae Conceptionis B. M. V. solemni ritu quotannis celebrando passim et ubique plausibili reipublicae christianae consensione divulgaretur brevique ab omnibus pia religione coleretur, ut Ordo Servorum prae caeteris huiusmodi honores sacros Sospitatrici Patronae suae Dei Matri promptiori animo exhiberet, annuas quasdam pro eo die rogationes per urbes publice instituit, quarum adhuc consuetudo nonnullis in locis viget, utpote Senis et Perusii, ubi ex senatus consulto et Eugenii indulto, publicae preces et antiqua vota servantur.* — [2] Mansi, t. XXXII, col. 186, n. IX. — [3] Sess. V, Decr. de Pecc. orig.

ritate rite afferri posse, quod tantae Virginis praerogativae quovis modo refragetur [1].

18. — II. Ex Patrum traditione. — Primo loco sit argumentum universale, depromptum ex modo quo Patres de Beatissima Virgine loqui consuevere. Porro, isti *nunquam cessarunt Deiparam appellare, vel* α) *lilium inter spinas vel* β) *terram omnino intactam, virgineam, illibatam, immaculatam, semper benedictam, et ab omni peccati contagione liberam, ex qua novus formatus est Adam, vel* γ) *irreprehensibilem, lucidissimum, amoenissimumque innocentiae, immortalitatis ac deliciarum paradisum a Deo ipso consitum, et ab omnibus venenosi serpentis insidiis defensum, vel* δ) *lignum immarcescibile, quod peccati vermis nunquam corruperit, vel* ε) *fontem semper illimem et Spiritus Sancti virtute signatum, vel* ζ) *divinissimum templum, vel* η) *immortalitatis thesaurum, vel* θ) *unam et solam, non mortis, sed vitae, filiam, non irae, sed gratiae germen, quod semper virens ex corrupta infectaque radice singulari Dei providentia praeter status communesque leges efflorverit* [2].

Accedit quod Patres, de Beatissima Virgine loquentes, ubi de peccatis ageretur, nullam habendam esse quaestionem edixerunt; illam vocantes *parentum reparatricem, posterorum vivificatricem, a saeculo electam, ab Altissimo sibi praeparatam, a Deo praedictam*, ideoque ab omni peccati contagione *integram*, sed semper cum Deo *conversatam* et arcto foedere *coniunctam*, et consequenter *idoneum plane extitisse Christo habitaculum, non pro habitu corporis, sed pro gratia originali* [3].

Sed quia longior est Patrum traditio, quam ut illam valeamus per singula persequi, ideo rem nos utiliorem et nostro proposito magis accommodam facturos esse censemus, si eorum sensa ex nominibus, quibus ad designandam Beatam Virginem communiter utuntur, patefecerimus: nomina enim, a *noscendo* dicta, ad cognitionem rerum singularum illarumque proprietatum mentem perducunt, cum signa existant notionum quas de rebus habemus, iuxta illud Clementis Alexandrini: τὰ ὀνόματα σύμβολα (ἐστὶ) τῶν νοημάτων [4].

[1] Bulla INEFFABILIS. — [2] Bulla cit. — [3] IBID. — [4] STROMAT., l. VIII, n. 8, t. II, p. 927. Venetiis, 1757.

19. — Patrum modus loquendi de Beatissima Virgine. — Porro, voces quibus Patres passim utuntur, ad Beatissimae Virginis Mariae sanctitatem designandam, aliae sunt α) *negativae* quibus videlicet aliqua imperfectio removenda significatur, et hae quidem aut simpliciter negativae, aut in β) gradu *comparativo vel superlativo*, ad significandum nempe excessum Beatae Virginis super quamcumque aliam creaturam in immunitate ab omni peccati labe. — Aliae vero voces sunt γ) *affirmativae*, quibus exprimitur alicuius perfectionis praesentia, et hae quidem pariter aut in gradu positivo tantum, aut δ) in gradu *comparativo vel superlativo*, ad designandam excellentiam huius perfectionis in Beata Virgine prae caeteris creaturis [1].

α) Prioris generis voces sunt, verbi gratia, *immaculata*, aut *labis expers*, ἄμωμος; ita Maximus Taurinensis [2]: *Deus ortus est in tempore ex Immaculata Virgine*; et Georgius Nicomediensis, de Praesentatione Deiparae in Templo loquens, ait: *Hodie columba illa immaculata in Templi penetralia evolans*, etc., σήμερον ἡ ἄμωμος περιστερὰ ἐν τοῖς τοῦ ναοῦ ἀδύτοις περιπταμένη, κ. τ. λ. [3]. Rursus Beata Virgo ἄσπιλος, id est, *intemerata* et ab omni naevo libera vocatur: *Hodie intemerata agna*, pergit idem Georgius Nicomediensis, *ceu acceptabilis hostia, offertur in templo*, σήμερον ἡ ἄσπιλος ἀμνὰς, ὡς δεκτὸν ἱερεῖον τῷ ναῷ προσφέρεται [4]; iterumque ἀμίαντος, id est, *non profanata, scelerisque pura*, aut *intacta et integra* dicitur: *Ave plena gratia*, canit Gregorius Neocaesariensis [5], *Dominus tecum... cum intacta, qui sanctificat universa*, χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ· μετὰ τῆς ἀμιάντου ὁ ἁγιάζων τὰ σύμπαντα; et Coelius Sedulius in hymno canit:

Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei;
Intacta, nesciens virum
Verbo concepit Filium [6].

[1] Qui plura hac de re cupit, adeat egregium Commentarium de Immaculato Deiparae semper Virginis Conceptu, a Carolo Passaglia, S. I., editum, ex quo sequentia hauriuntur. P. I. Sect. II. Romae. 1864. — [2] Refertur in praefato *Commentario*, p. 56. — [3] Ibid. — [4] Ibid., p. 63. — [5] Ibid., p. 69. — [6] Ibid., p. 70.

Pariter, ἀμόλυντος, quasi ἄνευ μολύσμου, id est, *sine contagio, maculis aut sorde*, Beata Virgo passim praedicatur, aut ἄμεμπτος, *inculpata*, seu ἀναμάρτητος, *peccati expers*: sic in ecclesiastica sequentia de *Adventu Domini* legitur:

Hostis frendet, sol dum splendet
Pura sub nubecula,
Sed est carens naevo parens
Lucis, haec Virguncula [1].

In anthologio pariter, seu *Florilegio*, haec habentur [2]: *Sana vulnera animae meae, mentemque meam incuria obtenebratam, o Dei Sponsa, illumina ut psallam: nemo reperitur inculpatus sicuti tu, o penitus immaculata, et nemo praeter te, Domina, reperitur inviolatus*, θεράπευσον τά τραύματα τῆς ψυχῆς μου· τὸν νοῦν μου σκοτιζόμενον ἀμελείᾳ, Θεόνυμφε, καταύγασον, ἵνα ψάλλω· οὐκ ἔστιν ἄμεμπτος, ὡς σὺ πανάμωμε, καὶ οὐκ ἔστιν ἄχραντος πλὴν σοῦ, δέσποινα [3].

Sed et saepius Virgo benedicta ἀκήρατος, id est *pura, non mixta*, ἀδιάφθορος, ἄφθαρτος, *incorrupta*, ἄχραντος, *intaminata*, celebratur: *Intaminata Domina, Dei Genitrix*, ait Andreas Cretensis, *spes ad te confugientium, portusque tempestate iactatis*, ἄχραντε δέσποινα, Θεογεννῆτορ, ἡ ἐλπὶς τῶν εἰς σὲ προστρεχόντων, καὶ λιμὴν τῶν ἐν ζάλῃ [4]. Verum, nec praetereundae sunt voces ἄθικτος, ἀτήκτος et ἀπήμαντος, *illaesa, intacta*, quibus iidem Patres Beatae Virginis integritatem extollunt: *Ave tonus novi mysterii*, ita illam vocat Damascenus, *propter incorruptionem omnino illibata*, χαῖρε τόμος καινοῦ μυστηρίου, ἡ τῇ ἀφθαρσίᾳ παντάπασιν ἄθικτος, et antea praemiserat: *Ave, liber signatus, ab omni noxia cogitatione illaesa*, χαῖρε βιβλίον ἐσφραγισμένον, ἡ πάσῃ φθοροποίῳ ἐπινοίᾳ ἀπήμαντος [5].

ε) Porro, Patres Beatam Virginem non modo ab omni culpa immunem proclamant, verum, *comparatione* instituta, profitentur nihil a labe remotius haberi.

[1] Ibid., p. 81. — [2] Hic liber in duodecim menses distributus officia continet quae in Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Virginis, et insigniorum Sanctorum festis per annum cantari solent. — [3] Comment., p 81. — [4] Ibid., p. 93. Homil., II. in Nativ. B. M. V. — [5] Ibid.

Revera, illam non modo ἄμωμον id est *immaculatam*, sed πανάμωμον, id est *penitus immaculatam*, et παναμώμητον, seu *prorsus inculpatam* proclamant; non modo ἄχραντον, sed πανάχραντον extollunt; non modo ἀκήρατον, ἄσπιλον et ἄφθορον, *illaesam intaminatamque* praedicant, sed πανακήρατον, πανάσπιλον et πανάφθορον, seu *undequaque, penitus*, καθ' ὅλον, *illaesam et intaminatam*.

Sic S. Germanus CP. Patriarcha, Virginem alloquitur: *In te, o innocens Deipara, repono spem omnem, et ad te ingiter me recipio; me serva, o labis omnis exspers, tuisque precibus ab ea eripe, quae me occupat, confusione ac tumultu vehementium cupiditatum et peccatorum*, ἐν σοί, ἁγνὴ Θεοτόκε, τίθημι πᾶσαν ἐλπίδα, καὶ πρὸς σὲ καταφεύγω διαπαντός· σῶσόν με παν άμωμε· ῥῦσαι ταῖς πρεσβείαις σου τῆς κατεχούσης συγχύσεως καὶ ταραχῆς τῶν δεινῶν μου παθῶν καὶ παραπτώσεων [1].

Pariter Ecclesia graeca publice canit [2]: *Cum tu, o penitus inculpata, videres ex te natum pendentem in ligno exanimem, amare exclamabas: Quo pacto, mi Fili desideratissime, occidit tua illa lucifera pulchritudo, qui caelestium naturam ornasti?* Ὁρῶσα τὸν ἐκ σοῦ τεχθέντα, παναμώμητε, κρεμάμενον ἐν ξύλῳ ἄπνουν, πικρῶς ἐβόας· ποθεινότατόν μου τέκνον, ποῦ σοῦ ἔδυ τὸ κάλλος τὸ φωσφόρον τοῦ καλλωπίσαντος τῶν ἄνω τὴν φύσιν [3].

Ita quoque Virginem eadem Ecclesia in Anthologio deprecatur: *Pro nobis, o puella omni ex parte intaminata, Christum deprecare, qui ex puris tuis sanguinibus materialem carnem sibi circumdedit, mortalesque refinxit*, ὑπὲρ ἡμῶν δυσώπησον Χριστόν, τὸν ἐκ τῶν σῶν ἀγνῶν αἱμάτων, πανάχραντε κόρη, σάρκα ὑλικὴν ἠμφιεσμένον, καὶ βροτοὺς ἀναπλάσαντα [4].

Digna quoque sunt quae ex Triodio recitentur: *Cum mortem tuam, o Christe, Mater tua penitus incorrupta contemplaretur, ad te amare exclamavit: Ne tu, qui vita es, inter vita functos moreris*, νέκρωσιν τὴν σὴν ἡ πανάφθορος, Χριστέ, σοῦ

[1] Comment., p. 105. — [2] In Menologio, die 1 decembris ad Vesperas. — [3] Comment., p. 113. — [4] Ibid., p. 118. Ad hoc genus appellationis pertinet id quod de Maria habent duo scriptores armeni. Gregorius Narekiensis (saec. X), qui eam vocat *primae reae mulieris filiam inculpatam*, et Georgius Vardanus (saec. XIII), qui eam dicit *immunem crimine Evae*. Nilles, Cal. man., p. 350.

μήτηρ βλέπουσα, πικρῶς σοι ἐφθέγγετο· μὴ βραδύνῃς, ἡ ζωὴ ἐν τοῖς νεκροῖς [1].

γ) Vocibus negativis accedunt attributa *affirmantia*, quibus Beatissima Virgo ita praedicatur pulcritudine ornata, ut facile inferri possit, illam nulla unquam labe obfuscatam mansisse.

Quo facit imprimis appositum τῆς ἁγίας, *sanctae*, quo Patres illam passim concelebrant. Sic S. Tarasius Mariam alloquitur: *Ave, aura sancta, quae vitiorum ventos e terra dissipasti: ave, Sanctorum summum ornamentum*, χαῖρε, ἔμπνευσις ἁγία, ἡ τὰ πνεύματα τῆς κακίας ἐκ γῆς ἐξαφανίσασα· χαῖρε τῶν ὁσίων ὁ ὑπέρτατος κόσμος [2].

Non aliud evincunt apposita τῆς ἱερᾶς καὶ σεμνῆς, *sacrae ac venerandae*, quibus interdum Patres illam designant. Ita canit Iosephus Hymnographus in Menologio [3]: *Te, o puella Virgo Mater, oracula praenunciarunt fore sacram tui factoris supra naturam alumnam*, ἱεράν σε προήγγειλαν, παρθενομήτορ, φωναὶ ἐσομένην, κόρη, τοῦ ποιητοῦ σου ὑπὲρ φύσιν τροφόν [4]. Anatolius quoque ita illi gratulatur: *Ave, veneranda, Adami revocatio, et Evae redemptio*, χαῖρε, σεμνή, τοῦ Ἀδὰμ ἡ ἀνάκλησις, καὶ τῆς Εὔας ἡ λύτρωσις [5].

Vocant pariter B. Virginem ἀγνήν, id est, *innocentem*, sicut cum S. Sophronius ait: *Salus obscaecatae animae meae, me, o innocens, salva*, ἡ σωτηρία τῆς ἀμαυρωθείσης, ἁγνή, ψυχῆς μου, σῶσον με, σῶσον ἀπολλύμενον [6]; aut rursus καθαράν, id est *mundam*, ut legitur in Triodio: *Habitaculum lucis et mundum Verbi receptaculum effecta es*, φωτὸς οἰκητήριον καὶ δοχεῖον καθαρὸν τοῦ λόγου ἐχρημάτισας [7]; aut etiam καλὴν καὶ ὡραίαν, *pulcram et speciosam*, sicut in Menaeis Graecorum: *Iesus pulcrorum effector te, o penitus immaculata, uti pulcram atque speciosam amore prosequens, ex te secundum carnem natus est*, ὡς καλὴν, ὡς ὡραίαν ποθήσας σὲ ὁ καλλοποιὸς Ἰησοῦς, παναμώμητε, ἐκ σοῦ σαρκὶ γεγέννηται [8].

Accedunt et epitheta τῆς κεχαριτωμένης καὶ θεοχαριτώτου, *gratia plenae* et *divinitus refertae*, τῆς εὐλογημένης, μακαρίας

[1] Ibid., p. 122. — [2] Ibid., p. 128. — [3] Die 11 februarii. — [4] Comment., p. 133. — [5] Ibid., 137. — [6] Ibid., p. 141. — [7] Ibid., p. 147. — [8] Ibid., p. 149.

καὶ θεομακαρίστου, *benedictae, beatae,* et *divinitus beatificatae;* ita quippe Andreas Cretensis Annam alloquitur: *Vere quidem tu beata es, ac ter beata, quae divinitus beatificatam puellam peperisti, Mariam, inquam, magnum illud nomen omni laude, omnique honore prosequendum,* ὄντως σὺ μακαρία καὶ τρισμακαρία, ἡ θεομακάριστον βρέφος ἐγκυμονήσασα, Μαρίαν τὸ πολυτίμητον ὄνομα [1].

ε) Tandem eamdem Patrum de Beatissimae Virginis Mariae Immaculata Conceptione sententiam evincunt apposita illa affirmantia, *comparativo* aut *superlativo* gradu expressa, quibus argumentum in promptu conficitur, nedum Beatam Virginem in candore gratiae a nulla creatura excelli, sed et Ioannis Baptistae et ipsorum angelorum puritatem integritate sua longe superare.

Huiusmodi sunt apposita ἁγιωτάτη, *sanctissima,* ἱερωτάτη, *sacratissima,* καθαρωτάτη, *purissima,* καλλίστη, *pulcherrima,* ὡραιοτάτη, *venustissima,* θεοχαριτώτατος, *Deo gratiosissima,* σεμνοτάτη, *maxime veneranda,* μεγαλοδοξοτάτη, *summopere magnificanda.* Ita in hymno quodam Ecclesiae latinae legimus:

O Christi Mater caelica.
Fons vivus, fluens gratia,
Lux pellens cuncta schismata
Maria sacratissima [2].

Graeci itidem in Menaeis Deiparam ita alloquuntur [3]: *Tu purissimum Regis palatium,* σὺ τό καθαρώτατον τοῦ βασιλέως παλάτιον: et S. Anselmus ita eam invocat [4]: *O sancta Dei Genitrix, omnium creaturarum dignissima atque purissima, caecorum cordium oculos terge atque semitas iustitiae nobis ostende* [5].

Huc quoque faciunt appellationes Beatae Virgini passim decretae, παναγία, *penitus sancta,* πάναγνος, *penitus innocens,* πανίερος, *undequaque sacra,* πάντσεμνος, *omni ex parte venerabilis,* πάγκαλος, *undequaque pulcra,* παντευλόγητος, *penitus benedicta,* παμμακάριστος, *plene beata,* παναγιώτατος, *undequaque sanctissima* [6].

[1] Ibid., p. 163. — [2] Ibid., p. 169. — [3] Die 14 dec., ad Vesp. — [4] Orat., LIV ad Sanctam Virg. Mariam. — [5] Comment., p. 171. — [6] Ibid., p. 174.

Ita S. Sophronius: *Inclytus Dei nuncius tunc Virginem est allocutus: Maria undequaque innocens, ave: tecum sit ipse Deus,*

Κλυτὸς ἄγγελος Θεοῦ
Τότε παρθένον προσεῖπε·
Μαρίη πάναγνε χαῖρε,
Μετὰ σοῦ Θεὸς γενέσθω [1].

Nec praetermittenda sunt apposita quibus Deipara dicitur πανευπρεπής, *penitus decora*, πανσεβάσμιος, *undequaque veneranda*, πανόλβιος, *undequaque beata*, πολυτίμιος, *honore dignissima*, πανεύφημος, *omnino celebranda*, πολυώνυμος, *celeberrima*, πάγκλυτος, *famigeratissima*, πανύμνητος, *undequaque laudabilis*, πανένδοξος, *penitus gloriosa*, πανθαύμαστος, *admirabilissima*, et ἀξιάγαστος, *stupenda* [2].

Unus pro omnibus audiatur S. Damascenus [3]: *Nunc illa praedicetur quae omni ratione est praedicanda: .... nunc Virgo extollatur, quae exaltata a Deo est, caeterisque praelata ac divino oraculo dignata,* νῦν εὐφημείσθω ἡ πανεύφημος· νῦν μεγαλυνέσθω ἡ θεομεγάλυντος καὶ θεοπρόπακτος καὶ θεοχρημάτιστος παρθένος [4].

Demum sedulo notentur *abstracta* laudum praeconia quibus Virginis singularis conditio significatur: dicitur enim aliquando *sanctitas, puritas, innocentia, pulcritudo, gratiarum plenitudo;* tum collatione instituta, Patres illam proclamant *nulli alteri comparandam, Deo simillimam* et *propinquissimam,* solique *Deo comprehensibilem* [5].

Ex quibus omnibus construi ratio potest solidissima ex traditione pro veritate dogmatica Immaculati Beatae Virginis Conceptus. Loca quae adduximus, ex uberrimo viridario P. Passaglia promiscue collecta, sive ad Patrum doctrinam, sive ad pervetustas liturgias pertineant, ita exhibent publicam Ecclesiae fidem, ut nullus opinioni praeconceptae locus

[1] Ibid., p. 180. — [2] Ibid., p. 187. — [3] Orat. in Annunt. B. M. V., t. II, p. 835. — [4] Comment., p. 189. — [5] Ibid., passim. Qui plura de Graecorum fide in Immaculatam B. M. V. Conceptionem cupit addiscere, adeat praeclarum opusc. *L'Immacolata Concezione di Maria Vergine,* a Card. Nicolao Marini, Roma, 1908.

concedatur, et si alio modo explicentur quam sub lumine fidei catholicae de Immaculata Virginis Conceptione, contortum et omnino innaturalem sensum exhibeant: huc enim referri loquentium intentionem demonstrant et ipse contextus, et vocum concors copia, quibus illi suam mentem explicare contendunt. Quocirca difficultatibus undequaque implicari eos necesse est, qui citatas Patrum solemnes et laudatorias voces alio sensu explicare conentur.

Claudatur brevis ista synopsis concinnis versibus, quibus Ioannes Geometra Deiparam alloquitur:

Χαῖρε κόρη, μέγα θαῦμα, μέγ' ἀνθρώποισιν ὄνειαρ,
Χαῖρε χαρᾶς ἀρχὴ, χαῖρε τέλος κατάρας.

Χαῖρε κόρη, μέγ' ἄεισμα καὶ οὐράνιοισι νόεσσι,
Πολλὸν ὑπερπρόθεον παὶ νοὸν οἷα λόγον.

Χαῖρε θέαμα, κόρη, φοβερὸν, φλογερὸν, πανάϋλον,
Ἡδύ τε καὶ φοβερὸν, οὐδὲ θεατὸν ὅλον.

Χαῖρε κόρη, μυριόμμασιν ἀστράσιν οἵα σελήνη
Μεστὰ φαεινομένη φωτὶ περισσοτέρῳ.

Χαῖρε κόρη, κρύπτουσα φάος Σεραφίμ, ἅτε φέγγος
Ἥλιος ἄστρῳον εὔδιος ἀρτιτρέχων.

Χαῖρε κόρη, φύσεως αὔχημα, ἄγαλμα πλάστου,
Δεξάμενον τέχνην πᾶσαν ἀριστοτέχνου.

Salve, Virgo, magnum miraculum, magnum hominibus levamen; salve, gaudii principium, salve, maledicti finis. Salve, Virgo, magnum caelestibus quoque mentibus canticum, quae longe superas mentem animumque hominum. Salve, Virgo, terribile visum, fulgidum, purissimum, suave et tremendum, quodque totum conspici nequit. Salve, Virgo, innumeris circumdata astris, tanquam luna splendens luce praestantiore. Salve, Virgo, quae lucem abscondis Seraphim, quemadmodum sol oriens sideream obtenebrat lucem. Salve, Virgo, naturae decus, factoris imago, totam sui artificis artem recipiens [1].

[1] Comment., pp. 27-28.

Praeter haec, dignus omnino est qui singulariter citetur locus sequens, sancto Andreae, in sua ad Aegeam proconsulem responsione, a presbyteris et diaconis Achaiae, in eorum epistola, attributus, utpote quo insigne testimonium suppeditatur antiquitatis fidei in dogma de Immaculata Conceptione B. M. V. *Primus homo, per ligni praevaricationem, mortem induxit: et necessarium hoc erat generi humano ut per ligni passionem mors, quae ingressa fuerat in mundum, pelleretur. Et quoniam de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per ligni praevaricationem mundo mortem intulerat: necessarium fuit ut de immaculata Virgine nasceretur, perfectus homo, quo Filius Dei, vitam aeternam, quam per Adamum perdiderant homines, repararet, ac per lignum Crucis lignum concupiscentiae excluderet: suspensus in Cruce immaculatas manus extendit pro manibus incontinenter extensis: pro suavissimo cibo arboris vetitae, escam fellis accepit: et in se suscipiens mortalitatem nostram, suam nobis immortalitatem donavit* [1].

Neminem effugiet vis huius ratiocinationis. Nimirum sicut vetus Adam tractus est de immaculata terra, quae nempe maledicto obnoxia non erat, ita novus Adam Christus Iesus, ex immaculata Virgine, omnis scilicet maledicti experte, nasci debuit.

[1] *Acta et martyrium S. Andreae Ap. per Presbyteros et Diaconos Ecclesiarum Achaiae scripta.* Migne *P. G. II. c.* 1225. — Res est perjucunda, in doctiorum virorum dissertationibus quae, ut sterneretur via ad definitionem Immaculatae Conceptionis Beatae Virginis, iussu Pii IX exaratae sunt, quaeque in citato opere *Atti e Documenti* ecc., fideliter referuntur, rationes perpendere ob quas praesentis textus genuinitas, contra unum Vincentium Tizzani (pp. 683, seq.) ab omnibus defenditur. Vide pp. 80; 97; 120; 153; 217; 324. — Placet hic et Card. Lambruschini verba de hac re referre (p. 198): *Un tal documento fu da prima creduto inventato, o per lo meno sospetto, perchè si leggeva in lingua latina, e non si conosceva il greco esemplare: ma dopo che questo si rinvenne nella biblioteca Bodlejana, e fu pubblicato da Carlo Cristiano Vuoogo, scrittore protestante, cessò ogni dubbio fino al punto, che il celebre Morcelli non ebbe difficoltà d' inserirlo come autentico e genuino nel suo calendario della chiesa costantinopolitana sotto il giorno trenta di novembre.* Quod si cui adhuc dubium maneat de huius documenti authenticitate, ambigi tamen nequit illud saeculo tertio antiquius existere.

20. -- III. Ex actis Romanorum Pontificum. — Sed praetermittenda omnino non est hac in re Romanorum Pontificum auctoritas, *quibus in persona Apostolorum Principis, ab ipso Christo Domino, divinitus fuit commissa suprema cura atque potestas pascendi agnos et oves, confirmandi fratres, et gubernandi Ecclesiam* [1].

His igitur solemne fuit hanc doctrinam *sartam tectamque omni cura, studio et contentione tueri. Etenim non solum nullatenus passi sunt ipsam doctrinam quovis modo a quopiam notari atque traduci, verum etiam longe ulterius progressi, perspicuis declarationibus iteratisque vicibus edixerunt doctrinam, qua Immaculatam Virginis Conceptionem profitemur, esse, suoque merito haberi, cum ecclesiastico cultu plane consonam, eamque veterem ac prope universalem, et eiusmodi quam Romana Ecclesia sibi forendam tuendamque susceperit, atque omnino dignam quae in sacra ipsa Liturgia solemnibusque precibus usurparetur* [2].

Porro, in tanta Romanorum Pontificum serie, qui huic doctrinae aperte faverunt [3], sat erit sequentes recensuisse.

Cum anno 1325 haberetur Avenione, coram *Ioanne XXII*, acris disputatio inter fratres Dominicianos et Franciscales circa Beatae Virginis Immaculatam Conceptionem, Summus Pontifex tenere se partes eorum, qui privilegium defendebant, non indubie monstravit.

Sixtus IV, ut grassantis pestis et aquarum inundationum cessationem obtineret, necnon ut fidelium devotionem erga Beatissimam Virginem augeret, anno 1476, easdem Indulgentias concessit festum Conceptionis celebrantibus, quas Urbanus IV et Martinus V iampridem concesserant pro festo Sanctissimi Sacramenti. Sed et hoc accedit, quod Summus ille Pontifex Beatae Virginis, quam praeservatam ab omni labe appellat, Immaculatam Conceptionem hoc sensu honorare curaverat, ut officium iusserit componi per Leonardum de Nogarolis et Bernardinum de Bustis, utrumque alumnum Ordinis S. Francisci, ad quem Ordinem Summus ipse Pon-

[1] Bulla Ineffabilis. — [2] Irid. — [3] Mansella, in suo opere, Il Domma dell'Immac. conc., vol. I. p. 46, Roma, 1867, citat usque triginta quatuor summos Pontifices qui huic dogmati favent.

tifex pertinebat. Porro festum illud Sixtus IV inter festa duplicia, non tamen de praecepto, recensuit, quod quidem decretum videtur esse primum, circa huiusmodi festum, a Romana Ecclesia editum [1].

Innocentius VIII, anno 1484, confirmavit institutum Religiosarum Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae, quas Beatrix de Sylva, in Lusitania, in urbe Toletana, fundaverat.

Eiusdem Virginis Immaculatae cultum promovere studuit *S. Pius V* (1566-1572), dum officio iamdudum a Sixto IV introducto substituit officium Nativitatis Beatae Mariae Virginis, mutato nomine *Nativitatis* in aliud *Conceptionis*, quam quidem mutationem in universo orbe servari iussit. Quod argumento profecto existit, eamdem sanctitatis laudem, quam Ecclesia agnoscit in Beata Virgine tempore illius Nativitatis, agnoscendam pariter esse tempore Conceptionis illius; quo facit illud S. Thomae [2]: *Ecclesia celebrat nativitatem Beatae Virginis; non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo sancto; ergo Beata Virgo in ipsa sua nativitate fuit sancta;* quae animadversio adamussim valet pro Conceptione Beatae Virginis. Sed et idem Pontifex, anno 1567, damnavit [3] hanc propositionem Baii [4]: *Nemo praeter Christum est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis* [5].

Inter Pontifices autem, qui huic dogmati indirecte faverunt, praetermitti non debent *Paulus V* (1605-1621), et eius successor, *Gregorius XV* (1621-1623), qui expresse vetuerunt quominus aliquis in posterum auderet ulla censura qualificare eos qui Immaculatam Beatae Virginis Conceptionem tuerentur; et vix in privatis colloquiis de hac re disputari permiserunt. Sed speciali modo dignus est qui recenseatur *Alexander VII* (1655-1667) qui, praeter ea quae superius de

[1] P. Labbe, Concilior., t. XIII, p. 1442. — [2] 3, Quaest. XXVII, art. 1. — [3] In sua Bulla: Ex omnibus afflictionibus, 1 Oct., 1567. — [4] Quae est 73ª. Denzinger, n. 1073. — [5] Cf. Gregorius XIII, Bulla Providentiae nostrae, anni 1579, et Urbanus VIII, Bulla Eminenti, anni 1641.

ipso retulimus, celeberrimam edidit constitutionem, cuius verba in Bulla *Ineffabilis* referuntur, in qua renovat constitutiones et decreta praedecessorum suorum, Sixti IV, Pauli V et Gregorii XV, *in favorem sententiae asserentis animam B. M. V. in sui creatione et in corpus infusione, Spiritus Sancti gratia donatam et a peccato originali praeservatam fuisse* [1], *necnon et in favorem festi et cultus Conceptionis eiusdem Virginis Deiparae, secundum piam istam sententiam, ut praefertur, exhibiti.* Insuper innovat et ampliat poenas et censuras contra Immaculatae Conceptionis adversarios latas a decessoribus suis, et libros contrariam sententiam continentes in Indice librorum prohitorum referri iubet.

Paucis post annis (1693), *Innocentius XII* festum Immaculatae Conceptionis B. M. V., quod eousque sub ritu duplici tantummodo fuerat observatum, ad ritum duplicis secundae classis cum octava elevavit.

Demum *Clemens XI* (1700-1721) piae sententiae solemniorem adhuc confirmationem decrevit, iubens ut festum illud de praecepto haberetur, ita solemni definitioni *Pii IX* praeludens, qui cum definitionem edidisset verbis superius memoratis in percelebri Bulla *Ineffabilis*, in haec desinendo prorumpit: *Audiant haec nostra verba omnes Nobis carissimi Ecclesiae filii, et ardentiori usque pietatis, religionis et amoris studio pergant colere, invocare, exorare Beatissimam Dei Genitricem Virginem Mariam sine labe originali conceptam, atque ad hanc dulcissimam misericordiae et gratiae Matrem in omnibus periculis, angustiis, necessitatibus, rebusque dubiis ac trepidis cum omni fiducia confugiant. Nihil enim timendum nihilque desperandum Ipsa duce, Ipsa auspice, Ipsa propitia, Ipsa protegente, quae maternum sane in nos gerens animum, nostraeque salutis negotia tractans, de universo humano genere est sollicita, et caeli terraeque Regina a Domino constituta, ac super omnes Angelorum choros Sanctorumque ordines exaltata, adstans a dextris Unigeniti Filii sui Domini Nostri Iesu Christi, maternis suis precibus validissime impetrat et quod quaerit invenit, ac frustari non potest* [2].

[1] Cf. Card. Caiet. Tract de Concept. B. M. V. Cap. III; necnon in 3, Quaest. XXVII, art. 2. — [2] Bulla Ineffabilis.

21. — IV. Ex liturgia. — Non minus evidenter apparet fides Ecclesiae catholicae in Beatae Virginis Immaculatam Conceptionem si consideretur modus quo festum huiusmodi celebrari contigit. Nimirum, ut ait Pius IX, *summopere lactati sunt* (Romani Pontifices) *decernere Conceptionis festum ab omni Ecclesia esse habendum eodem censu ac numero quo festum cum Octava ab universa Ecclesia celebrandum, et ab omnibus inter ea, quae praecepta sunt, sancte colendum, ac pontificiam cappellam in patriarchali nostra Liberiana Basilica die Virginis conceptioni sacro quotannis esse peragendam* [1]. Praeterea iidem Romani Pontifices concessere *ut in lauretanis litaniis et in ipsa Missae praefatione Immaculatus eiusdem Virginis proclamaretur Conceptus, atque adeo lex credendi ipsa supplicandi lege statueretur* [2].

Ne autem obiectum huius cultus in ambiguo versaretur, Summi Pontifices *docuere, festum agi de Virginis Conceptione, atque uti falsam et ab Ecclesiae mente alienissimam proscripserunt illorum opinionem, qui non Conceptionem ipsam, sed sanctificationem ab Ecclesia coli arbitrarentur ei affirmarent* [3].

Et primo quidem loco venit festum antiquitus institutum, quo publico fidelium cultui ac venerationi Ecclesia Virginis Conceptionem proposuit: quod argumento est, in mente Ecclesiae hanc eamdem Conceptionem tanquam sanctam haberi debere, cum nonnisi de Sanctis dies festi celebrentur, eo vel magis quod, ad Beatae Virginis originem significandam, ipsissima verba, quibus divinae Scripturae increatae Sapientiae origines repraesentant, in hoc officio adhiberentur.

Huius festi primordia, penes *Orientales*, Assemani adscribit initio saeculi VIII; at saeculo septimo posteriorem non esse, affirmat Sergius Archimandrita ex Russia [4]. Theodorus vero Toscani, et Iosephus Cozza Cryptoferratenses [5], asserunt coniici posse ex argumentis negativi, illud festum iam inde a saeculo V penes graecos fuisse celebratum [6].

[1] Bulla Ineffabilis. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Nilles, *Cal. Manuale utriusque eccles. orient. et occid.*, 9 dec., t. II, p. 349. — [5] In opere Hymnologia, etc., p. XIV. Romae, 1862. — [6] Cf. Martinov, *L'Eglise russe et l'Immaculée Conception*, p. 303.

Apud *Latinos* vero idem festum saeculo IX in usu fuisse censet laudatus Assemani, argumento deducto ex Calendario marmoreo neapolitano illius saeculi, in quo die 8 decembris legitur: *Conceptio Sanctae Annae Mariae Virginis* [1].

Sub fine saeculi IX, Fridericus, Patriarca Aquileiensis († 897), in suis ecclesiis festum huiusmodi introduxit, quod sequenti saeculo in Anglia maiorem splendorem accepit, ut testatur Calendarium Novi Monasterii Wintoniensis scriptum sub Alfwino Abbate (1034-1057). Porro, incunte saeculo undecimo, festum illud novum incrementum habere coepit. Nam in Germania a Conciliabulo Moguntino (1049) festum hoc sancitum fuit, et saeculo sequenti in Gallia illud instituerunt Canonici Lugdunenses (1140), increpati hac de causa a sancto Bernardo, non propter festi celebrationem, sed quia id inconsulto Romano Pontifice fecerant, ut clarius infra constabit [2]. Sub fine vero saeculi decimi tertii, id est, a. D. 1288, legitur Episcopus Parisiensis trecentas libellas parisienses legasse pro instituendo officio Conceptionis Beatae Mariae Virginis [3].

In Oriente vero, Imperator Manuel Comnenus (1166) festum illud solemniori ritu celebrari praeceperat, die 9 decembris: at penes Graecos celebrabatur etiam festum Conceptionis S. Ioannis Baptistae, quod et Armeni faciebant, ut constat ex Matthaeo Parisio, qui refert Archiepiscopum Magnae Armeniae in Angliam perrexisse, et in monasterio S. Albani moratum fuisse, ibique narrasse quomodo penes ipsos celebrari consueverant festa Conceptionis Beatae Virginis, S. Ioannis Baptistae et Domini Nostri Iesu Christi [4].

Haec autem res fidei nostrae minime officit, cum fidei argumenta, non ex cuiuscumque Ecclesiae, sed proprie ex Ecclesiae Romanae liturgia, quae est *omnium Ecclesiarum mater et magistra*, depromantur, et cuius tanta est *dignitas atque auctoritas, quanta illi omnino debetur, quae est catholi-*

[1] Nilles, Ibid., p. 349, Martinov. p. 304. — [2] Appendix ad hunc art., § I. Cf. Fasti Mariani, sive Calendarium Festorum S. Mariae Virginis Deiparae auctore F. G. Holweck. Friburgi Brisgaviae. 1892. pag. 282. — [3] Vide Fleury, H. E., l. LXXXIX, n. 11. — [4] Ibid., l. LXXI, 36; et l. LXXIX, 46.

cae veritatis et unitatis centrum, in qua solum inviolabiliter fuit custodita religio, et ex qua traducem fidei reliquae Ecclesiae mutuentur oportet [1].

Porro, Ecclesia Romana non solum unius Beatae Virginis, inter tot Sanctos, Conceptionem celebravit, verum etiam in huius festi liturgia expresse significavit praerogativam immunitatis ab hereditaria labe, *sive erogatis Indulgentiis* [2], *sive facultate tributa civitatibus, provinciis regnisque, ut Deiparam sub titulo Immaculatae Conceptionis Patronam sibi deligerent, sive comprobatis sodalitatibus, congregationibus, religiosisque familiis ad Immaculatae Conceptionis honorem istitutis, sive laudibus eorum pietati delatis, qui monasteria, xenodochia, altaria, templa* [3], *sub Immaculati Conceptus titulo erexerint, aut sacramenti, religione interposita, Immaculatam Deiparae Conceptionem strenue propugnare spoponderint.*

22. — V. Universitates catholicae. Digna quoque in hac re est quae, ad tramites Bullae *Ineffabilis*, illorum institutorum recenseatur auctoritas, quae Summi Pontifices erexerunt et celeberrimi Doctores plurimum illustrarunt, ad veritatem catholicam strenue defendendam, inter quae eminet Parisiensis Universitas, olim ipsiusmet S. Thomae praesentia condecorata, et magisterio fecundata.

Haec igitur, anno 1387, damnavit ut falsas, temerarias et fidelium pietati contrarias, propositiones Ioannis Monso-

[1] Bulla Ineffabilis. — [2] Vide opus nostrum: *Les Indulgences, leur origine, leur nature et leur développement*, Vol. II, C. VII, pp. 156, 157, vel anglicam (p. 399), aut italicam huius operis editionem (pp. 270, 271). — [3] In collectanea manuscripta Patris Alasia, Ord. Serv. B. M. V., refertur sequens inscriptio olim extans supra principalem portam Ecclesiae Servorum B. M. V., Senis: *Solemni pompa non satis huius laudatae Reip. Senensis sub Protectricis eius Immaculatae Conceptionis Mariae Virginis titulo Ecclesia haec a D. Hieronymo Piccolomineo Pientiae Episcopo est consecrata coram quamplurimis Praelatis ac Magistratibus civilatis. Indict. VI, die XVIII Maii hora X, 1534.* Videsis exemplar voti a Senensi Republica hac in re nuncupati, in Ephemeride, *La Vergine*, anno III, n. 11, Siena, 1898, pp. 176, 177. Vide etiam V. Lusini, La Basilica di S. Maria dei Servi in Siena, Siena, 1908.

nii. asserentis nullum hominem, praeter Iesum Christum, esse a peccato originali exemptum [1], fidei contraire qui dixerit Beatam Virginem non contraxisse hoc peccatum [2], nec minus contra fidem esse si dicatur quod Beata Virgo illud non contraxit, ac dicere quod Deus decem personam ab illo contrahendo exemerit [3]; et cum praedictus Ioannes ad Clementem VII tunc Avenione degentem appellasset, ab hoc Pontifice damnatus est. Tunc praedicta facultas decretum edidit, quo omnes volentes gradus recipere academicos iubebantur praefatos errores, iurisiurandi religione interposita, reiicere [4]. Eadem quoque Universitas, anno 1496, aliud solemne decretum edidit, quo cupientes de eius gremio fieri, sententiae de Immaculata Virginis Conceptione subscribere iubebantur [5]. Pariter, anno 1521, praefata facultas theologica, inter alias Lutheri propositiones, illam damnavit qua adserebatur reiici non debere contradictoriam huius propositionis: *Beata Virgo concepta est sine peccato originali.* Huius propositionis contradictoria a facultate vocatur falsa, ex ignorantia et impietate prolata, detrahens honori Immaculatae Virgini debito [6].

Cum vero anno 1575 Maldonatus, Parisiis docens, quaestionem de Immaculata Conceptione Beatissimae Virginis Mariae tamquam problematicam agitasset, Universitas hanc sententiam denunciavit, conquerens quod cum, maxime post decretum Basileensis Concilii, omnes in Gallia fideles doctrinam de Immaculato Virginis conceptu retinerent, ipsam quoque Dei Matrem sub hoc titulo honorarent ac venerarentur, Maldonatus tamen contrarium facere ausus fuisset. Cum vero Episcopus Parisiensis favorabilem Maldonato sententiam reddidisset, Universitas, parlamenti auctoritate freta, Maldonatum ipsum damnavit [7].

[1] Prop. 10. — [2] Prop. 11. — [3] Prop. 12. — [4] Vide Duboulai, t. IV, pp. 619, seq. et Vitae PP., t. II, pp. 991, seq. — [5] Hist. univ. Paris. t. IV. p. 618. — [6] D'Argentré. Collect., iudic. de nov. error., p. 369. — [7] Ibid., l. II. p. 433. Vide Tom. Strozzi, S. I. Controversia della Concezione della B. V. M. descritta istoricamente. Palermo. 1700. Vide etiam Can. Giuseppe Mansella. Il Domma dell'Imm. Conc. Vol. I. cc. V. et X. Roma, 1867.

23. — VI. Ex sensu fidelium. — *Quae cum ita sint, nil mirum est si de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione doctrinam iudicio Patrum, divinis Litteris consignatam, tot gravissimis eorumdem testimoniis traditam, tot illustribus venerandae antiquitatis monumentis expressam et celebratam, ac maximo gravissimoque Ecclesiae iudicio propositam et confirmatam, tanta pietate, religione et amore ipsius Ecclesiae Pastores, populique fideles quotidie magis profiteri sint gloriati, ut nihil iisdem dulcius, nihil carius, quam ferventissimo affectu Deiparam Virginem absque labe originali concepiam ubique colere, venerari, invocare et praedicare* [1].

Huic apprime consonat quod tradit Pius X, qui hunc locum Dionysii Carthusiani commentans [2]: *Horremus mulierem, quae caput serpentis erat contritura, quandoque ab eo contritam, atque diaboli filiam fuisse Matrem Domini fateri,* — ita fidelium sensum exponit [3]: *Nequibat scilicet in christianae plebis intelligentiam id cadere, quod Christi caro, sancta, impollutа atque innocens in Virginis utero de carne assumpta esset, cui vel vestigio temporis labes fuisset illata. Cur ita vero, nisi quod peccatum et Deus per infinitam oppositionem separantur? Hinc sane catholicae ubique gentes persuasum habuere Dei Filium, antequam natura hominum assumpta lavaret nos a peccatis nostris in Sanguine suo, debuisse in primo instanti suae conceptionis, singulari gratia ac privilegio, ab omni originalis culpae labe praeservare immunem Virginem matrem.*

Quo loco, ut res plene tractaretur, exhiberi deberet quid Ecclesiae pastores et Doctores docuerint, quid religiosae familiae, quid regna, civitates, sodalitatesque, quid denique singuli fidelium in tanta re senserint. Quod tamen ut adaequate fiat, longius est et brevitati nobis propositae contrarium: ideoque praeter ea quae hac super re hucusque sunt exposita, satius ducimus pauca deliberare de Sanctorum, qui Ecclesiae doctae mentem, afflante Spiritu Sancto, fideliter repraesentant, sensu et animo. Ex quibus tamen paucos, casu potius, quam proposito selectos, adducemus, ut ex illis appareat quaenam iugiter fuerit Ecclesiae sententia [4].

[1] Bulla Ineffabilis. — [2] In 3 Sent., Dist. III, Quaest. I, t. XXIII, col. 98. — [3] Encycl. *Ad diem illum*, 11 Febr., 1904. — [4] Quod attinet ad doctrinam Ecclesiae Graecae circa dogma immaculatae Conce-

De *S. Dominico* constans est traditio eum, cum olim Tolosae contra Albigenses disputans, hanc sententiam defendisset, miraculo comprobasse Christum Dominum de Virgine Immaculata natum fuisse, non secus ac prior Adam de terra virgine formatus fuerat: et cum liber in quo sententia ista continebatur in ignem proiectus fuisset, incombustus repertus est [1].

Nec ab hac sententia totaliter discessisse dicenda est S. Dominici religiosa familia: licet enim pluribus inter eius alumnos visum fuerit contrariam doctrinam tueri, nonnullis tamen scientia et pietate illustrioribus huius Ordinis viris, cordi fuit sententiam de Immaculato Virginis conceptu verbo scriptoque tueri. Quos inter sat erit recensuisse *B. Albertum Magnum*, Angelici Doctoris praeceptorem, qui de Deipara ait [2]: *Haec Virgo sola a communi illa regula excipitur:* OMNES IN ADAM PECCAVERUNT; et iterum: *Angelo nuntianti vestis alba et clara congruit; quia illa quae concepit, sine peccato fuit.*

Pariter *S. Vincentius Ferrerius* praedicavit, scrisitque in favorem Immaculatae Conceptionis, ut videre est in pluribus eius operibus [3]: nec dissimiliter sensit *S. Ludovicus Bertrandus*, dum ostendit animam Virginis, cum in corpus ingressa est, nullatenus commaculatam fuisse, [4]. Praeclari quoque huius Ordinis theologi, uti *Ambrosius Catarinus*, *Natalis ab Alexandro*, *Ioannes a S. Thoma*, *venerabilis Ludovicus Granatensis*, aliique bene multi hanc sententiam solidis rationibus fulcire conati sunt: ex quo patet illos a vero longe abesse qui inclytum hunc Ordinem ab hoc dogmate totum olim alienatum fuisse calumniantur.

Celebris quoque extitit *sancti Francisci Assisienis* in Im-

ptionis B. M. V., legi cum fructu potest R. P. PLACID. DE MEESTER, O. S. B. *Le dogme de l'Imm. Conception. et la doctrine de l'Eglise grecque*. Paris, 1906. — [1] Cfr. Suarez, In 3 P., Quaest. XXVII, D. 3, Sect. XV. Cf. Vita del P. Al. Vinc. Jandel, scritta dal P. Cormier, p. 220, nota 1, Roma, 1896. — [2] In Libro DE LAUDIBUS VIRG. SUPER MISSUS. Vide infra Append. ad praes. art., § II. — [3] V. gr. in SERM. II NATIV.; in SERM. DE B. V. CONCEPT. — [4] In SERM. *De qua natus est Iesus.*

maculatam Virginis Conceptionem fidei sensus, quippe qui, proficiscentibus fratribus, invocato hoc mysterio, benedicere solebat, et cuius filii ininterrupte, ad haec usque tempora, teneram in hoc suave mysterium devotionem, tanquam pretiosissimam hereditatem, servasse perhibentur [1].

Nec defuit Ordo Servorum B. M. V. sacro suo muneri hanc Reginae suae praerogativam defendendi: siquidem, iam inde a saeculo decimo quarto, egregius eiusdem Ordinis theologus, Laurentius Opimus, rationes congessit ad huiusmodi dogma conficiendum [2]. Specialiter autem de *B. Matthaeo a Castro Plebis*, inclyto eiusdem Ordinis Generali (ab anno 1344 ad annum 1348), refert historia quod consueverat, *ut verum B. M. V. servum sese ostenderet, eiusdem quoque Immaculatam Conceptionem velut acerrimus suae Patronae propugnator, aut concionando suadere, aut validissimis rationibus et authoritatibus prout inter principes scholasticos tunc ferebat usus, disserendo tueri... In cuius etiam honorem, post acceptam Ordinis praefecturam, praecipuum illud, dum fratribus frequenter benediceret, usurpasse, et crebro in ore habuisse ferunt:* IMMACULATA BEATAE VIRGINIS MARIAE CONCEPTIO SIT VOBIS SALUS ET PROTECTIO [3].

Citari hic quoque possunt *S. Laurentius Iustinianus*, qui Beatam Virginem vocavit *immaculatum templum, arcam imputribilibus lignis spiritualiter factam, ab ipsa sua conceptione gratia praeventam* [4]; necnon *sanctus Thomas a Villanova*, qui eamdem Beatam Virginem, nedum in utero, sed etiam in eius conceptione, sanctissimam appellat [5].

Nec silendus *S. Leonardus a Portu Mauritio*, qui Episcopos, Imperatores et Reges suasione concitavit, ut ab

[1] Insignis devotionis alumnorum S. Francisci erga hoc singulare Matris Dei privilegium testes sunt RR. PP. Pauwels et Adiudus, ambo O. F. M., in opp. *Les Franciscains et l'Immaculée Conception*, Malines, 1904; *L'Immaculée Conception et les Traditions Franciscaines*, Malines, 1905. — [2] Has rationes exposuimus in opusc. DE MARIA NUNQUAM SATIS, p. 43. — [3] ANNAL. ORD. SERV. B. M. V. Centur. II, l. II, c. I, pag. 294. Id asserit Filippus Maria Sgamaita Bononiensis in suis chronicis mss. — [4] Sermo in nativ. Divae Mariae, Brixae, 1506, t. II, f. 53. — [5] Concio III, de Nativ. V. M., Augustae Vindalic., 1757, col. 572.

Apostolica Sede efflagitarent Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis, tamquam catholicae fidei dogmatis definitionem [1]. S. vero *Bernardinus Senensis* [2] aperte negavit Filium Dei nasci voluisse ex Virgine quae semel peccato originali fuisset infecta. Prope illud tempus *Ambrosius Spiera*, vir magnae sanctitatis et doctinae, ex Ordine Servorum B. M. V., qui eiusdem S. Bernardini Senensis consuetudine usus est, cum, ut specialem se Beatae Virginis famulum declararet, singulis sabbatis Quadragesimae altissimas de Deipara contemplationes interserere soleret [3], in opere quod inscripsit: *Quadragesimale de floribus Sapientiae* [4], huius mysterii rationes egregie illustravit [5].

24. — **Probationes ex ratione theologica.** Scoto debetur, non quod fuerit primus adsertor Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, ut falso imposuit Launoius, in opere *Praescriptiones de Conceptione B. M. V.* [6], sed quod primus in Universitate Parisiensi [7], dogma illud solemniter defenderit, solutis adversariorum rationibus. Cuius argumentum fuit. Deum facere potuisse quod Beata Virgo, aut nunquam in originali peccato fuerit, aut solum uno instanti in eo fuerit, aut demum per aliquod tempus peccato originali commaculata extiterit, nec nisi in ultimo instanti fuerit purgata. Et adductis hinc inde rationibus, concludit solum Deum scire quid ex hisce tribus factum fuerit, videri tamen conveniens ut Mariae id quod excellentius est tribuatur, dummodo Ecclesiae aut Scripturae auctoritas non repugnet [8]. Atqui non solum Ecclesiae aut Scripturae auctori-

[1] Vide apud Mansella, Il Domma dell'Imm. Concezione, epistolam huius Sancti ad quemdam praelatum religiosum. Vol. II, p. 13. Romae, Salviucci, 1867. — [2] Serm. LXIX in quadr., pars. I, ed. cit., t. III, p. 54. — [3] Annal. Ord. Serv. B. M. V., Cent. III, l. II, p. 490, Lucae, 1719. — [4] Venetiis impress., circa ann. 1477. — [5] Qui cupit pleniorem historiae dogmatis Immaculatae Conceptionis B. M. V. cognitionem assequi, adeat opus iam cit.: *La solenne definizione del Dogma dell'Immacolato Concepimento di Maria Santissima*. Atti e Documenti, ecc. — [6] Opp. Coloniae Allobrogum, 1731. T. I, p. 1, Praescr. III. — [7] Circa annum 1304, aut 1308, secundum Wadding. — [8] In 3, Dist. III, Quaest. 1, n. 10.

tati minime repugnat adserere Beatissimam Virginem in originali innocentia conceptam fuisse, quin potius omnino conforme habetur, ut superius ostensum est.

Porro, innumerabiles pene sunt rationes theologicae, quae ad huius dogmatis probationem afferri possunt [1]; ut vero ordinatim in hoc capite procedatur, *primo*, removenda erit repugnantia quaecumque; *secundo*, statuenda venient convenientiae capita.

25. — I. Imprimis **nulla est repugnantia,** α) ex parte *Mariae*: pura enim creatura totaliter Creatori est subiecta, qui in illa omnipotentiae suae virtutem ostendere valet, ubicumque terminorum implicantia non habeatur [2]. Atqui Beatae Virginis Conceptio Immaculata tale miraculum est, ut in ea nulla terminorum implicantia reperiri valeat. Ergo Immaculata Conceptio non repugnat ex parte Beatissimae Virginis. — Quocirca S. Pauli sententia [3]: *In omnes homines mors pertransiit, in quo* (Adam) *omnes peccaverunt*, et alia [4]: *Omnes in Adam moriuntur*, sunt propositiones exceptivae, excipitur scilicet iure naturae Christus, speciali autem privilegio Beata Virgo Maria. Unde et pulcre eadem Beata Virgo in persona Esther significata agnoscitur, quae legitur a decreto mortis ipsa regis voluntate exempta [5]: *Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est.*

β) Sed nec ulla adest repugnantia ex parte *Christi*: non enim ulla eius singulari sanctitati iniuria irrogatur, cum modus conceptionis Christi singularissimus maneat, et Christus sit sanctus conditione sua, Beata Virgo autem per privilegium; sed nec iniuria irrogatur eius virtuti sanctificativae, cum istud privilegium Beata Virgo habuerit ex virtute meritorum Christi; unde non solum non deprimitur, sed potius eius passionis efficacia extollitur et excellentia commendatur.

γ) Denique, nec ex parte *Dei*, ulla repugnantia depre-

[1] Ferd. Quirin. de Salazar, S. I., plus quam quinquaginta cogerit in Op. *Pro Immac. Deip. Virg. Conc. Defensio.* Compluti, 1618. Plures quoque adducit rationes modo citatus Laurentius Opimus. — [2] Cf. 1, Quaest. XXV, art. 3. — [3] Rom., V, 12. — [4] 1 Cor., XV, 22. — [5] Esth., XV, 13.

henditur. Equidem Immaculata Conceptio est habenda veluti miraculum proprie dictum, est enim in re aliquid unde videretur quod aliter esse debuisset: nimirum, est factum, praeter, immo contra leges a Deo statutas, quod per specialem revelationem nobis innotescit et quasi visibile redditur; proindeque est, sicut cetera miracula, opus quod ad divinam omnipotentiam spectat. Atqui in rebus huiusmodi, tota ratio facti est potentia facientis. Cum igitur nulla sit repugnantia ex parte Beatae Virginis ut in innocentia originali conciperetur, sequitur nullam pariter repugnantiam ex parte Dei posse adstrui.

26. — II. Quinimmo **multiplex convenientia** de facili suadetur.

a) Primo, ex *parte ipsiusmet Christi*. 1. Revera, in hominum aestimatione maior succrescit *dignitas* Verbo Incarnato, quod ex muliere nunquam peccato subiecta ortum duxerit, quam si ex matre, quae aliquando diaboli serva extitisset, natus fuisset: quo faciunt verba illa [1]: *Gloria filiorum patres eorum*. Igitur, Immaculata Conceptio dignitatem commendat Verbi Incarnati; *ut sicut Unigenitus in caelis Patrem habuit, quem Seraphim ter sanctum extollunt, ita Matrem haberet in terris, quae nitore sanctitatis nunquam caruerit* [2], imo maximam prae omnibus creaturis gratiam fuerit adepta.

Quocirca dici potest, gratiae in Conceptione Virginis, naturam cessisse, quasi haec veluti tremula steterit, pergere non sustinens: *nam futurum erat ut Dei Genitrix Virgo non antea ex Anna conciperetur, quam gratia fructum ederet: concipi siquidem primogenitam oportebat, ex qua concipiendus esset omnis creaturae primogenitus*. Quod si Dominus, tabernaculum volens sibi aedificari, Beseleel implevit Spiritu suo, sapientia et intelligentia, *ad excogitandum quidquid fieri potest ex auro et argento et aere, marmore et gemmis et diversitate lignorum* [3], perfectisque omnibus, *operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud* [4], multo magis decuit ut Virgo regia, quae proprium et

[1] Prov., XVII, 6. — [2] Bulla Ineffabilis. — [3] Exod., XXXI, 4, 5. — [4] Ibid., XL, 32.

principale Dei opus extitura erat, *ignitis maligni telis lateret, et pulcra natura ac labis prorsus omnis nescia, tamquam aurora undequaque rutilans in mundum prodiret in sua Conceptione Immaculata* [1].

2. Congruit quoque Verbi Incarnati infinitae *potentiae*, ut ille, quem iam orbis creatio tanquam potentissimum exhibet et extollit, *novum* modo *crearet super terram* [2], feminam nempe nulla macula inquinatam, quae utero suo virum perfectum circumdaret, ita ut haec beata mulier divinorum operum synthesis existeret. Et quemadmodum ad Adae laudem pertinet, quod ex ipso sine ullo sui detrimento formaretur ei coniux undequaque perfecta in naturae ratione, ita a fortiori Christi potentiam et virtutem exaltat, quod ex ipso, id est per ipsius merita, formata fuerit Beatissima Virgo, non quidem quantum ad naturae rationem, sed quantum ad sanctitatis et innocentiae indeficientem perfectionem.

3. Demum, ad *filialem Christi pietatem* pertinet, quod e communi naufragio Matrem suam dilectissimam totaliter eripuerit, ita ut nihil in ea esset, quo propensissimus Christi in eam amor infirmaretur, immo plus illam diligeret, eam faciendo undequaque dilectione dignam. — (Deus), ait S. Franciscus Salesius, *destina premièrement pour sa très sainte Mère une faveur digne de l'amour d'un Fils qui, estant tout sage, tout puissant et tout bon, se devoit préparer une Mère à son gré; et parlant, il voulut que sa rédemption lui fust appliquée par manière de remède préservatif, affin que le péché, qui s'écouloit de génération, ne parvinst point à elle* [3].

β) Summa quoque *ex parte ipsiusmet Beatae Virginis* convenientia habetur.

1. Imprimis, ad rem istam facit solemne illud axioma, quod quanto res aliqua ad principium aliquod influens propinquius accedit, tanto magis de illius influentia recipit. Atqui divina maternitas Beatissimam Virginem Deo propinquissimam constituit, qui est totius sanctitatis fons et origo. Ergo et gratiam accipere debuit Virgo Deipara de-

[1] Bulla Ineffabilis. — [2] Hier., XXXI, 22. — [3] Traité de l'amour de Dieu, t. II, c. VI.

fectus nesciam, qualis certe defectus fuisset, si vel uno instanti peccati maculae subiacuisset.

2. Maxime decebat ut Maria, quae Dei mater extitura erat, ab originali labe praeservaretur immunis; quia, si tanta est maternitatis divinae excellentia, ut, secundum Patrum et Ecclesiae sensum, Beata Virgo in decursu vitae suae mortalis, nunquam debuerit ulla peccati, etiam venialis, labe commaculari, multo magis debuit originali macula carere, cuius effectus exitior longe evadit, quam effectus peccati venialis, cum illud privet hominem amicitia Dei, non autem istud.

Obiicienti hac ratione, si valeret, inferri sanctum quoque Ioseph debuisse sine peccato originali concipi, respondetur sanctum Patriarcham intuitu tantum ministerii, Beatam Virginem vero ratione maternitatis, immunes poni a peccato veniali; porro macula originalis nihil detrahit officio ministrandi: detraxisset autem dignitati matris labes ei in sui ortu inflicta.

3. Longe maior est dignitas et excellentia Matris Dei, longe etiam altior sanctitas, etiam in illius primo ortu, quam sanctitas cuiuscumque, etiam supremi, inter angelicos spiritus, ut infra ostendetur [1]. Atqui talis est angelorum conditio, ut creati fuerint immunes ab originali labe. Ergo multo magis Beata Virgo debuit in originali iustitia procreari.

4. A sanctis Patribus Deipara Virgo Ecclesiae passim comparatur, ad quam comparationem ipsamet Ecclesia in sua liturgia saepius recurrit. Atqui Ecclesiam Christus ita dilexit, ut eam exhibere voluerit *gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* [2]. Ergo et Beatissima Virgo tota pulcra et immaculata, etiam in sua conceptione, esse debuit.

γ) Denique, *ex parte generis humani*, apparet conveniens-tissimum fuisse ut Beata Virgo sine peccato originali conciperetur.

1. Siquidem, ex Dei consilio, Beata Virgo una cum Filio suo Iesu Christo, constituenda erat in ratione primi principii relate ad eos qui gratiam erant unquam accepturi. Atqui

[1] Art. 4, n. 9. — [2] Eph. V. 27.

de ratione primi principii in unoquoque ordine est, ut formam per se habeat, in nullo deficiendo. Ergo ita gratia Beatae Virgini debuit conferri, ut nunquam ipsi defuerit, scilicet ne in primo quidem illius Conceptionis momento.

Ad cuius rei intelligentiam, recolendum est Deum, cum decreverit Incarnationem Verbi in ordine ad reparationem humanae salutis, eodem actu decrevisse et cum Christo et sub Christo Beata eius Mater ad eumdem finem concurreret, ut quemadmodum Eva Adae socia fuerat in nostra ruina procuranda, ita Maria Christo in redemptione causanda cooperaretur, nullusque sive in Veteri, sive in Nova Lege, gratiam reciperet, nisi per Christum et Mariam, etsi utique diversa ratione. Atqui ideo Christus nullo peccato inquinari debuit, quia futurus erat generis humani Redemptor et mediator: unde nihil prorsus in se habere debebat quo Deo ingratus redderetur [1]; quocirca et Beata Virgo, cum futura esset nostra Coredemptrix et mediatrix ad Christum, nihil pariter in se habere debuit, quod tanto officio repugnaret, quale certe fuisset peccati vel tenuissima macula. Et haec quidem est propriissima ratio cur Beata Virgo immaculata esse debuerit: caeterae quippe rationes suadendi, non cogendi vim habent [2].

2. Addi tamen potest magnam quoque haberi convenientiam ut Beata Virgo sine originali peccato conciperetur, ad hoc ut genus humanus magnum inde suae dignitatis sensum acciperet, promotis etiam undequaque iis quae ad hominis perfectionem in religiosa civilique cultura pertinent: sed hoc breviter tetigisse proposito nostro sufficiat [3].

27. — Rosminii Sententia reiicitur. — Mysterium Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Rosminius ita

[1] Vide quae scripsimus in tract. DE INCARNATIONE VERBI, T. I. Quaest. XV. art. 2. nn. 7 et seq., p. 523. — [2] Argumentum istud fuse exposuimus in speciali opusculo: *L'Immaculée Mère de Dieu. Corédemptrice du genre humain.* — [3] Qui plura hac in re cupit, adeat Anivitti. DEI VANTAGGI CHE IL CULTO DELL'IMMACOLATA CONCEZIONE HA RECATO ALLA SCIENZA, ALLA LETTERATURA, ALL'ARTE, ALLA CIVILTÀ. Roma. 1848. Vide etiam Aug. Nicolas. LA VIERGE MARIE VIVANT DANS L'EGLISE, I. IV.

intelligendum proponit: *Ad praeservandam Beatam Virginem Mariam a labe originis, satis erat ut incorruptum maneret minimum semen in homine, neglectum forte ab ipso daemone, e suo incorrupto semine de generatione in generationem transfuso, suo tempore oriretur Virgo Maria* [1]. Porro haec aiebat consentanee iis quae de modo traductionis peccati originalis docuerat; quem modum ita exposuerat: *Cum daemones fructum possederint, putarunt se ingressuros in hominem, si de illo ederet: converso enim cibo in corpus hominis animatum, ipsi poterant libere ingredi animalitatem, id est in vitam subiectivam huius entis, atque ita de eo disponere sicut proposuerant* [2].

Circa has positiones, imprimis declarandum venit quomodo Rosminius fallitur, *primo* circa modum quo ponit Adam contraxisse originale peccatum, et *secundo* circa modum quo illud propagari intelligit, ut deducatur falsitas modi ab eo inducti, ad explicandam Beatae Virginis Immaculatam Conptionem.

α) Secundum Rosminium, Adam in tantum peccavit, in quantum comedit fructum iam a diabolo possessum, et cuius esum Deus vetuerat, praecise quia Deus illum fructum noverat a malo spiritu possideri. Ut autem Adam illum fructum comedit, converso cibo in hominis corpus animatum, diabolus tali cibo mediante, animalitatem, ut ait Rosminius, ingressus est, atque ita de homine disposuit ut ipsi lubebat.

Sed contra: nam, imprimis, male dicitur quod Deus prohibuerit fructum quia malus erat; quin potius malus fuit

[1] Prop. XXXIV inter XL damnatas. Ceterum, positio haec nova non est; sic quippe exponitur a S. Bonaventura (3 Sent. Dist. III P. II, a. 2. Quaest. I, t. III, p. 86): (Quidam) *dicebant quod quia Adam reparabiliter peccavit, in peccato non permisit Deus totum corrumpi et ideo remansit in eius semine aliqua portio incorrupta, ut per illam fieret medicamentum carni reliquae: et ex illa portiuncula dicunt carnem Christi formatam, quam dicunt esse generis humani medicinam. Hanc autem particulam transmisit Adam ad Noe, et Noe ad Abraham, et Abraham ad David, David usque ad Virginem, de qua natus est Christus.* — [2] Prop. XXXIII. Vide tract. n. DE PECCATO ORIGINALI, pp. 37, seq.

quia prohibitus. *Ligni esus*, ait S. Thomas [1], *non ideo prohibitus est, quia secundum se malus esset, sed ut homo saltem in hoc modico aliquid observaret, ea sola ratione, quia esset a Deo praeceptum.* Deinde, illa daemonis infectio physica fuisset, ad instar obsessionum vel possessionum. Atqui talis infectio stare potest cum carentia culpae, quae in morali infectione consistit: de ratione quippe culpae est ut sit deordinatio a summo Bono, ideoque malum quoddam non physicum, sed morale: at, secundum sententiam Rosminii, sola animalitas a daemonio fuisset possessa, ideoque anima a tali infectione intacta mansisset.

Quod quidem cohaerenter ad principia a se posita asserebat Rosminius, qui essentiam peccati originalis in concupiscentia reponebat, quasi ante baptismum imputetur ad culpam, non ita tamen post baptismum. Quod omnino falso dici tradit Tridentinum [2], docens concupiscentiam huiusmodi non appellari peccatum, nisi *quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat*, et in renatis non remanere nisi *ad agonem:* et Gregorius XVI [3] inter erroneas positiones quibus scatent opera Hermesii, illam recenset, quae tenet quod Deus concupiscentiam ante baptismum nobis imputat ad peccatum, non autem post baptismum. Accedit quod nec motus pravi concupiscentiae de se sunt peccatum, uti falso docebat Baius [4]: ergo multo minus ipsamet concupiscentia, ut habitus, peccatum est.

β) Transmissionem autem peccati originalis ita intelligit Rosminius, ut corruptum et ita per diaboli infestationem possessum semen, de generatione in generationem transfundatur, usque ad uniuscuiusque hominis ex tali semine ortum, qui proinde et ipse cum concipitur, a diabolo possidetur.

Quo quidem absurdius vix quidquam fingi potest. Imprimis enim advertendum est semen daemonis, secundum Scripturae loquendi modum, aliud non esse, nisi peccatores, qui daemonis voluntatem faciunt, iuxta illud Christi ad Iudaeos [5]: *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis fa-*

[1] Opusc. I, Compendium theol. ad fratrem Reginaldum, c. 188. — [2] Sess. V, Decret. de pecc. orig. — [3] Const. *Dum acerbissimas*, 26 sep., 1835. — [4] Prop. 74. Denzinger, n. 1074. — [5] Io., VIII, 44.

cere : et rursus [1] : *Qui facit peccatum ex diabolo est;* semen autem mulieris non est illud unde Maria ortum duxit, sed potius ille homo qui ex ipsa conceptus est et genitus, id est Christus Iesus [2].

Sed maxime notandum est quod homines in Adam fuerunt non actu, sed potentia, quemadmodum filius est in patre in potentia tantum, cum semen sit in potentia homo, non autem in actu, ita ut mutetur substantialiter semen in illud quod ex semine oritur.

Praeterea, ut salvari posset Rosminii positio, deberet ipsum corpus esse subiectum peccati originalis, et ex corpore traduci illud peccatum in animam. Ast in corpore non potest esse formalis peccati ratio, cum corpus non sit capax alicuius culpae, nec sit in eo aliqua qualitas formaliter animam inficiens: corpus enim moraliter non potest agere in animam, qualitatem aliquam inficientem ei imprimendo. Igitur, *peccatum originale trahitur ex origine, in quantum per eam communicatur humana natura, quam proprie respicit peccatum originale, quod quidem fit, quando proles concepta animatur* [3]. Revera, *humana natura traducitur a parente in filium per traductionem carnis, cui postmodum anima infunditur, et ex hoc infectionem incurrit, quod fit cum carne traducta una natura. Si enim non uniretur ad constituendam unam naturam, sicut angelus unitur corpori assumpto, infectionem non acciperet* [4].

γ) Cohaerenter ad tales praemissas, Rosminius Immaculatae Conceptionis mysterium ita nititur explicare, quod minimum quoddam semen in Adam fuerit *forte* a daemone neglectum, et ex isto incorrupto semine de generatione in generationem transfuso, suo tempore orta fuerit Beata Virgo Maria.

Ubi primo advertere iuvat quod, si valeret ista explicatio pro Immaculata Conceptione Deiparae, valere etiam deberet pro Domino Nostro; quandoquidem et ipse ex Adae substantia fuit procreatus, licet non seminaliter, quod tamen secundum Rosminium differentiam non faceret: ideoque paris omnino esset rationis Christi et Beatissimae Virginis Con-

[1] 1 Io., III, 8. — [2] Cfr. supra, p. 138. — [3] 3, Quaest. XXVII, art. 1, ad 4um. — [4] De Pot., Quaest. II, art. 9, ad 3um.

ceptio, contra ea quae ex theologia et Ecclesiae sensu superius deduximus. Sed hoc transmisso, evidenter admitti nequit talis catholici dogmatis interpretatio, cum, ut dictum est, corpus Beatae Virginis non fuerit in Adam sicut corpulenta substantia actu, sed tantummodo virtute, sicut in principio effectivo originaliter.

Denique positionem hanc penitus excludunt sequentes animadversiones ex sancto Bonaventura depromptae [1]. Siquidem, si ita foret ut voluit Rosminius, Christus non esset vere de semine David et Abrahae, sed solum de semine Adae; quia si praedicto modo illa particula descendisset, *ad nullum aliorum pertineret, nisi sicut deferens, quemadmodum aqua comparatur ad canalem.* Non etiam esset in tali carne verae passibilitatis assumptio, nec nostrae infirmitatis vera reparatio, quia non de natura lapsa fabricasset sibi carnem, sed potius de restituta.

28. — Quaestio. — *Utrum dici possint sancti Ioachim et Anna Deo cooperati fuisse in mysterio Immaculatae Conceptionis perficiendo?*

Resp. Negative, agendo de cooperatione proprie dicta, id est, per modum efficientiae, cum Beatissima Virgo non fuerit immaculata in primo momento conceptionis activae, sed in primo momento Conceptionis passivae. Nimirum, quod Beatissimae Mariae Virginis parentes praestiterunt in opere generationis Mariae, eiusdem ordinis fuit ac id quod ab aliis parentibus praestatur. — Cum hoc tamen dici possunt sancti illi Mariae genitores per modum meriti et intercessionis quidquam ad tantum opus contulisse, maxime attento ordine suavissimae Providentiae Dei, qui cum ordinasset ut fierent secundum carnem genitores dilectae suae Genitricis, eos voluit ea sanctitate exornari, qua tanto honore digni redderetur et qua eorum preces illum efficaciae gradum induerent, quo accelerationem obtinerent tam insignis beneficii, qualis fuit conceptio Beatae Virginis, quae fuit salutis nostrae aurora.

Et huc quidem pertinent ea quae de utroque sancto

[1] In 3, Dist. III, P. II, art 2. Quaest. I, t. III, p. 86.

coniuge in orationibus Ecclesiae legitur; nimirum, de S. Ioachim: *Deus, qui prae omnibus sanctis tuis beatum Ioachim Genitricis Filii tui patrem esse voluisti*; et de S. Anna: *Deus, qui beatae Annae gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis unigeniti Filii tui mater effici mereretur.* Huc etiam faciunt verba Aligherii [1]:

Di contro a Pietro vidi seder Anna
Tanto contenta di mirar sua figlia.
Che non muove occhio per cantare osanna [2].

[1] Par., XXXII, 133-135. — [2] Nuperrime scriptor quidam seipsum sub litteris A. R. abscondens, sententiae, ut ipse contendit, cuiusdam O'Neil, insistens, in Ephemeride periodica *Ecclesiastical Review*, Ian. 1925, doctrinam hic expositam, quae optimorum theologorum est et solidis theologiae principiis nititur, intrepidus verrit, sesquipedalibus multis, at nullo serio, verbis adductis. Lugendum almas scholasticae theologiae doctrinas tam leviter tractari.

APPENDIX.

Absoluta iam quaestione de Immaculato Beatissimae Virginis Conceptu, perutile erit singillatim investigare quid de tanto mysterio retinuerint duo ex celeberrimis Doctoribus Ecclesiae, qui in media aetate floruerunt, videlicet S. Bernardus et S. Thomas Aquinas.

§ I.

De S. Bernardo.

I. Iamdudum, in Ecclesia orientali, doctrina cultusque de Immaculato Beatae Virginis Conceptu, longe lateque disseminata profundas fixerant in fidelium cordibus radices; et in ipsa occidentali Ecclesia, eadem sententia, idem cultus, nemine contradicente, retinebatur, cum evulgata prodiit anno, ut putat Mabillonius, 1140, S. Bernardi ad canonicos ecclesiae Lugdunensis epistola [1], qua acriter eos reprehendebat, quod in illa ecclesia, tantis virtutum et doctrinae insignibus illustrata, novum festum, scilicet Conceptionis Deiparae, novo ritu introduxissent, inconsulto Romano Pontifice. Ex qua epistola multi occasionem sumpserunt S. Bernardum traducendi tanquam Immaculatae Virginis privilegio adversarium, quamquam aliis locis Beatam Virginem laudibus pene infinitis Mellifluus Doctor extulisse noscatur.

Hanc S. Bernardi Epistolam cum attente perlegerimus, circumstantiasque quibus illa scripta est perpenderimus, de facili in persuasionem devenimus, hunc Patrem perperam omnino, saltem quod ad hanc epistolam attinet, inter adversarios Immaculatae Conceptionis traduci: unde, factis

[1] Quae est CLIV, iuxta ed. Venet., 1568, fol. 74, seq.

quibusdam animadversionibus, contendimus, illum insignem Deiparae clientem in citata epistola non posse aut debere dici adversarium dogmatis de Immaculata Conceptione sanctae Mariae Deiparae.

II. Sane, id imprimis observandum venit, usque ad S. Bernardi tempora, pacifice, nullo reclamante, possedisse et invaluisse piam hac super re sententiam, quin tamen, ut fieri solet in rebus fidei, nondum agitata quaestione nec perpensis dogmatis rationibus, illius momenta simul et terminorum significatio fixam adhuc accepissent determinationem: haereseon enim fructus solet esse conceptuum accurata distinctio, terminorumque appropriata usurpatio. Hoc ex Nestorii, necnon Eutychetis causa abunde constat: nam si ante eorum tempora, penes aliquos Patres, voces *persona* et *natura* promiscue catholico sensu usurpatae fuerint, postea tamen enucleatior facta est et vocum proprietas et ipsa rei, quae agebatur, veritas.

Porro S. Bernardi tempore nondum extiterat clamorosa de hoc dogmate controversia: quocirca factum est ut et ipse, aliique qui eius vestigiis insiterunt, non bene distincta conceptione activa a conceptione passiva, visi sint absolute negasse id quod de hac re sub uno respectu, scilicet secundum conceptionem activam, utique negandum erat. Nimirum, nonnisi posterioribus saeculis, re iam hinc inde agitata et maturius perpensa, clare apparuit quid de hoc dogmate, et sub quonam respectu, tenendum foret.

Accedit quod simplicium pietas tales tunc temporis, ad corroborandam propriam sententiam de Immaculata Virginis Conceptione, in medium proferebat sententias, quae errorem potius quam veritatem continebant: nimirum, infallibilem veritatem rationibus non semper cum sana fide concordantibus fulcire nitebantur. Hinc factitum, ut has rationes S. Bernardus cum debellaret, visus sit et ipsum dogma, ipsamque sententiam de Immaculata Virginis Conceptione oppugnasse. Nos igitur, adductis eis quae in citata Epistola contra festum Conceptionis Beatae Virginis contineri videntur, ostendemus quomodo haec eadem Epistola, si quidem rite intelligatur, sententiae de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis probe intellectae, reipsa minime refragetur.

III. Primo, S. Bernardus amplissimis verbis laudat canonicos Lugdunenses de integre servata penes hanc potiorem Galliarum Ecclesiam disciplinae puritate; tum illos redarguit quod novam introduxerint *celebritatem*, Conceptionis scilicet S. Mariae, *quam ritus Ecclesiae nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio... Virgo regia falso non eget honore, veris coronata honorum titulis, infulis dignitatum.* Deinde memorata et discussa sanctorum Ieremiae et Ioannis Baptistae in utero materno sanctificatione, copiosiorem praedicat Beatae Virginis sanctificationis benedictionem [1]. *Fuit procul dubio*, ait, *et Mater Domini ante sancta, quam nata. Nec fallitur omnino sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum nativitatis eius diem, et omni anno cum exultatione universae terrae votiva celebritate suscipiens. Ego puto quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum singularis privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quae dum peccati mortisque pareret peremptorem, manus vitae et institiae omnibus obtineret. Sanctus igitur ortus, quoniam immensa prodiens ex utero sanctitas sanctum fecit illum.*

IV. His, praeambuli instar positis, pergit S. Bernardus sanctitatem in Beatae Virginis conceptione excludendam praedicans, adductis simul et explosis iis, quibus putat adversarios pro tali cultu introducendo moveri [2]. *Quid adhuc addendum his putamus honoribus? α) Ut honoretur, inquiunt, et conceptus qui honorandum praeivit partum: quoniam si ille non praecessisset, nec iste esset qui honoratur... Quid consequentiae habet, ut quoniam sanctum praecessit natalem conceptus, propterea reputetur et ipse sanctus? Numquid quoniam praecessit eum, fecit et sanctum? Quia si praecessit ut esset,*

[1] Quid de Ieremia sit retinendum, superius diximus, art. 1, n. 12, p. 141, nota 3. Cfr. etiam tr. nostrum de sancto Ioseph, P. II, art. 1, n. 11. — [2] Ea quae ad rem nostram faciunt in Epistola S. Bernardi per tot diversa puncta, praemissis graecis litteris, distinguimus, quo clarior appareat singulis rationibus danda responsio.

non tamen ut sanctus esset. Unde etenim illa ipsi sanctitas quam secuturo transmitteret? Annon potius quia praecessit absque sanctitate conceptus, oportuit nimirum sanctificari conceptam, ut sanctus sequeretur iam partus? An forte mutuatus sit sanctitatem a posteriori prior?... β) An dicitur sanctificatione praeventa, quatenus iam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit et conceptus? Quemadmodum sanctificata iam in utero dicitur, ut sanctus consequeretur et ortus? Sed non valuit ante sancta esse quam esse: siquidem non erat antequam conciperetur. γ) An forte inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, ut simul et sanctificata fuerit et concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque spiritu sanctificante, aut Sancto Spiritui societas cum peccato fuit? Aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? δ) Nisi forte quis dicat de Spiritu Sancto eam, et non de viro conceptam fuisse. Sed id hactenus inauditum. Lego denique Spiritum Sanctum in eam, non cum ea venisse, dicente Angelo: SPIRITUS SANCTUS SUPERVENIET IN TE. *Et si licet loqui quod Ecclesia sentit, et verum ipsa sentit, dico gloriosam de Spiritu Sancto concepisse, non autem et conceptam fuisse, dico peperisse virginem, non tamen et partam a virgine. ε) Alioquin, ubi erit praerogativa Matris Domini, qua singulariter creditur exultare et munere prolis, et integritate carnis, si tantumdem dederis et matri ipsius? Non est hoc virginem honorare, sed honori detrahere... ζ) Quamobrem, etsi quibus, vel paucis, filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non tamen et concipi: ut uni sane servaretur sancti praerogativa conceptus, qui omnes sanctificaret, ... quo excepto, de caetero universos respicit ex Adam natos, quod unus humiliter de semetipso ac veraciter confitetur:* IN INIQUITATIBUS, *inquiens,* CONCEPTUS SUM, ET IN PECCATIS CONCEPIT ME MATER MEA [1].

Cum haec ita se habeant, quaenam iam erit festivae ratio Conceptionis? Quo pacto, inquam, aut sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu Sancto non est, ne dicam de peccato est: aut festus habebitur, qui minime sanctus est? Libenter gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci

[1] Ps. L, 7.

videtur sanctitas. γ) *Alioquin nulla ei ratione placebit contra Ecclesiae ritum praesumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis. Nam* δ) *si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicae Sedis auctoritas, et non ita praecipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Et ante quidem* ε) *apud aliquos errorem compereram, sed dissimulabam, parcens devotioni quae de simplici corde et amore Virginis veniebat. Verum apud sapientes, atque in famosa nobilique Ecclesia, et cuius specialiter filius sum* [1]*, superstitione deprehensa, nescio an sine gravi offensa etiam vestri omnium dissimulare potuerim. Quae dixi,* ς) *absque praeiudicio sane dicta sint sanius sapientis, Romanae praesertim Ecclesiae, cuius auctoritati atque examini totum hoc, sicut et cactera quae huiusmodi sunt, universa reservo: ipsius si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare.*

V. Sepositis dubiis quae circa huius epistolae authenticitatem movet P. Antonius Ballerini e Societate Iesu [2], eiusdemque admissa genuinitate cum Mabillonio [3], Teophilo Raynaud [4], necnon Doctoribus scholasticis mediae aetatis, praesertim sanctis Thoma et Bonaventura, itemque B. Alberto Magno, Alexandro Halensi, etc., ipsismet Bernardi discipulis non reclamantibus, haec super ipso epistolae textu notanda veniunt.

α) Prima ratio quam oppugnandam suscipit S. Bernardus, haec substantialiter est: Nisi sanctus fuerit conceptus, nativitas non fuit sancta. Atqui nativitas sancta fuit. Ergo et conceptus: ubi causalem maiorem falsam esse demonstrat, quia si nativitas sancta fuit, non sequitur quod debuerit esse sanctus conceptus, quandoquidem non a posteriori mutuatur sanctitatem prior. Uti patet, haec ratio, quam Mellifluus Doctor tanquam sophisma habet *non causae*

[1] Iure metropolitano: quandoquidem tum dioecesis Divionensis, in qua natus erat Bernardus, tum Lingonensis, intra cuius fines Clarevallense monasterium situm erat, Archiepiscopo Lugdunensi subditae erant. — [2] Sylloge Monum. ad myst. Conc. Imm. V. Deip. illustrandum. Parisiis, 1855. P. II. De S. Bernardi scriptis. — [3] Praefatio in Opp. S. Bernardi, nn. XV-XVI. — [4] In Diptycis marianis, Opp. T. VII, P. II, Punct. II, n. 30, p. 148.

ut causae, veritatem ipsam Immaculatae Conceptionis minime tangit, et nos quoque talem rationem pro explicando dogmate utro reiicimus.

ϳ) Pariter explodenda S. Bernardo videtur. et quidem recte, secunda ratio quae sic a pari procedit: quemadmodum Beata Virgo fuit a sanctitate praeventa antequam nasceretur, ut sancta nasceretur, ita et antequam conciperetur, ut sancta conciperetur. Atqui antequam conciperetur, non erat, ergo non potuit tunc sanctificari. Revera, Immaculata Conceptio non debet referri ad aliquod momentum praecedens animationem, multo minus ϕ) ad amplexus maritales, quasi carentia libidinis seu concupiscentiae in parentibus causaverit sanctitatem in conceptu ipso: hoc enim supponeret Beatam Virginem *in conceptione activa* immaculatam fuisse, quod minime dicimus.

ϩ) Nec minus elongata a veritate catholica est illa ratio quam reiicit S. Bernardus, scilicet eatenus B. Virginem esse sine originali peccato, quatenus de Spiritu Sancto fuerit concepta, quemadmodum de Spiritu Sancto conceptus est Filius Dei. Longe, inquam, alia est ratio conceptionis utriusque: nulla enim in conceptione Virginis exceptio facta est legi naturae, ideoque et ex semine fuit concepta et seminaliter; Christus vero, licet ex sanguine, scilicet mulieris, non tamen seminaliter; ideoque illa debitum habuisset contrahendi peccatum originale, nisi adfuisset speciale privilegium, Christo autem nullum prorsus debitum occurrere potuit, ut fusius supra explicatum est.

ε) Et quod Immaculatae Conceptionis dogma sic acceptum derogaret privilegio Virginis, ultro concedimus; quandoquidem non esset singulare, ipsiusque proprium, quod sic ipsa conceperit Filium ex Spiritu Sancto, sed illud privilegium fuisset etiam concessum S. Annae. ζ) Dicendum ergo conceptionem Christi manere singularissimam, longe nobiliorem quam sit conceptio cuiuslibet hominis, inclusa Beata Virgine quae, quantum ad conceptionem activam pertinuit, sibimetipsa illud applicare potuit Davidis[1]: *In peccatis concepit me mater mea.*

[1] Ps. L, 7.

γ) Certe, sic intellectum, Immaculatae Conceptionis festum novitas erat damnabilis et damnanda, nullo Patrum testimonio fulta, atque Ecclesiae ritui contraria. Quamvis enim iamdiu in Ecclesia orienali et occidentali festum Conceptionis celebraretur [1], non tamen hoc sensu acceptae. Licet non satis laudari et praedicari valeat S. Bernardi praeceptum, β) ut cum de aliquo festo in aliqua Ecclesia introducendo agitur, quantumvis constet de veritate mysterii hoc festo significati, id tamen sine Romani Pontificis auctoritate fieri non debere, cuius infallibile iudicium expectandum est, ut non solum quid honorari, sed etiam quo illud modo honorari debeat statuatur. Invaluerat quippe tunc temporis penes simplices, ut non α) eo modo honoraretur Immaculata Conceptio Beatae Virginis, quo recta fides et ratio dictat; sed illismet forsan rationibus et illo modo quem et theologi nunc condemnant et S. ipse Bernardus, fidei acerrimus vindex, proscripsit.

α) Sed vix apparet quomodo possit illa fidelitatis et obsequii testificatio, quam Bernardus erga S. Sedem protestatur, componi cum aperta denegatione sententiae de illibata Conceptione Beatae Virginis, ut a nobis modo consideratur, in primo instanti conceptionis eius passivae: quandoquidem ipsum latere non poterat aut tacitus Romanorum Pontificum consensus, permittentium, sive in Oriente, sive etiam in Occidente, huius festi celebrationem, aut activus concursus ab eisdem Pontificibus huic dogmati interdum praestitus. Equidem, in ipsamet Ecclesia Lugdunensi, in templo scilicet monasterii Atanacensis [2], S. Martino a Pontifice Pasquali II, circa a. 1106, consecrato, exstabat altare Beatae Virginis Conceptioni dicatum et ab eodem Summo Pontifice consecratum [3].

VI. Denique, haud facile apparet quomodo componi possit huius privilegii denegatio ex parte S. Bernardi, cum stupendis illis laudibus, quibus in hac eadem Epistola Mariae sanctitatem extollit. *Decuit nimirum Reginam Virginum singularis privilegio sanctitatis absque* OMNI PECCATO *ducere vi-*

[1] Vide supra, n. 21. — [2] Cf. Maurizaz, *Annal. Cist.*, ad an. Christi. 1136, c. 4, Lugduni, 1642. — [3] Vide Mansella, vol. I, p. 71.

tam, quae dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitae et iustitiae omnibus obtineret. Sanctus igitur ortus, quoniam IMMENSA *prodiens ex utero sanctitas sanctum fecit illum.* Qui etiam alibi scribit [1]: *Humanitas in Maria non modo pura* (fuit) *ab omni* CONTAMINATIONE, *sed et pura* SINGULARITATE NATURAE. Et rursus [2]: *Mutata est maledictio in benedictionem, sicut praedictum est per angelum Gabrielem,* BENEDICTA TU IN MULIERIBUS. *O beata, sola inter mulieres benedicta et non maledicta! Sola a generali maledicto libera et a dolore parturientium aliena!* Et iterum [3]: *Hortus conclusus tu es, Dei Genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris* NUNQUAM *introivit.* Denique [4]: *Voluit itaque esse Virginem, de qua Immaculata Immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus.*

Ex quo abunde constat, quam inconsulto nonnulli aut citatam epistolam instar argumenti, ut dicunt, ad verecundiam, contra hoc Deiparae privilegium, anteactis temporibus, produxerint, aut Bernardum ipsum tanquam Immaculatae Conceptionis hostem etiamnum repraesentent; quonimmo, si ad ea quidem, quae superius dicta sunt de modo et ratione qua dogma catholicum debeat interpretationi haberi, rite advertatur, clare patebit Marianum Doctorem, potius quam adversarium, agnosci debere tanquam adsertorem, saltem implicitum, Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis [5].

[1] SERMO IN NAT. B. M. V., t. I, f. 102, Venetiis, 1568. — [2] SERMO IV, IN VIG. NAT. DOMINI, t. I, f. 21. — [3] AD GLORIOSAM VIRG. DEPRECATIO ET LAUS, t. II, f. 404. — [4] HOMIL. II super *Missus est*, t. I, f. 9. — [5] Plura in hunc sensum disseruit IOSEPHUS PALERMO, in suo voto *pro sententia Imm. Conc. definienda.* Hoc votum, quod extat in Vol. II. Actorum et documentorum ab Ill.mo Vinc. Sardi editorum (pp. 315. seq.), est una ex praestantioribus dissertationibus quae, iubente Pio IX, ad dogmaticam definitionem praeparandam, exaratae sunt. Notanda autem sunt huius scriptoris verba (p. 329): *Eodem modo, quo S. Bernardus, explicandi sunt veteres scriptores ecclesiastici, praesertim superius laudati Alexander de Hales et Albertus Magnus, necnon Petrus Lombardus, Ochamus, Aegidius Columna, Durandus, Pelagius Alvarus, Gregorius ab Arimino.*

§ II.

De S. Thoma Aquinate et S. Bonaventura.

I. Cum a quibusdam Doctor Aquinas recenseatur inter patronos et fautores Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis, ab aliis vero inter adversarios eiusdem, opportunum ducimus primo loco ipsissima eius verba, quae quaestionem attingunt, referre, ut ex hisce quid sentiendum sit, legitime proferatur. Cui etiam brevis expositio sententiae S. Bonaventurae erit subnectenda, utpote qui ad S. Thomae mentem propius accedit.

II. In primis, in *Commentario in Magistrum Sententiarum*, Doctor Angelicus ait [1]: *Talis fuit puritas Beatae Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit.* Rursus, in eodem *Commentario*, comparans puritatem Mariae cum puritate aliquorum insignium Sanctorum, ait [2]: *Ipsa super omnes alios Sanctos a peccato purior fuit..., veluti divinae Sapientiae Mater electa, in quam nihil coinquinatum incurrit, ut dicitur Sap. VII. Unde, cum haec puritas in quibusdam fuisse inveniatur, ut ante nativitatem ex utero a peccato mundarentur, sicut de Ioanne Baptista... et de Ieremia legitur..., non est dubitandum hoc multo excellentius Matri Dei collatum fuisse.* Rursus, in *Quaestionibus Disputatis de Veritate* [3], S. Doctor non dubitat asserere quod Beatae Virgini collata sit *maior gratia quam alicui Angelo.* Pariter in *Summa theologica* ait [4]: *Oportebat ut Mater Dei maxima puritate niteret, non est enim aliquid digne receptaculum Dei, nisi sit mundum, iuxta illud:* DOMUM TUAM, etc.; et rursus [5] ex eo quod Beata Virgo propinquius quacunque alia creatura ad Deum accesserit, concludit quod *prae caeteris maiorem debuit a Deo gratiae plenitudinem obtinere.* Quibus addi possunt ea quae in *Commentario*

[1] 1, Dist. XLIV, quaest. I, art. 3, ad 3[m]. — [2] 3, Dist. III, quaest. I, art. 1, sol. 3. — [3] Quaest. XXIV, art. 9, ad 2[um]. — [4] 1 2[ae], Quaest. LXXXI, art. 5, ad 3[m]. — [5] 3, Quaest. XXVII, art. 5.

in Salutationem Angelicam scripsit [1]: (Beatae Virgo) *immunis fuit ab omni maledictione, et ideo benedicta in mulieribus: quia ipsa sola maledictionem sustulit, et benedictionem portavit, et ianuam Paradisi aperuit.*

III. At, praeter ista loca, ex quibus Immaculati Conceptus adsertio erui posse videretur, alia sunt, in quibus S. Doctor expressis verbis profitetur Beatam Virginem in peccato originali fuisse conceptam. Sic, verbi gratia, in praedicto *Commentario ad Magistrum Sententiarum*, ait [2]: *Beata Virgo in peccato originali fuit concepta.* Et in *Summa Theologica* [3]: *Caro Virginis concepta fuit in originali peccato.* Expressius adhuc [4]: *Relinquitur quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit post eius animationem.* Quod ita esse ulterius exponit, dum, solvens difficultatem ex eo ductam quod maior fuisset Beatae Virginis puritas, si nunquam anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati, explicat cur illius anima debuerit revera originali peccato contaminari: *Si nunquam*, ait [5], *anima Beatae Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator: et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, tanquam universalis Salvator, maxima fuit Beatae Virginis puritas: nam Christus nullo modo contraxit originale peccatum, sed ipsa sui conceptione fuit sanctus...; sed Beata Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata antequam ex utero nasceretur; et hoc signatur* [6] *ubi de nocte originalis peccati dicitur:* EXPECTET LUCEM, *id est Christum.* ET NON VIDEAT, *quia* NIHIL INQUINATUM INCURRIT IN ILLAM, *ut dicitur Sap. VII.* NEC ORTUM SURGENTIS AURORAE, *id est Beatae Virginis. quae in suo ortu a peccato originali fuit immunis.*

Pariter, in eadem *Summa theologica* [7], festum quod Ecclesia Romana suo iam tempore celebrabat, ita explicat, non quasi per huiusmodi festum detur *intelligi quod* (Beata Virgo) *in sua conceptione fuerit sancta; sed quia quo tempore sancti-*

[1] Opusc. VI, Parmae, 1865, t. XVI, p. 134. — [2] 3, Dist. III, Quaest. I, sol. 1. — [3] 3. Quaest. XIV, art. 3. ad 1[m]. — [4] Ibid., Quaest. XXVII, art. 2. — [5] In resp. ad 2[m]. — [6] IOB., III, 9. — [7] L. prox. cit., ad 3[m].

ficata fuerit ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius, potius quam conceptionis, in die conceptionis ipsius. Cui cohaeret quod mox subdit [1]: *Etsi parentes Beatae Virginis fuerunt mundati a peccato originali, nihilominus Beata Virgo peccatum originale contraxit, cum fuerit concepta secundum carnis concupiscentiam, ex commixtione maris et feminae; dicit enim Augustinus* [2]: OMNE QUOD DE CONCUBITU NASCITUR, CARNEM ESSE PECCATI [3].

Denique, addi debet, perperam adduci verba *Commentarii in Salutationem Angelicam* superius relata in favorem Immaculatae Conceptionis: siquidem post illa verba S. Thomas haec expresse subiungit: *Beata Virgo in originali peccato est concepta, sed non nata.*

IV. Quae cum ita se habeant, supposita genuinitate istorum locorum [4], sequentia observanda ducimus.

α) Cum Summa Theologica sit, inter S. Thomae opera, et merito potius et tempore posterius, ad illam maxime provocandum nobis est, si velimus Angelici Doctoris mentem assequi. Iamvero, hoc habito criterio, difficile omnino

[1] Ad 4[m]. — [2] In l. I DE NUPT. ET CONCUP., c. 12, t. X, col. 287. — [3] Cf. etiam Opusc. I, *Comp. Theol.*, c. 224, t. XVI, p. 65. — [4] Card. ALOYSIUS LAMBRUSCHINI in sua *polemica Dissertatione de Immaculato Virginis Conceptu*, anno 1843. Romae edita (extat in Sylloge Monumentorum ad Imm. Concep. pertinentium, sub titulo: *Pareri sulla definizione*, ecc., Romae, 1851, P. III, Vol. V, p. 156, seq.), contendit recentiores S. Thomae editiones mutilas esse, maxime in locis quae de Conceptione B. M. V. tractant. In cuius rei confirmationem citat Ioannem Nicolai, qui in prologo editionis operum S. Thomae, Parisiis, anno 1663 ab ipso vulgatae, dicit se textum non modo a corruptelis typographorum, sed maxime a mendis studio positis aut relictis, purgasse. Addit autem citatus Card. Lambruschini, haec verba articuli 2, quaestionis XXVII: *Nec ante animationem, nec in animatione, sed post animationem sanctificatam, et a peccato originali mundatam fuisse* (Beatissimam Virginem), nec in Hispalensi codice, nec in codice qui Massiliae asservatur in Conventu Fratrum Praedicatorum, nec in aliis pluribus, inveniri. — At taliter se prodit, ex toto contextu praesentis litterae necnon aliorum S. Thomae locorum, mens Angelici Doctoris, ut omnis interpolationis suppositio impar sit removendae sententiae quam posuimus. S. Thomam favisse opinioni tunc communiori de liberatione Mariae a peccato originali in utero matris suae,

potest aliquorum sustineri opinio [1], S. Thomam profiteri Beatam Virginem fuisse ab originalis peccati labe expertem. Revera, in citata quaestione XXVII *tertiae Partis* [2], Angelicus non agnoscit sanctificationem Beatae Virginis, nisi *post eius animationem*, dum profecto catholicum dogma profert illam, in ipsamet animae creatione et in corpus infusione, ab omni labe immunem praeservatam fuisse, vel si magis arrideat vocabulum, sanctificatam [3].

β) Porro quod verba illa: *post eius animationem*, non debeant sumi in mente S. Doctoris ad significandam posterioritatem naturae, quo casu cum dogmate catholico concordarent, nam prius natura est conceptus quam sit conceptus sanctificatio, sed quod debeant sumi ad significandam posterioritatem temporis, evidenter demonstratur ex verbis quae in praefatis responsionibus habentur [4]. Dicitur enim et quod Beata Virgo ab originali peccato *ante nativitatem* fuit mundata, et quod *ignoratur quo tempore* eadem fuerit sanctificata.

γ) Equidem Aristotelis doctrinam de distinctione inter conceptionem activam et passivam S. Doctor apprime noverat et acriter defenderat; attamen distinctio haec non sufficit ut praefata verba dicantur cum dogmate catholico ad amussim convenire. Debuisset enim dici, non quod Beata Virgo fuit sanctificata *post* eius animationem, sed *in* ipsa animatione, nec quod fuerit *mundata* ab originali peccato, sed *praeservata*. — Ubi S. Doctorem animationem intelligere secundum informationem animae rationalis evidenter patet, siquidem apprime noverat, et hic evidenter supponit, culpae originalis, de cuius emundatione sermo est, capacem non esse nisi animam rationalem.

[1] Quos inter eminet clarissimum P. Cornoldi S. I., in suo opusculo: *Sententia S. Thomae Aq. de immunitate B. V. Dei Parentis a originalis labe.* — [2] Art. 2. — [3] Vide infra, art. 4. — [4] Marianus Spada, V. P., in suo opere: *Esame critico sulla dottrina dell'Angelico Dottore S. Tommaso di Aquino circa il peccato originale relativamente alla B. V. M.*, contendit S. Thomae verba intelligi debere, quasi significent posterioritatem naturae, non temporis. Extat opusc. istud in citata sylloge, cui titulus: *Pareri*, ecc. P. III, Vol. V. Romae, 1851, pp. 619, seq.

ζ) Nec sufficienter eorum probatur expositio qui volunt S. Thomam priorem sententiam correxisse: hoc enim minime advertit, ut plerumque facere solet; et omnia verba quae, in favorem sententiae de Immaculata Virginis Conceptione ex S. Thoma adducuntur, talia sunt quae aliam interpretationem suscipere possunt. Immunis enim esse potuit Beata Virgo a peccato originis, non solum per illius radicalem absentiam, sed etiam per subsequentem expulsionem: sed et instituta comparatio inter eam et angelos ceterasque creaturas relate ad gratiam, sufficienter salvatur, etiam supposito in Virgine Beata originali peccato; demum, maledicti in ea carentia, non absoluta, sed relativa exigitur et absolute loquendo sufficit.

ε) Quod S. Thomae mens non fuerit, Deiparam ab originali peccato fuisse immunem, confirmatur ex eo quod alibi docet [1], scilicet plenitudinem gratiae ex parte causae formalis propriam fuisse Christo: qua quidem plenitudine intelligit Angelicus gratiam quantum ad omnes effectus eiusdem, inter quos effectus est *omnis peccati remotio, non solum actualis, sed etiam originalis.*

V. Quocirca, salvo meliori iudicio, nobis potius edicendum videtur, S. Thomam opinioni favisse quae suo in tempore scholis circumferebatur, videlicet Beatam Virginem Mariam fuisse actu in originali peccato passive conceptam, mox tamen ab illo peccato purgatam. Quae opinio eo vel magis S. Thomae arridebat, quod per eam facilius salvari videntur et Christi singularissima dignitas et universalitas virtutis reparativae eiusdem. Attamen hanc sententiam S. Thomas nonnisi tanquam probabilem opinionem retinere debuit, cum profecto illius excelsam mentem fugere haud potuerit, quam debili fundamento niteretur: nulla enim est ex rationibus adductis quae haud valeat ipsismet S. Thomae principiis sufficientissime dissolvi. Cum autem magni nominis Doctores utrinque starent, re nondum ab Ecclesia definita, Angelicus alterutram contradictionis partem tenere potuit, salvo semper Ecclesiae iu-

[1] 3, Dist. XIII, Quaest. 1, art. 2.

dicio, cui promptissimo animo ipse, Virgini apprime addictus, obtemperasset, si sibi mens illius semel innotuísset.

VI. Haec autem quae de Doctore Angelico disseruimus clarius adhuc apparebunt, si eius coaevi et amicissimi scriptoris, Doctoris Seraphici, sententia proferatur.

Hic ergo quaerens utrum *anima Beatae Virginis fuerit sanctificata ante originalis peccati contractionem* [1], primo recitat opinionem affirmantium, quibus videlicet videbatur *in anima gloriosae Virginis gratiam sanctificationis praevenisse maculam peccati originalis*; qua opinione ex aliorum mente prolata, suam ponit, quae tenet *sanctificationem Virginis subsecutam esse originalis peccati contractionem, et hoc quia nullus immunis fuit a culpa originalis peccati, nisi solum Filius Dei.*

Hic autem modus dicendi, subiungit Seraphicus, *communior est, et rationabilior, et securior. Communior, inquam, quia fere omnes illud tenent, quod Beata Virgo habuit originale, cum illud appareat ex multiplici ipsius poenalitate, quam non est dicere ipsam passam esse propter aliorum redemptionem; quam etiam non est dicere per assumptionem habuisse, sed per contractionem.*

Rationabilior etiam est, quia esse naturae praecedit esse gratiae, vel tempore vel natura; et propterea dicit Augustinus, quod prius est nasci quam renasci, sicut prius est esse quam bene esse; prius est igitur animam uniri carni, quam gratiam Dei sibi infundi. Si igitur caro illa infecta fuit, ex sua infectione nata erat animam culpa originali inficere. Necessarium est igitur ponere quod ante fuerit originalis culpae infectio, quam santificatio.

Securior etiam est, quia magis consonat fidei pietati et Sanctorum auctoritati. Magis concordat Sanctorum auctoritati, pro eo quod communiter Sancti, cum de materia ista loquuntur, solum Christum excipiunt ab illa generalitate, qua dicitur: Omnes peccaverunt in Adam. Nullus autem invenitur dixisse, de his quos audivimus auribus nostris, Virginem Mariam a peccato originali fuisse immunem.

Pietati etiam fidei magis concordat, pro eo quod, etsi Mater

[1] 3, Dist. III, P. I, q. II.

habenda sit in reverentia, et magna erga ipsam habenda sit devotio, multo maior tamen habenda est erga Filium ex quo est ei omnis honor et gloria. Et ideo, quia hoc spectat ad excellentem dignitatem Christi, quod ipse est omnium Redemptor et Salvator, et quod ipse omnibus aperuit ianuam, et quod ipse unus pro omnibus mortuus est, nullatenus ab hac generalitate beata Virgo Maria excludenda est; ne, dum Matris excellentia ampliatur, Filii gloria minuatur; et sic Mater provocetur, quae magis vult Filium extolli et honorari quam seipsam, utpote Creatorem quam creaturam.

Huic igitur positioni adhaerentes, propter honorem Iesu Christi, qui in nullo praeiudicat honori Matris, dum Filius Matrem incomparabiliter antecellit, teneamus, secundum quod communis opinio tenet, Virginis sanctificationem fuisse post originalis peccati contractionem.

Quibus positis, solvit Seraphicus Doctor adversae opinionis rationes.

VII. Ceterum, loca quae, ex eodem S. Doctore, tanquam piae sententiae de Immaculata Conceptione faventia adduci solent, sumuntur ex libris spuriis aut saltem dubiis. Nec, ut notat Scholiastes recentis editionis Operum S. Bonaventurae [1], *Sermo secundus de B. M. V.*, ex quo insigne testimonium solet referri, genuinus certo est. Denique, quod ad Conceptionis festum attinet, notandum est illud a Bonaventura eatenus fuisse admissum, quatenus posterior Deiparae santificatio, potius quam eius actualis conceptio, celebranda proponeretur, ut etiam notaverat Angelicus [2].

Ubi haec notabilia subiungit Seraphicus Doctor [3]: *Quod si aliquis obiiciat, aliorum Sanctorum conceptiones non esse celebres propter subsequentes sanctificationes, poterit ei dici quod alii Sancti pro malo non habebunt, si aliquis specialis honor Matri Domini tribuatur, quoniam sanctificationis ipsius magnitudo et acceleratio ceteras antecellit. Et ideo mirandum non est, si Spiritus Sanctus inhabitans in cordibus fidelium, devotionem ipsorum magis erga Virginem inflammat quam erga alios Sanctos et Sanctas. Hac etiam de causa quotidie de Vir-*

[1] T. II, p. 69. — [2] 3, Quaest. XXVII, art. 2 ad 3m. — [3] Loc. cit., Quaest. I, ad 4m.

gine gloriosa facimus officium speciale iuxta ordinem Romanae Ecclesiae, licet pro beato Petro, Apostolorum Principe, solummodo ter in anno faciamus officium. — Quacumque igitur hora, quacumque die aliquis fidelium cum totis praecordiis et visceribus honoret Virginem, increpandus non est pertinaciter, ne ipsius Virginis animadversio incurratur, quae auxiliatrix et amatrix est omnium fidelium suorum laudatorum, sicut illi qui tales sunt, experimento multiplici cognoverunt.

Ex quibus omnibus, quod nostra potissimum refert, licet concludere omnem circa S. Thomae mentem aequivocationem cito evanescere, perpendenti illius aetatis theologos communiter tenuisse Mariam in utero sanctificatam fuisse post animae infusionem, sive secundo post conceptionem instanti. Sic quippe docent Beatus Albertus Magnus, Alexander Halensis, Petrus a Tarentasia, Aegidius Romanus, Henricus Gandavensis, Durandus, aliique ante Scotum generaliter. Unde mirandum non est plures ex schola S. Thomae, inter illustriores theologos, ut S. Antoninum, Ioannem a Turre Cremata, etc., eamdem sententiam tanquam veram defendisse [1].

Articulus II. — *Utrum Beata Virgo habuerit fomitem peccati.*

I. — Quid sit formale, quid materiale in peccato originali. — In peccato originali duo sunt: nempe formale et materiale. Primum consistit in defectu originalis iustitiae, et attenditur penes dissolutionem subiectionis debitae in parte superiori hominis erga Deum. Alterum vero consti-

[1] Sanctum Thomam itemque sanctum Bonaventuram Immaculatae Conceptioni Beatae Virginis haud adversari nuper conatus est ostendere R. P. Iosephus a Leonissa, Ord. Min. Cap. (*In Jahrbuch für Philosophie*, etc., XVIII, p. 160, seq.), distinctione introducta inter naturam et personam, sic quod, iuxta hos sanctos, illa non autem ista, fuerit originali peccato infecta. Hoc tamen nihil est: nam id quod auctor dicit, sanctos illos posuisse naturam Deiparae intici, est, iuxta illum, Mariae corpus ante infusionem animae

tuitur rebellione sensualis appetitus contra rationem, quae rebellio dici solet concupiscentia, seu fomes peccati. Hoc autem secundum ex primo sequitur; quia sublata, per defectum originalis iustitiae, debita subiectione hominis ad Deum, sequitur, tanquam huius poena, defectus subiectionis virium inferiorum ad rationem [1]. Et quia per baptismum restituitur iustitia originalis quantum ad primum tantum, id est quantum ad subiectionem rationis ad Deum, idcirco, in renatis remanet fomes *ad agonem*, ut ait Concilium Tridentinum [2], et eatenus vocatur peccatum [3], quatenus *ex peccato est et ad peccatum inclinat* [4]: unde renati possunt non consentire motibus concupiscentiae, at illosmet non sentire nequeunt.

2. — Duplex fomitis acceptio. — Rursus distinguendus est fomes in actu secundo a fomite in actu primo. Fomes in actu secundo nihil aliud est, nisi actualis concupiscentiae motus; in actu primo autem est habitus faciens pronitatem ad malum et difficultatem ad bonum. Porro notandum est

---

rationalis fuisse obnoxium originali peccato; at non hoc tantum ex verbis Angelici et Seraphici Doctorum eruitur, sed et animam Mariae fuisse actu peccato infectam ab eoque mundatam; denique minus recte corpus ante animae infusionem natura vocatur. '— Nuper quoque prodiit opusculum ab *Antonio Senso Lázaro, canonico ecclesiae Matritensis ac in Seminario professore* (Matriti, 1905), quo nititur auctor demonstrare S. Thomam in Summa Th. (3, XXVII, 2) minime adversari dogmati de Immaculata B. M. V. Conceptione; at incassum, cum loca adducta, iuxta mentem S. Thomae accepta (quae mens ex contextu totius Summae erui debet), intentum minime probent. Nec recte ab hoc auctore dicitur S. Thomam quaestione XXVII de conceptione activa, non vero de passiva agere: nam 1° sanctum Doctorem non latuit, ut supponit auctor, distinctio conceptionis activae a conceptione passiva; 2° nimis evidens est S. Thomam loqui de conceptione passiva, qua solum est anima rationalis, quae est subiectum peccati; 3° non bene dicitur carnem prolis tempore conceptionis activae esse subiectum peccati originalis, cum peccatum nonnisi in anima esse queat.

[1] Cf. 1 2ae, Quaest. LXXXII, art. 3. — [2] Sess. V, c. 5. — [3] Rom., VII, 27. — [4] Conc. Trid., ibid.

quod iustitiae originalis collatio tributa Beatae Virgini longe amplior fuit quam restitutio gratiae in baptismo fidelibus facta: recepit enim in illa prima sui sanctificatione, cum scilicet creata est et in corpus infusa illius anima, ampliorem gratiam quam ullus unquam sanctus obtinuerit. Ideo ponimus sequentem

3. — PROP. — Beata Virgo non habuit fomitem, α) in actu secundo, sed nec β) in actu primo; quandoquidem fomes in ea fuit totaliter sublatus in primo instanti illius conceptionis passivae.

4. — **Prob. I^a Pars.** — Beata Virgo non habuit pravos motus concupiscentiae. Ergo non habuit fomitem in actu secundo. — Ratio *antecedentis* est, quia pravi motus concupiscentiae sunt effectus peccati originalis et cum culpa affinitatem habent: *actualis* (enim) *concupiscentia*, ait S. Doctor [1], *est motus peccati*. Unde cum isti motus habeant originem ex peccato originali, sequitur quod in Beata Virgine omnino defuerint. Itaque, dum *nos affectus et perturbationes, quamdiu in tabernaculo corporis huius habitamus, et fragili carne circumdamur, moderari et regere possumus, amputare non possumus* [2], Beata Virgo, e contra, illos motus nullatenus persensit, ita quod *nunquam eam concupiscentiae fomes attigit, neque vermis voluptatis laesit* [3], sed omnis vitii impetum ipsamet discussit ac propulsavit. Unde primi vitiorum insultus repentinaeque titillationes in Virgine benedicta prorsus abfuerunt.

5. — Sententiae reiiciendae circa fomitem in actu primo. — Sed nec fuit fomes in Beatissima Virgine in actu primo, id est ad instar cuiusdam habitus. Qua in re triplex sententia reiicienda invenitur.

I. Aliqui dixerunt quod sublatus est fomes in Beata Virgine, quantum ad hoc quod facit pronitatem ad malum, non vero quantum ad hoc quod facit difficultatem ad bonum, ne quid ad perfectionem virtutis pertinens in Virgine sub-

[1] 3, Quaest. XXVII, art. 3. — [2] S. Hieron., Ep. CXXX, ad Demetriad. n. 13, t. I, col. 689. — [3] Hesychius Presb. Hierosolym., Hom II. DE SANCTA DEIPARA. Bibliot. PP. Lugdun., 1677, t. XII, p. 187.

traheretur: ad perfectionem autem virtutis pertinet quod quis patiatur difficultatem in bono faciendo. — Sed haec positio non sustinetur: eadem est enim contrariorum ratio: unde concupiscentia sensualitatis repugnat rationi, non modo in quantum inclinat ad malum, sed etiam in quantum facit difficultatem in bono, et ideo utrumque ad ipsam fomitis rationem pertinet; ponere autem quod fomes remanserit in Beata Virgine non inclinans ad malum, est ponere duo opposita simul. Difficultas autem ad bonum, ex infirmitate carnis proveniens, ad perfectionem virtutis non pertinet tanquam causa perfectae virtutis, sine qua ipsa perfectio haberi non possit, sed tantummodo tanquam illius occasio: non est autem necesse ponere in Beata Virgine omnem perfectionis occasionem, sed sufficit ponere perfectam virtutem ex abundantia gratiae [1].

II. Reiecta hac sententia, censuerunt alii fomitem in Beata Virgine fuisse sublatum, quantum ad infectionem seu corruptionem personae, prout scilicet et impellit ad malum et facit difficultatem ad bonum, non vero sublatum fuisse quantum ad corruptionem naturae, prout est causa transmittendi peccatum originale in prolem. — Sed nec ista positio probanda videtur: quia libido, per quam peccatum originale transmittitur in prolem, non posset remanere in quantum pertinet ad corruptionem naturae, si totaliter abesset in persona.

III. Quocirca S. Thomas aliam sententiam proponit ac tuetur [2], scilicet in Beata Virgine, in ipsa eius prima sanctificatione, remansisse fomitem quantum ad essentiam, sed fuisse tunc ligatum, non quidem per actum rationis, sicut in viris sanctis, quia S. Thomas non admittit quod Beata Virgo habuerit usum rationis in ventre matris, sed per divinam gratiam et specialem providentiam: postea vero, quando

[1] Cf. 3, Quaest. XXVII art. 3. *Wo die böse Begierde sich findet,* ait Morgott (Mariologie des Heil. Thomas von Aquin. p. 65. Freiburg, 1878). *verhöht ihre Bekämpfung Tugend und Verdienst; aber dieses nur zufällig, nur in der verderbten Natur nämlich: an sich ist die Neigung zum Bösen keineswegs die Bedingung zum Guten und die Ursache grösseren Verdienstes und höherer Vollkommenheit.* — [2] Loc. cit.

concepit Filium Dei, tunc, ait Angelicus, fomes in ipsa fuit totaliter sublatus.

Ponit igitur S. Doctor duplicem in Beata Virgine purgationem a Spiritu Sancto peractam: *primam*, quasi praeparatoriam ad Christi conceptionem, *quae non fuit ab aliqua imparitate culpae vel fomitis, sed mentem eius magis in unum colligens et a multitudine sustollens; nam et angeli purgari dicuntur, in quibus nulla imparitas invenitur, ut Dionysius dicit* [1]; *aliam vero purgationem operatus est in ea Spiritus Sanctus mediante conceptione Christi, quae est Spiritus Sancti opus, et secundum hoc potest dici quod purgavit eam totaliter a fomite* [2].

6. — **Prob. 2ª Pars.** — Sed magis ad dignitatem Virginis Matris Dei pertinere videtur, ut ipse S. Thomas cogitur agnoscere, quod dicatur fomes totaliter fuisse sublatus in Deipara in primo instanti suae conceptionis passivae. Huic sententiae, quae cum dogmate de Immaculata Conceptione conformis omnino est, argumentum subministrat ipsemet Angelicus Doctor, licet eam reiiciat, ut dictum est. Siquidem, potest poni quod *praestitum fuerit Beatae Virgini ex abundantia gratiae descendentis in ipsam, ut talis esset dispositio virium animae in ipsa, quod inferiores vires nunquam moverentur sine arbitrio rationis, sicut dictum est fuisse in Christo* [3], *quem constat peccati fomitem non habuisse, et sicut fuit in Adam ante peccatum per originalem iustitiam: ita quod, quantum ad hoc, gratia sanctificationis in Virgine habuit vim originalis iustitiae* [4]. Igitur gratiam Beatissima Virgo in primo momento suae Conceptionis copiosissime accepit, ut fomes in ea totaliter auferretur seu extingueretur, quatenus, quantum ad hoc, in statu originalis iustitiae constituebatur.

[1] L. I de Eccles. Hierarch., C. VI. — [2] Loc. cit., ad 3ᵐ. Cum S. Thoma conveniunt S. Bonaventura, B. Albertus Magnus, Richardus a S. Victore, et maior pars antiquorum Doctorum. Vide Terrien, La mère de Dieu, etc. l. VI, c. I, p. 99. — [3] 3, Quaest. XV, art. 2. — [4] 3, Quaest. XXVII, art. 3. Cf. tr. de prima hominis formatione, Quaest. XCV, art. 2, n. 6, p. 189.

7. — **Confirmatur.** — I. Quanto virtus moralis in aliquo perfectior existit, tanto magis debilitatur in eo vis fomitis: virtus enim moralis, quae est in irrationali parte animae facit eam esse rationi subiectam. Atqui plenitudo gratiae, quam Beata Virgo in sua conceptione recepit, virtutes morales in ipsa perfectissime secum adduxit. Ergo in Beata Virgine fomes peccati fuit totaliter sublatus in primo instanti illius conceptionis passivae. Unde Richardus Victorinus ait [1]: *In reliquis sanctis magnificum habetur quod a vitiis nequeant expugnari; in Virgine mirificum videtur quod a vitiis non posset ipsa, vel in modico impugnari.* Ideoque fomes in Beata Virgine non proprie fuit compressus aut repressus, sed totaliter suppressus.

II. Beata Virgo a Deo praedestinata est, ut esset generis humani Coredemptrix, et sic ut quodammodo satisfaceret, sub Christo et una cum Christo, pro peccatis totius generis humani. Atqui fomes peccati est defectus quidam, non ordinatus ad satisfaciendum, sed potius inclinans ad contrarium satisfactioni: tanto enim satisfactio est potior, quanto magis diminuitur inclinatio ad peccatum. Ergo in Beatissima Virgine nullo modo fuit peccati fomes [2].

III. Accedit quod, quemadmodum filiis suis adoptivis Deus virtutes supernaturales tanquam immanentia et permanentia principia actuum ordinis supernaturalis infundit, cum tamen iidem actus possent per auxilia transitoria et extrinseca produci, ita cum sibimet Matrem praeparare voluerit, quae omnis labis expers et Deo digna esset, illam non solum ab omni actuali motu deordinato liberavit, sed etiam, iuxta suavem suae providentiae rationem, ab omni prorsus concupiscentiae radice immunem reddidit [3].

8. — **Reprobanda sententia.** — Minus tamen probanda aliquorum sententia est, qui cum Vega [4], ponunt carnem Beatae Virginis non fuisse ullo modo fomiti obnoxiam, etiam

[1] L. II, DE EMMAN., 31, Rothomagi, 1650, p. 312. — [2] C. S. Thom., 3, Quaest. XV, art. 2. — [3] Cf. Terrien., LA MÈRE DE DIEU, etc., l. VI, p. 100. — [4] THEOLOGIA MARIANA, T. I, Palaestra IX, Cert. 1, n. 863.

inspecta conceptione tantummodo activa, quod videtur etiam S. Thomae a Villanova placuisse, dum ait [1]: *Non decebat sanctuarium Dei, donum sapientiae, reliquiarium spiritus, urnam mannae caelestis aliquam in se labem habere; propter quod antequam anima illa sanctissima infunderetur, plene fuit caro illa mundata ab omni faece et labe; et anima cum infusa est, nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati, sicut scriptum est:* FACTUS EST IN PACE LOCUS EIUS [2], *id est domus divinae Sapientiae sine omni fomite peccati formata est.* — Revera, ut dictum est, debuisset Beata Virgo, nisi intuitu meritorum Christi fuisset praeservata, contrahere peccatum originale, et sic etiam peccati fomitem habere.

9. — Scholion I. — Hoc tamen non officit quominus Beatae Virginis parentes, divina illos protegente gratia, absque actuali fomitis motu, sed solum ex ferventissimo in Deum amoris actu, Beatam Virginem genuerint, sicut in Revelationibus S. Brigittae habetur [3], et S. Damascenus ipse tradit, his verbis Virginis parentes alloquens [4]: *Casta enim et sancta conversatione vestra, virginitatis monile protulistis... Par enim erat ut germinans illic ex castitate virginitas solum illud unigenitum lumen corporali ratione produceret.* — σωφρόνως γὰρ καὶ ὁσίως πολιτευσάμενοι, τὸ τῆς παρθενίας κειμήλιον προσηγάγετε, κ. τ. λ.

Unde valde diminuta fuisse dicenda est ista fomitis praeoccupatio in carne Beatissimae Virginis, non tamen omnino absens, cum sit sequela illius dispositionis ex generatione seminali ortae et peccatum originale adducentis in actu unionis animae cum corpore: nam sanctificatio personalis parentum non transit in prolem carnaliter genitam, quia talis sanctificatio non respicit carnem, sed mentem: siquidem, etiamsi parentes fuissent mundati a peccato originali, nihilominus illud traducere debuissent in prolem, et consequenter fomitis quoque infectionem [5]. Sed quia singu-

[1] Conc. III, DE NAT. VIRG. Aug. Vindelic., 1757, col. 572. — [2] Ps. LXXV, 3. — [3] L. I, c. 9. — [4] Homil. 1, in Nat. B. M. V., n. 5, p. 844, t. II. — [5] 1 2ae, Quaest. LXXXI, art. 3, ad 21; 3, Quaest. XXVII, art. 2, ad 41.

lari Dei privilegio Deipara in primo instanti suae conceptionis passivae fuit ab originali peccato contrahendo praeservata, ideo etiam in illomet instanti caro eius fuit expurgata ab omni dispositione ad fomitem, quam tamen de se habebat: ita quod non solum nullo deordinato motu a recto virtutis tramite abduceretur aut ullum inferioris partis conatum unquam pateretur, sed nec phantasia illius mentem a serenissima divinae contemplationis quiete ullo modo praepediret.

10. — **Scholion II.** — At per hanc doctrinam non excluditur quin Beata Virgo concupierit delectabilia sibi iuxta rationis ordinem. Nam caro naturaliter concupiscit, concupiscentia appetitus sensitivi, id quod est sibi delectabile; sed caro hominis, qui est animal rationale, hoc concupiscit secundum modum et ordinem rationis; ideoque caro Virginis naturaliter appetebat, concupiscentia appetitus sensitivi, escam, potum, somnum et alia quae, secundum rectam rationem, appetuntur, sicut ea appetebat Christus Dominus, ut habet S. Damascenus [1]; sed hoc ad fomitem minime pertinet, qui importat concupiscentiam delectabilium praeter, imo contra, ordinem rationis [2].

11. — **Scholion III.** — Nec est ambigendum quin fuerint in anima Beatissimae Virginis affectiones appetitus sensitivi, quae *passiones* dicuntur, sive sint passiones appetitus concupiscibilis, sive irascibilis. Huiusmodi enim de natura sua malae non sunt, ut volebant Stoici; sed si quidem sint secundum rectam rationem ordinatae, bonae sunt et in usum iustitiae convertuntur. *In disciplina nostra*, ait S. Augustinus [3], *non tam quaeritur utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur, nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis, nec utrum timeat, sed quid timeat: irasci enim peccanti ut corrigatur, contristari pro afflicto ut liberetur, timere periclitanti ne pereat, nescio utrum quisquam sana consideratione reprehendat.*

[1] L. III, Orthod. Fid., c. 14, t. I, p. 226. — [2] Cf. S. Thom. 3, Quaest. XV, art. 2, ad 2[m]. — [3] L. IX, de Civit. Dei, c. 5, t. VII, col. 222.

Unde, et cum Christus Dominus hos motus *certae dispensationis gratia ita cum voluit suscipit animo humano, ut cum voluit factus est homo*, ut ait idemmet Augustinus [1], ideo non est cur iidem in Beata Virgine defuisse censeantur. *Licet Deus*, ait S. Bernardinus Senensis [2], *perfecta dispositione disposuerit Matrem suam, et absque omni culpa servaverit eam, nihilominus tamen cunctae passiones illae quae naturam sine peccato sequuntur, quae scilicet sunt materia exercendae virtutis, in ea plenius remanserunt, tam respectu sui, quam respectu Filii. Unde in ea fuit amor, timor, honor, admiratio et huiusmodi, secundum quod in aliquo sine peccato esse possunt.*

Addi potest id quod de Christi passionibus observari solet, scilicet hos motus in Beata Virgine non fuisse perfectas passiones, sed tantummodo inchoatas in appetitu sensitivo, ideoque potius *propassiones* dici debere. Distinguuntur enim propassiones a passionibus quae sunt in nobis, *primo*, quantum ad *obiectum*, quia in Beata Virgine, sicut in Christo, non ferebantur ad illicita, sicut plerumque in nobis accidit; *secundo*, quantum ad *principium*, quia in illis iudicium rationis non praeveniebant, quod saepius in nobis habetur; *tertio*, quantum ad *affectum*, quia rationem secum non trahebant, sed manebant intra ambitum appetitus sensitivi, cuius contrarium nos saepe experimur [3].

12. — Solvitur difficultas. — Ultimo loco opportunum erit adduxisse et solvisse rationes ob quas S. Thomas [4] amplexus sit sententiam, quae tenet in Beata Virgine, in prima sui sanctificatione, fomitem fuisse ligatum, et tantummodo in Christi conceptione fuisse totaliter sublatum. Tenet enim S. Doctor quod sensualitas Beatae Virginis, aliunde in malum de se inclinata, fuerit veluti consopita, et ab omni inordinato motu prohibita, tum per abundantiam gratiae in sanctificatione receptae, tum maxime per divinam providentiam, et hoc quidem usque ad conceptionem carnis Christi in eius utero, quo tempore omnis inclinatio in malum fuit exstincta.

[1] Ibid., L. XIV, c. 9, n. 3. — [2] Serm. IV, de B. M. V., art. III, c. II, ed. cit., t. IV, p. 91. — [3] Cf. 3, Quaest. XV, art. 4. — [4] 3, Quaest. XXVII, art. 3.

Prima ratio a S. Doctore adducta, est quia talis positio, scilicet fomitem fuisse in Maria totaliter tunc sublatum, derogat, *in aliquo, dignitati Christi, absque cuius virtute nullus a prima damnatione liberatur.* — Sed ratio haec rem sedulo perpendenti vana et futilis apparet: quandoquidem, quod Beata Virgo nec defectum originalis iustitiae unquam senserit, nec fomitem concupiscentiae ullo modo habuerit, etsi non sit ex instrumentalitate physica humanitatis Christi, cum haec nondum existeret [1], fuit tamen ex praevisis Christi Domini meritis, qui, sicut potuit redimere antiquos Patriarchas, suos nempe secundum carnem remotos progenitores, eos a peccato redimendo, ita potuit *praeservare* suam Matrem ne unquam sub peccati teneretur potestate. Concupiscentia vero peccati rationem materialiter habet; nam S. Paulus iam regeneratus ingemiscens aiebat [2]: *Carnalis sum, venumdatus sub peccato*; et rursus [3]: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Nec melior est *altera* ratio quam tradit Angelicus, ex eo petita quod immunitas damnationis primo apparere debuerit in carne Christi; unde licet per fidem Christi aliqui ante eius Incarnationem sint ab illa damnatione liberati secundum spiritum, nullus tamen immunis esse debuit a *lege carnis* seu a fomite antequam Christus fieret homo, sicut nullus adeptus est carnis immortalitatem antequam caro Christi resurgeret immortalis. — Haec quippe ratio aliud non evincit, nisi quod illorum mirabilium effectuum, gratiae scilicet et miraculorum, qui antea completi fuerunt, humanitas Domini nostri non extiterit causa efficiens instrumentalis, cum repugnet causam efficientem etiam instrumentaliter operari antequam sit; sed bene esse potuit causa meritoria illorum effectuum, secundum quod Christus dicitur et est caput totius Ecclesiae, non solum secundum ordinem et perfectionem, sed etiam secundum virtutem, tum per respectum ad animas hominum, tum etiam per respectum ad eorum corpora [4].

Quocirca sicut Beata Virgo fuit, ex singulari Dei pri-

[1] Cf. quae tradidimus in Tract. de Incarnatione, Quaest. XIII, art. 2, num. 5. — [2] Rom., VII, 14. — [3] Ibid., 24. — [4] 3, Quaest. VIII, art. 1 et 2.

vilegio, in sua conceptione ab omni peccato praeservata immunis virtute meritorum Christi, licet non per eius humanitatem tanquam per instrumentum, ita retinendum est ipsam eadem ratione ab omni peccati fomite in sua conceptione fuisse liberatam, quod utique catholice dicendum est, utpote tantae Matri dignius et redemptionis oeconomiae conformius.

13. — Corollarium. — Ex hac doctrina de facili deducitur, Deiparam rite proponi posse tanquam, sub Christo et cum eo, typum illius perfectae et integrae naturae, quam Deus in Adam et Eva primitus condiderat, quam vero peccatum foede corrupit. *Nous sommes*, ait Auguste Nicolas [1], *si misérables, que dans l'homme le plus vertueux, dans le saint, il y a un être porté à tous les crimes, qui sent gronder, et se soulever au dedans de lui-même les instincts les plus brutaux et les plus pervers, et qui, hélas! quelquefois tombe sous leur joug. C'est que nous sommes déchus, malades, brisés, réellement misérables.* At vero, de Deipara aliud omnino edisserendum est [2]. *Depuis la plante des pieds jusqu'au sommet de la tête, il n'a dû rien se rencontrer en Marie qui fût inconvenant, défectueux, choquant: tout a dû être fait au tour de la divine Sagesse, admirablement exempt de toute superfluité, ouvré en perfection, et avec une délicatesse exquise. Et c'est ce que dit excellement l'Évangile lorsqu'il appelle Marie* PLEINE DE GRACES, *parole qui, dans sa brièveté, épuise tout panégyrique, surtout lorsqu'on considère que ce n'est pas de la bouche d'un mortel, mais des lèvres d'un ange, ambassadeur de la Cour céleste, qu'elle sort, comme expression de son admiration et de son hommage:* AVE MARIA, GRATIA PLENA.

Unde Deiparam salutare possumus verbis Adami a S. Victore [3]:

Salve Verbi sacra parens,
Flos de spinis, spina carens,
Flos spineti gloria.
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati;
Sed tu spinae nescia.

[1] LA VIERGE MARIE, etc. T. I, p. 188. — [2] Op. cit. T. II, p. 157. — [3] Prosa pro Assumpt. B. M. V. Apud Plazza. CAUSA IMM. CONC., p. 100.

Articulus III. — *De Beatae Mariae Virginis impeccabilitate.*

1. — Ratio articuli. — Remota a Deipara omni prorsus originalis maculae labe, necnon adserta in ipsa fomitis, sive in actu secundo, sive etiam in actu primo, carentia, necesse nunc est, ad hoc ut negativae perfectionis Deiparae, quae in immunitate ab omni peccato consistit, consideratio compleatur, ostendere animam Beatae Virginis nullo unquam actuali peccato fuisse commaculatam, sed nec commaculari potuisse.

Ubi, suppositis iis quae superius statuta sunt circa non incompossibilitatem, absolute loquendo, divinae maternitatis cum peccato, duo statuenda veniunt: alterum, circa factum dogmaticum, alterum vero circa huius facti rationem modumque intelligendi, quibus coronidis iustar aliqua adiicientur pro solvendis quibusdam dubiis, sive ex quibusdam Patribus, sive ex Sacra Scriptura depromptis.

Posset autem quaestio praesens inscribi etiam de *sanctitate* Beatissimae Virginis Mariae; sanctitas enim, ut ait auctor libri de divinis Nominibus [1], *est ab omni labe criminis libera et perfecta et prorsus immaculata mundities.* ἡ πάντος ἄγους ἐλευτέρα, καὶ παντελής, καὶ πάντη ἄρχαντος καθαρότης.

2. — PROP. I. — Beatissima Virgo nulla unquam actualis peccati labe commaculata est.

Propositio ista est de fide contra Lutheranos et Calvinistas, et quotquot ab immunitate a peccato quemcumque alium praeter Christum excludere nituntur [2].

[1] C. XII. — [2] In hunc sensum prima facie legendus videretur articulus XV Ecclesiae angliganae: *Sed nos reliqui* (id est praeter unum Christum), *etiam baptizati et in Christo regenerati, in multis tamen offendimus omnes.* — Attamen pluribus anglicanis theologis videtur articuli intentionem fuisse potius ut anabaptistarum errori, Christi perfectionem denegantium, occurreretur, quam ut quidquam contra sanctitatem Mariae proferretur: unde et E. Gibson, Doct. Oxon.,

3. — Prob. — I. Auctoritate. — Haec autem veritas ita traditur a Tridentino Concilio [1]: *Si quis hominem, semel iustificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Celebria quoque sunt hac in re S. Augustini verba [2]: *Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: unde enim scimus quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum? Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic virerent, congregare possemus, et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus?* Praeclare quoque S. Bernardus [3]: *Ego puto quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae et ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custoderet immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum.*

4. — II. Ratione theologica. — Primo loco observandum venit, praesentem quaestionem proponi tum quoad peccatum

---

declarat haud infirmari, hoc articulo, fidem in Immaculatam Conceptionem B. M. V. Cf. The thirty-nine articles of the Church of England, by Edgar C. S. Gibson, D. D. London, 1902; pp. 439, seq. Attamen ab hoc auctore dissentire cogimur, dum innuit Beatam Virginem in tantum haberi posse tanquam hoc articulo non comprehensam, in quantum retineatur ipsam non fuisse baptizatam: *It would be perfectly open to a Romanist to hold that the Blessed Virgin was never baptized, and that, therefore, her case is not considered in the article at all* (p. 440). Re quidem vera, theologice admitti potest Beatam Virginem fuisse baptizatam, quin tamen per hoc ullum inferatur eius Immaculatae Conceptioni aut perpetuae impeccabilitati praeiudicium: siquidem, non ut in Christo regeneraretur, sed tantum ut ipsi visibiliter incorporaretur tanquam membrum eius, Deipara baptismum suscepisse dicenda est, ut fusius infra declarabitur (art. 5, n. 9). — [1] Sess. VI, can. XXIII, — [2] Lib. de Nat. et Grat., c. XXXVI, n. 42, ante med., t. X, col. 144, 145. — [3] Vide supra, P. II, C. I, A. 1, App., § I, n. III.

mortale, tum quoad peccatum veniale, licet firmiter tenendum sit hominem in innocentia constitutum non prius potuisse peccare venialiter quam peccaret mortaliter, cum veniale peccatum attendatur secundum rebellionem partis inferioris ad rationem, peccatum autem mortale secundum rebellionem rationis ad Deum: porro pars inferior rationi perfecte subdita manebat, quousque ratio ipsa Deo subiiciebatur. Quocirca, excluso in Beata Virgine omni mortali peccato, iam implicite exclusum manet etiam peccatum veniale [1].

Ratio autem propositae theseos a S. Thoma ita exponitur [2]. Quandocumque Deus aliquem eligit ad quemdam specialem statum, ita electum praeparat atque disponit, ut idoneus inveniatur ad id omne praestandum ad quod eligitur: ita quippe S. Paulus [3]: *Sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti.* Atqui Deus elegerat Beatam Virginem in Matrem Filii sui. Ergo electam suam Matrem per divinam gratiam idoneam fecit, ut ea omnia praestaret, quae ad tantum officium pertinebant. Atqui peccatum Beatam Virginem inidoneam reddidisset officio suo adimplendo. Ergo Beata Virgo peccatum minime commisit.

5. — Exponitur argumentum. — Sane, α) quemadmodum *gloria filiorum patres eorum* [4], ita ignominia Matris, etiam venialiter peccantis, ad Filium quodammodo redundasset. Praeterea, β) cum Christus sit essentialis sanctitas, nec ullam, etiam tenuem, peccati ullius maculam admiserit, iuxta illud: *Quae conventio Christi ad Belial* [5], singularis affinitas quam

[1] Cf. Tract. nostr. DE PRIMA HOMINIS FORMATIONE, Q. XCV, art. 1, n. 6. — Advertendum est, non posse, etiam in homine peccato originali infecto, adesse peccatum veniale, nisi praecesserit mortale; at hoc est propter aliam rationem, scilicet quia primum hominis officium, cum ad annos discretionis pervenerit, est convertere se ad Deum, saltem sub ratione boni in communi apprehensum, semper enim finis prior est in intentione; unde si hoc homo faciat, remittitur ei peccatum originale, si autem non faciat, praeter originale, etiam actuale habebit, quod, propter rei gravitatem, mortale est. Cf. 1 2ae, Quest. LXXXIX, art. 6. — [2] Cf. 3, Quaest. XXVII, art. 4. — [3] 2 COR., III, 5, 6. — [4] PROV., XVII, 6. — [5] 2 COR., VI, 15.

habuit cum Beatissima Virgine minime sinebat ut illa, ex qua carnem assumere non detrectabat, aliqua etiam umbratili labe pollueretur. Rursus, γ) quia *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* [1], ideo mulier illa praecellens, quae corporaliter et modo quodam permanenti aeternae Sapientiae Incarnatae habitaculum fiebat, non debebat subiici, ullo vitae suae mortalis tempore, peccati insultibus.

δ) Accedit huic proposito quod cum Beata Virgo electa a Deo esset ut una cum Christo, per suam cum patiente Filio maternam compassionem, salutem nostram procuraret, quo sensu titulis mediatricis ad Deum et Coredemptricis ab Ecclesia decoratur, ideo ab omni prorsus peccato libera existere debuit: peccatum enim ad mediationem et satisfactionem nihil confert, immo virtutem mediationis et satisfactionis evacuat. Hinc concludit S. Thomas: *Confirmatio in bono Beatae Virgini competebat, quia Mater erat divinae Sapientiae, in quam nihil inquinatum incurrit* [2].

6. — Corollarium. — Quocirca quod in Cantico Canticorum legitur [3]: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*, Ecclesia in sua liturgia, Patresque in suis scriptis, Beatissimae Virgini Mariae applicare consueverunt, quasi *nullo unquam labis naevo maculata* fuerit [4]. Quod profecto nulli alii praeter ipsam competit; nam omnes prorsus peccato originali commaculati sunt: qui autem mox post suam conceptionem fuerunt emundati, concupiscentiae fomitem saltem in actu primo habuerunt, ex quo quaedam deformitas, etsi ad culpam non imputabilis, exsurgit.

7. — Scholion. — Porro, haec Deiparae confirmatio in iustitia specialissimo Dei privilegio ex parte adscribenda est, ut docet S. Thomas [5]; non enim status innocentiae secumfert de natura sua confirmationem in iustitia, sicut apparet ex Adam et Eva in illo statu peccantibus, et etiam

[1] Sap., I, 4. — [2] Quaest. XXIV de Veritat., art. 9, ad 2um. — [3] IV, 7. — [4] Bulla Ineffabilis. — [5] Quaest. C, art. 2. Cfr. tr. de prima hominis formatione, p. 263.

ex hoc quod si pueri in statu innocentiae nati fuissent, non fuissent in iustitia confirmati; sed quamdiu non fuissent beatificati visione Dei, potuissent peccare [1].

Quae cum in tuto posita sint, quaeritur modo ex quonam titulo, intrinsecone, an extrinseco, Beatissima Virgo impeccabilis extiterit, et quanam ratione in bono confirmata fuerit, utrum scilicet physice, an moraliter tantum.

Ad cuius solutionem, praemittenda est limpida S. Thomae doctrina de confirmatione in bono.

8. — **Triplex modus confirmationis in bono.** — Igitur, secundum S. Thomae doctrinam, sedulo distinguendus est triplex modus quo quis in bono confirmari possit.

Primo, per aliquam formam intrinsece divinitus superadditam, hominem permanenter in bono defigentem, et haec est lumen gloriae in beatis. *Secundo*, per hoc quod alicui confertur aliquod munus gratiae, quo ita inclinatur in bonum, quod non de facili possit a bono deflecti: quo quidem non totaliter adimitur facultas peccandi, remanente radicali inclinatione in malum ex parte virium inferiorum, et innata capacitate in ratione ut decipiatur: ad quae vincenda speciali Deus adsistentia occurrit.

Sed praeter istos duos modos adest et *tertius*, quo scilicet Deus aliquem specialiter protegit, qui ita sit in innocentia constitutus, quod nec fomitem peccati habeat, nec deceptioni sit obnoxius, sicut fuit Adam ante lapsum; quo casu confirmatio habetur, non quidem per hoc quod Deus homini adsistat ne inferiora invadant superiora, aut ne ratio in deceptionem inducantur, sed ne mala voluntas rationem ad se peccando pertrahat.

Hisce positis, iam constat Beatam Virginem non fuisse in bono confirmatam secundo modo, cum ipsa non habuerit fomitem peccati, nec obnoxia fuerit deceptioni. Restat ergo ut quaeratur utrum primo an tertio modo in bono confirmata fuerit.

9. — PROP. II. — **Beata Virgo α) non fuit in bono confirmata per aliquam formam intrinsece superadditam, sed**

[1] Ibid.

3) **per hoc quod Deus specialiter eius voluntati iugiter adstitit, ne in malum aliquando inclinaretur.**

10. — **Prob. prima pars**, scilicet Beatam Virginem non totaliter ab intrinseco habuisse sufficiens suae firmitatis principium.

Revera, istud principium ab intrinseco petitum oritur ex physica impossibilitate falso apprehendendi aliquid ut Summum Bonum, dum non est, ipsique adhaerendi: est enim peccatum actus quo aliquid falso apprehenditur ut Summum Bonum, eique adhaeretur. Atqui talis impossibilitas non oritur nisi ex eo quod quis videt permanenter Deum per lumen gloriae, tanquam per formam permanentem, excludentem possibilitatem contrariae formae, qua scilicet aliquid falso apprehendatur ut Summum Bonum.

Hinc egregie S. Thomas [1]: *Ex hoc creatura rationalis in iustitia confirmatur, quod efficitur beata per apertam Dei visionem, cui viso non potest non inhaerere, cum ipse sit ipsa essentia bonitatis, a qua nullus potest averti, cum nihil desideretur et ametur, nisi sub ratione boni. Et hoc dico secundum legem communem.* Atqui, licet probabiliter possit retineri Beatae Virgini aliquando in vita mortali fuisse concessam, ut infra dicetur [2], visionem Dei per essentiam, attamen haec visio non fuit per lumen permanens, sed transiens, tale scilicet quod non sufficienter subiectum defigat in bono. Hoc modo igitur Christus solus fuit impeccabilis, qui etiam ante suam ascensionem fuit comprehensor, non autem Beata Virgo, quae comprehensor in hac vitamortali non fuit.

11. — **Secunda pars** manifestatur ex differentia quae intercedit inter impeccabilitatem Beatae Virginis et impeccabilitatem aliorum sanctorum.

Cum illi sancti quos Deus in bono confirmasse traditur, ut sunt apostoli, habuerint peccatum originale et consequenter fomitem, poterat esse in parte inferiori quaedam rebellio virium sensitivarum contra rationem, et in ratione ipsa quaedam deceptio: ad quae vincenda ordinabatur gratia sanctificans, ita tamen quod haec quidem reprimeret mo-

[1] 1, Quaest. C, art. 2. — [2] Art. 7. n. 4, p. 283.

tum virium sensitivarum; sed, etsi haec gratia magna esset, tamen omnem talium motuum possibilitatem non tollebat, secus iam fomitem ipsum sustulisset [1]. Igitur, existente possibilitate horum motuum, necnon alicuius deceptionis in ratione, praedicti sancti acceperunt divinam adsistentiam tum ex ipsa radice gratiae, ne motus valde inordinati insurgerent, quibus postea in mortale peccatum facile labi potuissent, tum maxime ex divina Providentia eorum voluntati adsistente, ne malum amplecterentur.

At Beata Virgo fomite caruit; unde ex gratia suae immaculatae Conceptionis, sicut etiam Adam in paradiso ex dono iustitiae originalis, habuit ut nullus unquam motus inordinatus in parte inferiori exsurgeret; ideoque ex hoc capite, speciali adsistentia non eguit, sed solum ex parte voluntatis ne in malum dellecteret, sicut Adam miserando casu dellexit. Quae cum ita sint, gratia Beatae Virginis dicenda est non quidem alterius generis a gratia nostra, sed alterius rationis, cum gratia nostra, quantacumque sit, nos in perfectum iustitiae originalis ordinem non constituat, sicut constituit nostram gloriosam Matrem.

12. — Explicatur propositio. — Re quidem vera, prima origo vel causa peccati in Beatissima Virgine non potuisset esse ex rebellione inferiorum virium contra superiores. Nam in statu innocentiae erat constituta; atqui in hoc statu, *quamdiu anima maneret Deo subdita, tamdiu in homine inferiora superioribus subdebantur* [2]. — *In statu innocentiae*, ait S. Thomas [3], ... *erat infallibilis ordinis firmitas, ut semper inferius contineretur sub superiori, quamdiu summum hominis continebatur sub Deo; ... et ideo oportebat quod inordinatio in homine non esset, nisi inciperet ab hoc quod summum hominis non subderetur Deo, quod fit per peccatum mortale* [4].

Pariter, prima peccati origo in Beatissima Virgine non poterat esse ex deceptione intellectus: nam deceptio quaecumque, etiam levissima, malum quoddam est; sed, inno-

[1] Cf. 3. Quaest. XXVII. art. 4, ad 1[m]. — [2] 1. Quaest. XCIV, art. 4. — [3] 2[am]. Quaest. LXXXIX, art. 3. — [4] Cf. 1. Quaest. XCV, art. 1.

centia manente, quemadmodum in membris corporis erat quidem carentia perfectionis cuiusdam, pura claritatis, non tamen aliquod malum inesse poterat, ita in itellectu poterat esse carentia cuiusdam notitiae, non tamen existimatio falsi aut deceptio, quae malum est [1].

Quocirca, sicut in homine in statu innocentiae constituto, prima origo peccati non fuit nisi inordinatio voluntatis se amantis et Deum odio habentis, ita in Beatissima Virgine origo peccati alia esse non poterat: at, ex speciali Dei providentia, tam recta iugiter fuit in ea voluntatis inclinatio, et tam efficaciter custodita ne in malum deflecteret, quod nunquam peccatum mortale committeret et consequenter omni peccato veniali careret. Quae quidem custodia non debet concipi ad instar formae inhaerentis, quale est in beatis lumen gloriae; sed potius per modum specialissimae actualis adsistentiae, qua Deiparae voluntas propensissimo caritatis fervore ita iugiter continebatur in Deo, ut nunquam ab eo averteretur.

13. — Corollarium. — Ex quibus apparet Beatissimam Virginem, licet modo minus perfecto quam beatos, longe tamen perfectius quam caeteros sanctos, in bono confirmatam fuisse; quia isti quidem, speciali providentia illis adsistente, ab omni voluntario actu malo custodiuntur, non autem ab illis involuntariis motibus qui primo-primi dici solent, quos et ipse S. Paulus se pati testabatur, dum aiebat se videre in membris suis legem repugnantem legi mentis et illum captivantem in lege peccati [2]; a quibus motibus, tanquam a subreptione vetustatis, Ecclesia orat ut expurgemur [3]. Quocirca illi, quantum ad mortalia, fuerunt in bono confirmati, non autem quantum ad venialia; Beata Virgo autem confirmata fuit in bono et quantum ad omnia mortalia, et, consequenter, quantum ad venialia quaecumque. *Beatae Virgini*, ait S. Thomas [4], *praestitum est ut de caetero non peccaret nec mortaliter, nec venialiter; aliis autem sanctificatis*

[1] 1. Quaest. XCIV, art. 4. — [2] Rom., VII, 23. — [3] Orat. Postcomm. Feria III Maioris hebd.; vide Cornel. a Lapide in Luc., I, 41. — [4] 3. Quaest. XXVII, art. 1, ad 1[m].

creditur praestitum esse, ut de caetero mortaliter non peccarent, divina eos gratia protegente [1].

14. — **Quaerenti** autem utrum Beata Virgo fuerit confirmata initio vitae suae, an tantummodo post Christi Incarnationem *respondemus*. tutius affirmari Deiparam, in illo momento quo anima in eius corpus infusa est, et ut mox dicemus [2], gratia pro modo suo repleta, huiusmodi impeccabilitatis privilegio fuisse donatam; nec in hac re standum est Angelici Doctoris sententiae [3]. volentis tantummodo in Christi Incarnatione Beatam Virginem hoc privilegio fuisse donatam: siquidem hoc ipse adseruit cohaerenter sententiae suae de exclusione fomitis in Deipara nonnisi post Verbi Incarnationem: quam sententiam minime probandam esse superius diximus [4].

15. — **Solvuntur difficultates.** — Contra egregiam hanc et singularem Deiparae sanctitatis dotem, auctores qui, inter Protestantes praesertim, huic privilegio invident, aliqua adducere solent ex antiquioribus Patribus, quibus singularis illa sanctitas videtur prima facie labefactari. — Verum, in contrarium observatur, imprimis, Patres illos, ut plurimum, ad Christum unice respexisse, quatenus illius virtutes perfectionesque penitius rimari vellent, ideoque de Beatissima Virgine non tam expresse aut ex professo sermonem instituisse.

Accedit quod interdum naevum aliquem in Beata Virgine admitti censuerint eo pacto, ne scilicet Christi reparativa virtus ex hac parte frustrari videretur, si nempe aliqua macula in ea non fuisset expianda; quae tamen ratio nihil probat, cum Christi virtus abundantior ostendatur ex eo quod Matrem suam a naufragio totaliter prohibuerit, quam si illam ex abyssi profundo eripuisset.

Hoc modo, inepte prorsus, argumentabatur Origenes [5]:

[1] Excipiendus videtur S. Ioseph. sponsus B. Virginis, cui per speciale privilegium concessum est ut numquam, ne veniali quidem peccato communaretur. Vide tr. DE S. IOSEPH, P. II, art. 2, n. 10, p. 158. Cf. etiam tract. nostrum DE GRATIA. Quaest. CIV, art. 9, n. 3. — [2] Art. seq. — [3] 3, Quaest. XXVII, art. 5, ad 2m. — [4] Art. praec. — [5] Hom. XVII in LUC., Migne, P. L., t. X, col. 1219.

Scandalizati sunt universi, in tantum ut Petrus quoque, Apostolorum princeps, tertio denegarit. Quid? Putamus quod scandalizatis apostolis, Mater Domini a scandalo fuerit immunis? Si scandalum in Domini passione non passa est, non est mortuus Iesus pro peccatis eius. Si autem omnes peccaverunt et egent gloria Dei, iustificati gratia eius et redempti, utique et Maria illo tempore scandalizata est. Et hoc est quod nunc prophetat Simeon. — Profecto Beatissima Virgo iustificari potuit sanguine Christi, non ex peccatrice, sed tantummodo, ex simpliciter non iusta, iusta effecta. — Quocirca deserendus quoque est ex hac parte S. Basilius dum, ex hoc quod *vice omnium de morte gustandum erat Domino, et mundi factus expiatio, omnes in suo sanguine debebat iustificare*, infert Deiparam in Christi passione dubitationem quamdam et divisionem mentis fuisse passam, qualiter olim Simeon prophetaverat [1].

16. — Patrum voces ambiguae. — Quod autem attinet ad Patrum voces quae Deiparae sanctitatis contrariae videntur, primo advertimus, non semper eas illorum revera Patrum esse quibus attribuuntur. Eiusmodi sequentes sunt quae sancto Augustino falso adscribuntur [2]: *Hoc utique significavit, quia etiam Maria, per quam gestum est mysterium Incarnationis Salvatoris, in morte Domini dubitaret: ita tamen ut resurrectionis honore, et virtute Domini firmaretur. Omnes enim stupore quodam in morte Domini dubitaverunt, non tamen in dubitatione permanserunt .. Quis enim non ambigeret, videns eum qui se Filium Dei dicebat, sic humiliatum, ut usque ad mortem descenderet?* Revera, huiusmodi verba non S. Augustini sunt, sed cuiusdam haeretici auctoris, ut testatur etiam B. Bellarminus [3].

Quandoque tamen absolute deserendi sunt, dum in pro-

[1] Ep. Optimo Episc., sc. 317, circa finem. Opp., t. III, p. 310, 311, Paris., 1638. Haec S. Basilii verba, benignius forsan quam verius, Angelicus interpretatur de dubitatione non infidelitatis, sed admirationis et discussionis, in quantum Maria hinc quidem Christum tam abiecta pati cernebat, illinc vero illius mirifica opera considerabat. 3, Quaest. XXVII, art. 4, ad 2m. — [2] Lib. Qq. Vet. et Nov. Testam., inter Opp. S. Augustini, q. 73. App., t. III, col. 72. — [3] Lib. de script. eccles., Coloniae 1617, t. VII, col. 82.

prio sensu loquentes, nec universalem traditionem repraesentantes, a veritate catholica excedunt. Talis est S. Chrysostomus, dum exponens ista verba [1]: *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei*, ait [2]: *Quod illa fecit, ex ambitione proficiscebatur: volebat enim populo sese ostentare ac si imperaret Filio, de quo nihil adhuc magnum imaginabatur, ideoque importune accessit. Vide ergo et eius et fratrum arrogantiam.* — Qui etiam Mariae petitionem in Cana explicans, ait [3]: *Volebat enim et illos beneficio devincire, seque splendidiorem per Filium reddere et forte humanum quippiam passa est, ut et fratres eius qui dicebant:* OSTENDE TEIPSUM MUNDO, *quod vellent ex miraculis sibi gloriam comparare; ideo sic illi asperius respondit...* QUAE EST MATER MEA, ET FRATRES MEI. *Nondum enim eam quam par erat de ipso opinionem habebant, sed quia ipsum pepererat, matrum more, putabat se illi posse omnia praecipere. quae illum ut dominum colere et adorare debuisset, ideo tunc ita respondit.* — Attamen Angelicus doctor arbitratur verba illa Chrysostomi posse ita exponi, ut intelligatur Dominus cohibuisse in Maria, *non inordinatum inanis gloriae motum quantum ad ipsam, sed id quod ab aliis posset aestimari* [4]. — Ceterum, tam diserta sunt quae alias Chrysostomus docet de Maria, ut haec dubia loca sub luce generalis illius doctrinae debeant explicari [5].

Ea quoque quae furtim e calamo S. Cyrilli Alexandrini excidere, ineptiora sunt, quam ut Ecclesiae mentem exprimere dicantur. *Gladius* (Simeonis), inquit [6], *appellatur acuta illa vis et impetus perturbationis quae mulierculae mentem in absurdas cogitationes divideret.* Nec propius ad verum accedit, dum rationem reddens quare Christus in Cruce pendens Matrem Ioanni commendaverit, ait quod, cum ea *in scandalum incidisset, et cogitationum perturbationibus implicata esset,...* (Christus) *hanc egregio mystagogo commisit discipulo suo, qui mysterii illius altitudinem recte et idonee explicare*

[1] Matth., XII, 48. — [2] Hom. XLIV in c. XII MATTH., t. VI, p. 313. — [3] Hom. XXI, al. XX, ex cap. I, Io., n. 2, t. IX pp. 329, 330. — [4] Loc. cit. ad 3[m]. — [5] In Comment. ad Io. — [6] Cf. iam. cit. opusc. NIC. MARINI, *Le Macchie apparenti* (in *S. Giov. Cris.*). pp. 48. seq.

posset: nimirum Beata Virgo, ut inferius ostendemus, nihil ab hominibus didicit.

Relinquendus pariter est Tertullianus, dum de eo disserens: *Quae est Mater mea et qui sunt fratres mei*, ait [1]: *Sed quae ratio responsi matrem et fratres ad praesens negantis? Discat etiam Apelles. Fratres Domini non crediderunt, sicut et in Evangelio ante Marcionem edito continentur. Mater aeque non demonstratur adhaesisse illi, cum Martha et Maria alia in commercio eius frequententur.*

Denique, sequi non cogimur S. Augustinum dum, alludens primo Christi miraculo, ait [2]: *Tunc ergo divina facturus, non divinitatis sed infirmitatis matrem velut incognitam repellebat.* Etenim, dilectam suam Matrem Christus tunc, minime repulit, qui ad eius orationem tempus primi illius stupendi miraculi patrandi acceleravit.

17. — **Scholion.** — Porro, cavere quis sedulo debet, ne dicat illos ex Patribus, qui supra, eatenus de Maria minus digne sensisse, quatenus id ipsis suaserint praedictae Scripturae voces: e contra, illos qui Mariam amplissimis laudibus extulerunt, potius ad sensum fidelium, quam ad Scripturam attendisse: — non enim adest essentialis oppositio inter Scripturam Sacram et sensum populi christiani [3]: aliunde consensus traditionis minime recinuisse aut resonuisse deprehenditur voces illorum Patrum, et loca Scripturae, ad quae provocant, alium sensum omnino praeseferunt.

18. — **Obiectiones ex Sacra Scriptura.** Revera, illorum locorum, quae contra Deiparae perfectam sanctitatem interdum prolata sunt, haud difficilis redditur explanatio. Porro illa potissime tria sunt.

Primus est [4]: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* — In quem locum opportune advertit S. Bernar-

[1] Lib. de Carne Christi, c. 7, Parisiis, 1584. — [2] Tract. CXIX in Io., n. 1. — [3] Dissensum huiusmodi insinuare videtur Iosephus Turmel, in opere haud ita pridem in indicem librorum prohibitorum relato. *Histoire de la théologie positive, depuis l'origine jusqu'au Concile de Trente.* Paris, 1904, p. 77. — [4] Luc., I, 34.

dus [1]: *Non dubitat* (Maria) *de facto, sed modum requirit et ordinem: neque enim quaerit an fiet istud, sed quomodo. Quasi diceret: Cum sciat Dominus meus, testis conscientiae meae, votum esse ancillae suae non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei ut fiat istud?*

Alter locus est [2]: *Fili, quid fecisti nobis sic?* — Quae verba dicenda est Beatissima Virgo, non ut de Filio impatienter conquereretur, protulisse, sed ut profundissimum doloris sensum, modo humilitati suae congruo, panderet, quemadmodum fecit Christus, dum in Cruce pendens ait [3]: *Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

Quae autem sequuntur Christi verba [4]: *Quid est quod me quaerebatis? Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse?* non certe inquirentis verba sunt, quia Christus omnia noverat; nec admirantis, quia naturale erat ut parentes amantissimum filium quaererent, et quidem ibi, ubi probabilius putabatur adesse; sed nec sunt verba reprehendentis, cum nil reprehensione dignum illi commisissent, imo rem commendabilem praestitissent. Ergo verba sunt magistri edocentis, et quidem, cum Maria et Ioseph probe scirent, generali ratione. Christum circa Patris negotia occupandum, tamen nesciebant quo tempore, quove loco aut modo, salutis nostrae negotium esset expleturus: unde eos Christus edocet, tempus tunc fuisse a Patre praestitutum, ut primo se manifestaret mundo, licet eos adhuc incertos relinqueret quandonam resumpturus foret publicam suam missionem: qua de causa, dicit sacer Textus [5]: *Et ipsi non intellexerunt* (scilicet perfecte) *verbum quod locutus est ad eos.* — Utitur autem Christus, ad eos erudiendos, interrogatione, quo modo solet veritas profundius in animis discipulorum insinuari [6]. — Cavendum igitur ne dicantur verba

[1] Hom. 4 sup. *Missus est*, t. I, fol. 14. — [2] Luc., II, 48. — [3] Matth., XXVII, 46. — [4] Luc., II 48. — [5] Ibid., 50. — [6] Non sunt haec verba reprehensionis, sed instructionis, consolationis et defensionis cuiusdam: *instructionis*, docet enim, quod factum est, consilio ac mysterio divino gestum esse; *consolationis*, quia causam dolendi et sollicite inquirendi non fuisse dicit; *defensionis*, quia causam illis dolendi et anxie quaerendi se dedisse tacite negat (Tol.). Cfr. Ioseph Knabenbauer, Com. in Ev. sec. Lucam. Paris, Lethielleux, 1896, p. 146.

Christi hunc sensum habere: Si diligentius rem considera-vissetis, cognovissetis me utique circa Patris negotia occupari debuisse: nam et huiusmodi defectus considerationis peccatum quoddam fuisset, quod absit ut in Christi parentibus utcumque adfuisse dicatur.

Tertius locus est cum, postquam dixerat Beata Virgo: *Vinum non habent* [1], respondit Iesus [2]: *Quid mihi et tibi est, mulier?* — Sed haec verba ita intelligenda sunt, non quod Christus reprobaverit Beatissimam Virginem, quippe quae non ambitione sed fide in Filii potentiam, et caritate in proximum talia proferebat; at quod, ut ait S. Augustinus [3], suam ille divinam potentiam manifestare vellet, quacum profecto Beata Virgo non communicabat. *Non repellens*, ait idem S. Doctor [4], *de qua suscepit carnem, sed suam tunc maxime insinuans divinitatem, aquam conversurus in vinum: quae divinitas illam etiam feminam fecerat, non in illa facta erat* [5].

Articulus IV. — *De prima sanctificatione Beatae Mariae Virginis, scilicet in momento suae conceptionis.*

1. - Ratio articuli. — Absoluta iam prima huius capitis parte, quae in eo tota versabatur, ut omnis a Deipara imperfectio removeretur, sive quae in eius origine actu vel potentia concipi posset, sive quam vitae suae decursu illa contrahere potuisset, sequitur ut, in secunda eiusdem capitis parte, de illius animae perfectionibus adserendis propriissime agatur, quae duae sunt, scilicet gratia et scientia.

Circa quod, *primo*, agendum erit de prima Beatae Virginis sanctificatione, scilicet in momento illius Conceptionis

[1] Io., II, 3. — [2] Vers. 4. — [3] Tract. VIII, in Io., t. III, p. II, col. 357, n. 9. — [4] L. IV, de Consensu Evang., c. 10, t. III, p. II, col. 156. — [5] Cf. 3, Dist. XII, Quaest. II, art. 1. — De horum verborum sensu, vide quod scripsimus in Diatessaron, in h. l. S. Io. — Quantum autem ad vocabulum *mulier*, notum est, ab Orientalibus illud adhibitum fuisse tanquam reverentiae simul et amoris contestatio.

Immaculatae, seu de sanctificatione eius initiativa [1]; *secundo*, de profectu Beatissimae Virginis in gratia, seu de sanctificatione perfectiva [2]; *tertio*, de consummatione gratiae Deiparae, seu de gloria eiusdem [3].

Cuius distinctionis ratio hauritur ex ipsomet S. Thoma, qui eam hisce verbis tradit [4]: *In rebus naturalibus, primo quidem est perfectio dispositionis, puta cum materia est perfecte ad formam disposita: secundo autem est perfectio formae quae est potior, nam et ipse calor est perfectior qui provenit ex forma ignis, quam ille qui ad formam ignis disponebat: tertio autem est perfectio finis, sicut ignis perfectissime habet proprias qualitates, cum ad locum suum pervenerit.* Huc quoque faciunt S. Augustini verba [5]: *Caritas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici* [6].

Porro, quaestioni de profectu Beatae Virginis in gratia coniungi debebit quaestio de virtutibus et donis [7]: cui mox successura erit investigatio de scientia Deiparae propria [8], quippe quae nominat principium altissimae illius operationis in via. — Quantum autem ad illam sanctificationem, quam in primo suae conceptionis momento Beata Virgo accepisse credenda est, determinandum veniet, non tantum *quod* tunc fuerit sanctificata, sed maxime *quo modo* sanctificata fuerit, scilicet, an cum propria cooperatione, et secundum quamnam acceptae gratiae mensuram.

2. — **Praenotanda.** — I. Imprimis sedulo cavendum est ne, audiens nos de prima Deiparae sanctificatione, postquam de illius Immaculata Conceptione egerimus, singillatim pertractandum suscipere, in suspicionem deveniat hoc nos ideo praestare, quasi praeservationem ab originali peccato citra

[1] Art. praes. — [2] Art. V, seq. — [3] Art. VIII. — [4] 3, Quaest. XXVII, art. 5, ad 2[m]. — [5] In Epist. S. Io., TRACT. V, c. 3, n. 4. — [6] Ita solet Angelicus citare S. Augustinum, cuius tamen haec sunt verba: *Si quis tantam habuerit caritatem ut paratus sit pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo caritas. Sed numquid mox ut nascitur, iam prorsus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur: cum fuerit nata, nutritur: cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, quid dicit:* MIHI VIVERE CHRISTUS EST, ET MORI LUCRUM. — [7] Art. VI. — [8] Art. VII.

gratiae santificantis donum in eadem Deipara contigisse censeamus: quod quidem a fide catholica alienum est, cum ad remissionem culpae requiratur gratiae infusio [1]; unde immunitatem ad originali labe ipsa gratiae prima infusio perfecit iuxta illud [2]: (Patres Ecclesiaeque scriptores) *affirmarunt eamdem beatissimam Virginem fuisse per gratiam ab omni peccati labe integram, ac liberam ab omni contagione et corporis, et animae, et intellectus, ac semper cum Deo conversatam, et sempiterno foedere cum Illo coniunctam, numquam fuisse in tenebris, sed semper in luce; et idcirco idoneum plane extitisse Christo habitaculum, non pro habitu corporis, sed pro gratia originali.* — Unde Immaculata Conceptio non distinguitur re a prima Deiparae sanctificatione, et potest vocari eius gratia originalis, secundum illud [3]: *Solium gloriae altitudinis a principio, locus sanctificationis nostrae.*

Quapropter, eatenus in articulo speciali de prima Virginis sanctificatione agimus, quatenus doctrinae ratio exigit ut cum prius omnis ab ea imperfectio fuerit exclusa, illius perfectiones mox ordinatim pertractentur: aliud enim, secundum intelligentiae rationem, est a peccato liberum existere, aliud vero multiformi gratiae dono esse praeditum.

II. In praesenti autem quaestione, tanquam criterium haberi debebit ipsa divina maternitas, ex qua deducendarum veritatum sumendae erunt potissimae rationes. Porro divina maternitas, radicaliter quidem, at non formaliter, dicitur sanctificare Beatissimam Virginem: gratia quippe est habitus quidam supernaturalis informans animam, illamque reddens amicam Dei et spiritualium donorum participem, dicente Paulo de Dei caritate, quae passim pro gratia sumitur, quod *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis* [4].

Quocirca, sicut per gratiam unionis separatim acceptam non sanctificatus est Christus Dominus sanctificatione formali, sed hoc modo sanctificatus est gratia habituali a divinitate in eius animam diffusa; ita divina maternitas per se separatim non ita sufficiens fuit ad sanctificandam Bea-

[1] Cfr. tr. n. DE GRATIA, Quaest. CXIII, art. 2. — [2] Bulla INEFFABILIS. — [3] IEREM., XVII, 12. — [4] Rom., V, 5.

tam Virginem, quin opus esset ut divina gratia a Deo in eius animam infunderetur; eo vel magis quia non initio vitae suae actu facta est Mater Dei, sed tantum temporis decursu.

3. — PROP. I. — **In primo instanti suae conceptionis passivae Beata Virgo sanctificata fuit.**

4. — **Prob.** — Cum Deus hominem ita constituerit, ut eum ad ordinem supernaturalem gratuito elevaret, hinc necesse est ut vel in gratia Dei existat, vel eius inimicus fiat; impossibile enim est, eum in statu quodam neutrali permanere; unde, sicut impossibile est, secundum ordinem a Deo praestitutum, hominem gratia divina carere, quin peccato inficiatur, ita impossibile est eum peccato carere, quin gratia divina exornetur. Quapropter et ipsa Immaculata Conceptio Beatae Virginis sanctificatio vocari potest, licet peccatum nunquam antecesserit, sicut et Christus de se ipse dicebat [1]: *Quem Pater sanctificavit;* at propter huius vocis abusus, ex parte eorum qui volebant festo Conceptionis coli ab Ecclesia solummodo Virginis sanctificationem, Summi Pontifices illam pro designanda Immaculata Conceptione merito proscripserunt [2].

Accedit huic proposito quod, cum Beata Virgo extiterit tabernaculum Dei, secundum illud [3]: *In sole posuit tabernaculum suum* [4], de tabernaculo autem testimonii, quod profecto Mariae figura fuit, dicatur quod postquam cuncta in eo perfecta sunt, nubes *operuit et gloria Domini implevit illud* [5], propterea cum cuncta fuerunt perfecta in Beatissima Virgine, scilicet et corpus et anima, recte dicitur sanctificata fuisse, iuxta illud: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus* [6], scilicet in primo suae Conceptionis instanti.

[1] Io., x, 36. — [2] Vide Bullam INEFFABILIS. — [3] Ps. XVIII, 6. — [4] Hebraice tamen legitur: לַשֶּׁמֶשׁ שָׂם אֹהֶל בָּהֶם, quod S. Hieronymus traducit: *Soli posuit tabernaculum in eis,* id est *in caelis,* de quibus in psalmo sermo est, — וְהוּא כֶּחָתָן יֹצֵא מֵחֻפָּתוֹ, *et ipse quasi sponsus procedens de thalamo suo.* — [5] EXOD., XL, 32. — [6] Ps. XLV, 5.

5. — **Quaestio.** — Porro, cum unumquemque secundum modum suum Deus moveat, parvuli autem usum rationis nondum adepti sint incapaces eliciendi actum voluntatis, hinc sequitur quod de lege ordinaria et modo consueto, Deus, illos in sacramento baptismatis iustificet absque illorum cooperatione. At, cum nobilius sit ad gratiam accedere proprio motu, quam tantummodo motu alieno, aliunde cum iam noverimus animam Christi Domini proprio voluntatis motu ad gratiam se praeparasse, modo quaeritur utrum et hoc Beatissimae Virgini sit concedendum, ita ut ad gratiam in illo primi instanti suae conceptionis passivae se proprio actu disposuerit, sub influxu actualis motionis gratiae divinae, quam utique, ubicumque sermo est de iustificatione, nunquam praetermitti debere novimus.

6. — PROP. II. — **Beata Virgo in momento suae conceptionis sanctificata fuit proprio liberi arbitrii motu.**

7. — **Prob.** — Huius veritatis potissima ratio ex eo deducitur, quod decuit Beatam Virginem, propter summam divinae maternitatis dignitatem, modo huic dignitati magis congruo, proindeque nobiliori, sanctificari. Atqui, comparatione instituta, nobilior invenitur sanctificatio, quae fit in aliquo subiecto se ad illam liberis suis actibus disponente, quam quae perficitur citra subiecti cooperationem, sicut etiam iustificatio adultorum nobilior est quam iustificatio puerorum. Ergo Beata Virgo fuit sanctificata in momento suae conceptionis, per proprium motum liberi arbitrii.

8. — **Exponitur.** — Revera, gratia in anima Deiparae nullo modo cessit gratiae angelorum aut gratiae primorum parentum, non solum secundum quantitatis mensuram, sed etiam secundum adipiscendi modum. Atqui Angeli in primo momento suae creationis libere gratiae consenserunt, utique sub operatione Dei illos ad se convertentis, iuxta illud S. Augustini [1]: (Bonam voluntatem) *quis fecerat* (in angelis), *nisi ille eos, cum bona voluntate, id est cum amore casto quo illi adhaererent, creavit, simul eis et condens naturam et*

[1] L. XII de Civ. Dei, cap. 9, t. VII, col. 2.

largiens gratiam [1] ? Primi quoque nostri parentes gratiae consensere: *Cum motus voluntatis non sit continuus, nihil prohibet, etiam in primo instanti suae creationis, primum hominem gratiae consensisse*, ait Angelicus [2].

Ad huius rei intelligentiam advertendum est quod, cum *mutationes sunt instantaneae, simul et in eodem instanti potest esse terminus primae et secundae mutationis, sicut in eodem instanti in quo illuminatur luna a sole, illuminatur aer a luna. Manifestatum est autem quod creatio est instantanea, et similiter motus liberi arbitrii in angelis.... unde nihil prohibet simul et in eodem instanti esse terminum creationis et terminum liberi arbitrii* [3]. Praeterea, motus liberi arbitrii non temporis antecessione, sed naturae ordine praecedit consecutionem gratiae [4].

Praeterea recolendum venit quod, cum nullum peccatum in Beata Virgine praecessisset, ideo ad eius sanctificationem non requirebatur motus liberi arbitrii in peccatum, sed tantummodo motus liberi arbitrii in Deum, scilicet per fidem et caritatem. Porro, dispositio quae praeexigitur ut Deus gratiam infundat, alia non est, nisi quam ipsemet facit; tanto autem citius materia disponitur, quanto virtus agentis fuerit fortior: *cum igitur virtus divina sit infinita, potest quamcumque materiam creatam subito disponere ad formam, et multo magis liberum arbitrium hominis, cuius motus potest esse instantaneus secundum naturam* [5].

9. — Corollarium. — Ex hac doctrina consequitur quod Beata Virgo in primo instanti suae conceptionis potuerit mereri: nam, cum motus liberi arbitrii gratia sanctificante informatus sit meritorius, Beata Virgo autem fuerit primo sanctificata secundum proprium motum liberi arbitrii in Deum, ideo ipsa, non secus ac Christus eius Filius, in primo instanti suae conceptionis potuit mereri [6].

Ad huius rei evidentiam sciendum est quod aliqua prae-

[1] Cf. 1, Quaest. LXII, art. 3. — [2] Ibid., Quaest. XCV, art. 1, ad 5[m]. — [3] 1, Quaest. LXIII, art. 5. — [4] 1 2[ae], Quaest, CXIII, art. 8, ad 2[m]. — [5] 1 2[ae], Quaest, CXIII, art. 7. Cf. J. B. Terrien, La Mère de Dieu, etc., t. II, l. V, c. 1. — [6] Cf. 3, Quaest. XXXIV, art. 3.

paratio est simul cum ipsa infusione gratiae, et haec operatio est meritoria, non quidem gratiae quae habetur, sed gloriae quae nondum habetur, aut etiam augmenti gratiae; alia autem est praeparatio imperfecta, quae aliquando praecedit donum gratiae gratum facientis, quae tamen est a Deo movente: sed haec non sufficit ad meritum, homine nondum per gratiam iustificato, quia nullum meritum potest esse nisi ex gratia [1]. Porro, in Beata Virgine, sicut etiam in Adam et maxime in Domino nostro, praeparatio perfecta fuit, Deo statim ipsam movente ad bonum: ideoque gratiam subito accepit, secundum illud [2]: *Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Sic quippe, advertit S. Thomas [3], contigit Paulo, qui subito cum esset in progressu peccati, perfecte motus est a Deo, audiendo, addiscendo, et veniendo: et ideo subito est gratiam consecutus, et sic etiam cum merito. Unde, etiamsi praecessisset peccatum, Beata Virgo in illo primo momento potuisset mereri.

Quae cum ita sint, ex hoc quoque capite dici potest Beata Virgo in sua conceptione contrivisse caput diaboli, quia cum iste, statim post suam creationem, in seipso de suis bonis insuperbiens, a Deo aversus fuerit, Beata Virgo, e contra, in humilitate sua omnia bona a Deo repetens, plenitudinem gratiarum accepit, unde benedicta inter omnes mulieres effecta est. Quapropter Ecclesia in festo Immaculatae Conceptionis canit: [4] *Hodie contritum est ab ea caput serpentis antiqui.*

10. — Usus rationis in Beata Virgine in utero matris suae. — Quod autem usum rationis Beata Virgo habuerit in utero matris suae, vix ambigendum videtur, cum hoc etiam sancto Ioanni Baptistae concessum fuisse communiter teneatur, iuxta illa quae leguntur [5]: *Et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero eius, et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth*; et aliunde, ut

[1] 1 2ae, Quaest. CXII, art. 2, ad 1m. — [2] Ioan., VI, 45. — [3] Loco cit., ad 2m. — [4] Antiph. Ad Magnificat in II Vesp. — [5] Luc., I, 41.

habet S. Bernardus [1], *quod vel paucis mortalium est concessum, fas non est credere tantae Virgini esse denegatum* [2].

Porro, saltum illum et exultationem in sancto Ioanne Baptista naturales fuisse contendit Calvinus; naturale enim est, ait, ut dum mater prae gaudio gestit, exultet et infans. At, contra, communis Patrum traditio hanc exultationem uti supernaturalem habet, cui origenes, Ambrosius, Euthymius, S. Irenaeus, S. Leo, aliique usum rationis addunt, quibus suffragari videtur etiam S. Augustinus, dum Ioannem se tanquam *prophetam* in visceribus maternis manifestasse dicit, exultatione corporis, non declaratione vocis [3]; propheta autem proprie non est talis censendus, docet Angelicus [4], *nisi illuminetur eius mens ad indicandum*. Similiter S. Gregorius Magnus ait de Baptista quod *prophetiae spiritu intra matris uterum impletus* est [5]; quinimmo de eodem Ecclesia canit [6]:

[1] Ep. ad CANONIC. LUGDUN. — [2] S. Thomas (Quaest. XXVII, art. 6) negat sanctum Ioannem Baptistam in utero matris existentem usum habuisse liberi arbitrii, cuius rei tamen nullum reddit rationem. — [3] Serm. CCXCI, n. 1; CCXCII, n. 1; CCXXIII, n. 2. Nec contrarium evincunt eiusdem Patris verba in Epistola ad Dardanum (CLXXXVII, nn. 23, 24): *Potuit ergo esse ista* (exultatio Ioannis in utero) *significatio rei tantae* (scilicet quod mulier esset Mater Dei) *a maioribus cognoscendae non a parvulo cognitae. Nam neque cum hoc ante in Evangelio narraretur, dictum est: Credidit infans in utero eius, sed:* EXULTAVIT; *neque ipsa dixit: Exultavit in fide infans in utero meo, sed, exultavit* IN GAUDIO. *Videmus autem exultationem non solum parvulorum, sed etiam pecorum:... sed haec plane inusitata et nova exstitit, quia in utero... Ideo... sicut solent miracula fieri, facta est divinitus in infante, non humanitus ab infante: quanquam etiam si usque adeo est in illo puero acceleratus usus rationis et voluntatis, ut intra viscera mater iam posset agnoscere, credere, consentire, quod in aliis parvulis aetas expectatur ut possint, etiam hoc in miraculis habendum divinae potentiae, non ad humanae trahendum exemplar naturae.* Equidem, aliud ibi S. Augustinus evincere non intendit, nisi quod pueri ad propriam sanctificationem non indigent se praeparare, quemadmodum adulti, actibus liberi arbitrii. — [4] 2 2ae, Quaest. CLXXIII, art. 2. Cf. opus n. DE STABILITATE ET PROGRESSU DOGMATIS, p. 299. — [5] L. III Moral. c. 5, t. I, p. 45, B. — [6] In hymno festi S. Ioannis Bapt., ad Vesp.

Ventris obstruso recubans cubili
Senseras regem thalamo manentem;
Hinc parens nati meritis uterque
Abdita pandit;

porro merita liberi arbitrii usum profecto supponunt [1]

Quae cum ita sint, a fortiori dicenda erit Beatissima Virgo usum rationis in ventre matris, et quidem in conceptionis suae momento, ita habuisse ut, sicut sacrorum scriptorum mens est, usum rationis S. Ioanni Baptistae praecise in hunc finem concessum fuisse, ut ipse se propriis actibus adultorum more ad sanctificationem disponeret, ita per cognitionem tunc sibi concessam, Deipara proprio liberi arbitrii motu ad gratiam consentiendo se disposuerit [2].

11. — Solvitur obiectio. — Contra hanc sententiam, quam, inter alios bene multos, tuetur etiam Suarez [3], opponi possunt verba S. Thomae dicentis [4]: *Non habuit Beata Virgo usum liberi arbitrii adhuc in ventre Matris existens: hoc enim est speciale privilegium Christi.* — At, facile respondetur nihil privilegio Christi detrahi per hoc quod ponitur Beata Virgo habuisse usum liberi arbitrii, non modo in ventre matris quocumque modo, sed in ipsomet conceptionis suae passivae momento, per specialem quamdam et omnino gratuitam Dei dispensationem, cum hoc etiam intuitu meritorum Christi, et ad divinae prolis dignitatem ex tanta Matre orturae, decernatur.

12. - Differentia inter Christum et Beatam Virginem. — Nec idem est modus quo Christo et Virgini Beatae, in

[1] Cf. Cornel. a Lapide, in praefatum Lucae locum. — [2] Hanc doctrinam S. Francicus Salesius absque ulla dubitatione ita proponit: (Marie) *a un grand avantage par dessus tous les bienheureux, qui est qu'elle s'est donnée et totalement dédiée au service de Dieu dès l'instant de sa conception, puisqu'il n'y a nul doute qu'elle n'ait été toute pure et n'ait eu l'usage de raison dès que son âme fut mise en ce petit corps formé dans les entrailles de sainte Anne* ». Sermon XXXVII. pour la fête de la Présentation. — De usu liberi arbitrii concesso Mariae in utero matris agit S. quoque Bernardinus Senensis, Serm. IV de B. V. M., art. 1, c. II, t. IV, p. 86. — [3] In 3, Quaest. XXVII. Disp. IV. sect. 7 et 8. — [4] 3. Quaest. XXVII. art. 3.

uteris maternis, usus liberi arbitrii ponitur concessus. Nam Christus, utpote comprehensor, statim ab initio suae conceptionis habuit scientiam beatam, cui accessit scientia infusa per se [1], ad quam quidem scientiam non est necessarius phantasmatum concursus; sed insuper, quia principium activum in eius conceptione fuit Spiritus Sanctus, qui est agens infinitae virtutis, ideo organa eius corporis possunt dici in illo momento illam perfectionem attigisse, quae necessaria erat ad intellectionem perficiendam, et consequenter ad usum liberi arbitrii naturali modo habendum. — At Beata Virgo, nec in vita mortali fuit comprehensor, nec concepta est ex Spiritu Sancto; ideoque in illo momento suae conceptionis non habuit scientiam beatam nec infusam per se, sed nec habere potuit scientiam acquisitam; nam etiam pueri, recens nati, in statu innocentiae non habuissent perfectum usum rationis [2]. Restat ergo ut usum liberi arbitrii Deipara habuerit per scientiam infusam per accidens, scilicet secundum proportionem phantasmatum, talem nempe scientiam, quae eiusdem speciei esset ac scientia alias sensuum exercitatione acquisita.

Huius rei ratio est quia scientia per se infusa non est hominis perfectio, nisi secundum quod vitam angelicam participat, scilicet aut ex separatione a corpore, aut ex refluentia scientiae beatae, quae facit hominem penitus spiritualem [3], dum scientia infusa per accidens, licet quantum ad modum acquisitionis superet scientiam acquisitam, tamen quantum ad se ipsam, proportionata est homini hanc vitam mortalem degenti: unde Beata Virgo, sicut etiam S. Ioannes Baptista, usum liberi arbitrii habuit per scientiam infusam secundum phantasmatum proportionem.

Nec obstat Beatam Virginem non fuisse tunc naturaliter capacem huiusmodi phantasmatum, cum nondum essent sufficienter explicati illius sensus interni: in hoc enim praecise consistit privilegium, quod hoc in ea factum est divina virtute, ministrantibus angelis, qui possunt hominem illumi-

[1] 3, Quaest. IX, art. 4. — [2] 1, Quaest. CI, art. 2. — [3] Cf. Tractatum nostrum *de Incarnatione*. P. I, Quaest. IX, art. 3, 4.

nare, fortificando eius intellectum, et veritatem ei proponendo sub similitudinibus sensibilium [1].

13. — **Quaestio I.** — Quaerenti autem utrum huiusmodi usus rationis, Deiparae in primo momento eius conceptionis concessus, fuerit miraculum, respondendum videtur *affirmative*. Cuius rei ratio est quia haec illustratio completa est praeter ordinem rerum, et quidem angelorum ministerio, qui operabantur tanquam instrumenta Dei, ad finem a Deo praestabilitum.

Nec defuit huic effectui visibilitas, quae est conditio necessaria ad hoc ut opus aliquod miraculum dici possit: quandoquidem, etsi haec illuminatio caeteros latuerit, non latuit tamen ipsam Deiparam; ad miraculum vero satis est si uni hominum, sin minus ipsimet in cuius gratiam fit, visibile reddatur. Porro Beata Virgo potuit tunc reflexe cognoscere quid ipsamet tunc cogitaverit et voluerit, id quoque serius cognoscere potuit, quando nempe iam ad annos discretionis perveniens, speciem praecedentium cogitatorum in se denuo excitavit, ad laudandum et magnificandum Creatorem suum et Dominum, a quo tot et tanta beneficia acceperat.

14. — **Quaestio II.** — At vero, utrum rationis usum, quem diximus Deiparam in momento suae conceptionis habuisse, permanenter postea ipsa retinuerit, asserere non auderem, nulla existente ratione sufficienti ad ponendam huius rei continuationem; maxime cum infantis natura, adhuc in utero matris et iuvenilibus vitae suae mensibus potius sit, ut dormitet, aut ad summum vitam mere animalem explicet; aliunde satis fuit ut Beata Virgo constanter in gratia cresceret quando iam ad annos discretionis pervenit, quin etiam tunc usum liberi arbitrii in somno habere debuerit, ut quibusdam visum fuit. Nimirum, a Suaresio [2] discedendum nobis videtur, ponente usum rationis Beatae Virgini in primo instanti collatum in ea semper durasse; et potius cum Caietano [3] decernendum censemus usum ra-

[1] 1, Quaest. CXI, art. 1. Vide inferius dicenda, art. VII, n. 1. seq. — [2] Loco proxim. cit., *Dico quarto*. — [3] In 3, Quaest. XXVII, art. 4.

tionis, quem Maria pro primo instanti habuit, fuisse per modum revelationis propheticae et transeuntis [1]. Nec obstat quod *sine poenitentia sunt dona... Dei* [2], cum privilegium illud Deus Beatae Virgini non intenderit nisi modo transeunte concedere.

Cum hoc tamen stat quod specialibus quibusdam temporibus, usus iste liberi arbitrii Deiparae infanti iterum concedi potuerit, ut inde gratiae augmentum acciperet: quo sensu etiam intelligi potest id quod de S. Ioanne plures ex Patribus decernunt [3], illum videlicet in gratia crevisse, ex praesentia Beatae Virginis, illis tribus mensibus quibus apud Elisabeth mansit.

Quae cum ita sint, iam quaerendum est quaenam fuerit gratiae quantitas, quam Beata Virgo in illo primo instanti acceperit; pro quo solvendo, sit

15. — PROP. III. — Beata Virgo in initio suae conceptionis gratiam recepit in gradu superiori quam ulli unquam creaturae sive humanae, sive etiam angelicae, in eius prima sanctificatione fuerit concessa.

16. — Prob. rat. theol. — Cum gratia dilectioni Dei correspondeat, aliunde in primo instanti suae conceptionis Beata Virgo plus diligeretur a Deo quam quaecumque alia creatura, eo quod diligebatur ut futura Dei Mater, quae dignitas, ut dictum est, quamcumque aliam dignitatem longe supergreditur, ideo maior fuit gratia Beatae Virgini in illo primo instanti collata, quam quilibet sanctus, etiam summus, in sui prima sanctificatione assecutus unquam est.

17. — Notandum. — Signanter dicimus in propositione Deiparam plus gratiae recepisse, in sui conceptione, quam ulli unquam sancto *in eius prima sanctificatione* fuerit concessa, quin negemus hanc gratiam maiorem fuisse gratia, etiam finali, supremi inter sanctos: quod quidem forsan erui potest ex sequentibus verbis Pii IX [4]: *Quapropter, illam*

[1] Vide inferius dicenda, art. V, n. 14, III. — [2] Rom., XI, 29. — [3] Apud Sedlmayer, p. I, art. IX, 632. — [4] In Bulla Ineffabilis.

(Mariam) *longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque sanctos, caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice* (Deus) *cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera ac tota pulcra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest.* — Quidquid sit, certum esse unicuique debet quod posuimus, scilicet Deiparam in sua conceptione saltem plus gratiae accepisse quam ulli unquam sancto in prima eius sanctificatione fuerit concessa

18. — **Corollarium.** — Quocirca, licet sanctus Ioannes Baptista fuerit in utero materno sanctificatus, nam de illo legitur [1]: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae*, — tamen non tam amplam sanctificationis gratiam sortitus est ac Beatissima Virgo. Nam ille quidem propinquissimus Christo exstitit quantum ad *expressam figuram sanctificationis eius* [2], scilicet in eo quod Christi vivificam passionem expressissime praefiguraverit per baptismum quo homines ad Christi baptismum suscipiendum praeparavit; sed Beata Virgo coniunctior Christo simpliciter fuit propter futurae maternitatis relationem, ideoque ampliorem prae illo gratiam sanctificationis simpliciter obtinuit [3].

19. — PROP. IV. — **In momento Incarnationis Verbi, gratia Beatae Virginis superavit gratiam finalem omnium simul sanctorum et angelorum.**

20. — **Exponitur.** — Haec propositio, quae tuto potest doceri, unum expresse affirmat, aliud implicite supponit: scilicet, affirmat hunc fuisse, quantum ad Beatam Virginem, effectum Incarnationis Christi, ut illi sanctitatem contulerit maiorem sanctitate etiam finali omnium simul sanctorum; supponit autem huiusmodi sanctitatis pondus Beatae Virgini in momento illius conceptionis in utero S. Annae probabiliter nondum adfuisse. Utrumque hic rationibus fulciemus.

[1] Luc., I, 15. — [2] 3. Quaest. XXVII. art. 6, ad 2[um]. — [3] Ibid., ad 1[um].

21. — Prob. prop. — Cum gratiae sub Veteri Testamento conferendae Christus non fuerit nisi causa moralis, hinc non tam copiose tunc ac sub Nova Lege gratia collata est, quando Christus physico influxu eam hominibus contulit. Quapropter, non ex aliquo Christi physico influxu, sed solum ex praevisis eius meritis, Beata Virgo et a peccato originali fuit praeservata, et gratia in sua conceptione donata, in illa nimirum mensura quam solus Deus cognoscit. At adveniens in mundum Christus putandus est suam sanctificativam actionem a Matre, cui arctissimo vinculo iungebatur, ita exorsum fuisse, ut illi plus tunc gratiae contulerit, quam unquam omnibus simul sanctis collata fuerit, iuxta illud S. Thomae [1]: *Quando aliquod receptivum est propinquius causae influenti, tanto magis participat de influentia ipsius.* Divina autem maternitas Mariam propinquiorem Christo faciebat quam omnes simul homines et angelos. — Accedit quod hoc ipso quod Maria Mater Dei fiebat, mediatrix quoque nostra constituebatur ad Christum: unde tantam gratiam recepit, ut una Deo carior esset caeteris simul sanctis et angelis.

Quod quidem gratiae singulare augmentum Maria merito suo comparavit: quippe quae, cum se statim a sua conceptione iugiter habilem reddidisset cooperando gratiae, in momento suae annuntiationis ineffabiliter et mirabili prorsus modo divinae gratiae cooperata est, operi Incarnationis iuxta divinum beneplacitum consentiendo. Unde mox salutata ab Elisabeth benedicta inter omnes mulieres, in voces summae iucunditatis prorupit: *Magnificat anima mea Dominum:... quia fecit mihi magna qui potens est* [2].

22. — Initialis Deiparae gratia probabiliter non aequavit gratiam finalem omnium sanctorum et angelorum simul sumptorum. — Ponitur haec animadversio, in superiori propositione implicite contenta, contra eos qui praeingentem huiusmodi gratiae cumulum Deiparae attribuunt in primo momento illius conceptionis, quos inter eminet S. Alphonsus [3];

[1] 3, Quaest. VII, art. 1. — [2] Luc., I, 46, 49. — [3] Gloires de Marie, II P., 2me Disc., § I.

quae tamen positio non videtur sufficienti theologica ratione, aut etiam auctoritate fulciri, ut ultro possit sustineri.

Revera, dignitas Beatae Virginis tantum gratiae pondus in illius conceptione non exigebat, siquidem tunc non erat, sed *futura* erat Mater Dei; ideoque satis erat ut tunc plus diligeretur quam ulla unquam creatura dilecta fuerit in initio suae formationis. Accedit quod Deipara ita negotiari debebat in gratia accepta, ut iuges in ea progressus faceret: convenientius autem videtur ut ad gloriae suae fastigium perveniret a minori gratiae quantitate exorsa: sic quippe eius cooperationis profectus magis resplendet, cum et in nobis gratia non augeatur sine nostra cooperatione.

Auctoritates autem, si bene perpendantur, non probant intentum, sed possunt intelligi sive de momento quo Beata Virgo actu facta est Mater Dei, sive de tempore illius in caelum assumptionis.

Auctoritates huiusmodi sunt, primo, illud Psalmi [1]: *Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* quae, dicunt, Ecclesia Beatae Virgini accommodat, quasi ad significandum fundamenta et radices sanctitatis illius superexcellere sublimiorum sanctorum fastigia, et ibi incoepisse Deiparam, ubi alii desinunt. — In idem afferunt id quod dicit S. Gregorius [2]: *Fuit vir unus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim. Potest huius montis nomine Beatissima semper Virgo Maria Dei Genitrix designari. Mons quippe fuit, quae omnem electae creaturae altitudinem electionis suae dignitate transcendit. Annon mons sublimis Maria, quae, ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum vertice supra omnes angelorum choros usque ad solium deitatis erexit? Huius enim montis praecellentissimam dignitatem Isaias vaticinans ait:* ERIT IN NOVISSIMIS PRAEPARATUS MONS DOMUS DOMINI IN VERTICE MONTIUM. *Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae supra omnes sanctos refulsit.* — Denique, inducunt illud sermonis de Assumptione [3]: *Bene plena* (gratia), *quia*

[1] LXXXVI, 1, 2. — [2] In Expos. in libros Regum, l. I, c. 1, t. II, p. 866. — [3] Ad Paulam et Eustoch. Inter opp. S. Hieronym. t. XI, P. II, col. 132.

caeteris per partes praestatur, Mariae vero se tota simul infudit gratiae plenitudo.

At, si quis diligenter rem consideret, facile deprehendet verba ista posse optime intelligi de tempore quo Deipara, salutata ab Angelo, facta est Mater Salvatoris, ut etiam innuere videtur sequens locus Angelici Doctoris, qui tamen adduci solet ad probandum quod Beata Virgo, in sua conceptione, plus gratiae receperit, quam omnes sancti simul sumpti unquam habuerint. *Quanto aliquid*, ait ille [1], *magis appropinquat principio in aliquo genere, tanto magis participat effectum illius principii: unde Dionysius dicit* [2] *quod angeli qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis quam homines. Christus autem est principium gratiae, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter: unde et dicitur* [3]: GRATIA ET VERITAS PER IESUM CHRISTUM FACTA EST. *Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo prae caeteris maiorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere.* Et antea iam dixerat idem Angelicus [4]: *Rationabiliter creditur quod illa quae genuit Unigenitum a Patre plenum gratiae et veritatis, prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit.* Profecto Beata Virgo non fuit propinquissima Christo, illum generando, nisi in momento illius Incarnationis. Ergo tantummodo in illo momento competit ei praedicta gratiae plenitudo.

Nec aliud evincit ratio *mediatricis* inter Christum et homines de qua inferius agetur [5]. Non enim Beata Virgo fuit constituta mediatrix inter Deum et homines, antequam actu esset Mater Dei, cum praecise in hoc ratio mediatricis fundetur, quod Mater effecta Filii Dei naturalis, facta est etiam Mater filiorum Dei adoptivorum: sicut et sacerdos in nova Lege non est mediator, antequam consacrationem obtineat.

Quod confirmatur ex iis quae de Christo tradit S. Doctor [6]: *Unicuique a Deo datur gratia secundum hoc ad quod*

[1] 3, Quaest. XXVII, art. 5. — [2] Cap. 4, libri de CAEL. HIERARCHIA. — [3] Io., I, 17. — [4] IBID., art. 1. — [5] P. III, c. 1, art. 2. — [6] 3, Quaest. XXVII, art. 5, ad 1um.

eligitur: et quia Christus, in quantum est homo, ad hoc fuit praedestinatus et electus, ut esset Filius Dei in virtute sanctificandi, hoc fuit sibi proprium, ut haberet talem plenitudinem gratiae, quod redundaret in omnes, secundum quod dicitur [1]: DE PLENITUDINE EIUS NOS OMNES ACCEPIMUS. *Sed Beata Virgo Maria tantam gratiae obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima auctori gratiae, ita quod eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivaret.*

Denique contendenti Immaculatam Conceptionem in Beata Virgine facere congruitatem ad tantum gratiae munus, quantum vellent citati auctores, respondetur etiam angelos et Adam in iustitia originali conditos fuisse: unde et ipsis par fuisset ratio tantam gratiam recipiendi [2].

23. — Corollarium. — Decerni ergo tuto potest, gratiam Mariae in illius conceptione concessam fuisse utique immensam, attamen in ordine proportionato actuali illius statui: scilicet, dum nondum erat Mater Dei, satis fuit ut talem acciperet gratiam, qua ad suam futuram dignitatem congrue praepararetur.

Hanc tamen sufficientiam non praedicamus perinde ac si modum nos Deo imponere velimus; sed quia sapientiam operum Dei, qui nihil unquam sine ratione sufficienti molitur, humiliter investigantes, deprehendimus uberiorem mensuram fine praeintento non requiri. Utique, hac consideratione seposita, alia non suppeteret via, ad Deiparae gratiam dignoscendam, nisi ut praefracte decerneretur quod *de ea nunquam satis:* quod tamen criterium sic intellectum huic

[1] Io., I, 16. — [2] Cf. quae habet P. I. B. Terrien, LA MÈRE DE DIEU, etc., I. P., l. IV, c. IV, qui alterius sententiae patronorum auctoritates ad trutinam sedulo revocat. In contrarium insurrexit F. Chatel, in Ephemeride L'AMI DU SAINT PRÊTRE (Janvier, Février, Mars, 1903); cuius tamen rationibus ex supra positis satis responderi potest: scriptorum autem, quos citat, aliunde commendabilium, auctoritas, non talis est, ut sententiae cui patrocinatur, aliquod robur adiiciat. Eamdem rem, stylo vehementiori at rationibus destituto prosecutus est F. X. Gotds, C. SS. R., in opere *La sainteté initiale de l'Immaculée*, Bruxelles, 1904; de qua re scripsimus in opusc. *De Maria nunquam satis*. Biblioth. Analect. Eccles., Romae, 1905.

aequivalet ut de Maria quidquid, etsi nulla fulcitum ratione, praedicari valeat: quae argumentandi ratio quam futilis sit et frivola nemo non videt.

24. — **Advertendum.** - Hic autem maximi momenti rem praetermittere non debemus, scilicet sententiam, quam impugnamus, si profundius perpendatur, Mariae dignitati detrahere, potius quam illius honori quidquam adiiciat; sed et altissima quam de Maria habere debemus existimatio rectius et securius consistit cum ea doctrina quam, cum potioribus tractatoribus rerum ad Virginem pertinentium, exposuimus.

Ad quod rite intelligendum, meminisse in primis iuvabit hominis meritum, et consequenter honorem gloriamque, ex eo quod divinae gratiae cooperatur et donis Altissimi correspondet, proprie pensitanda esse. Iamvero, si admiserimus, ex una parte, id quod omnes doctores tamquam terminum gratiae Deiparae adsignant, videlicet illius quantitatem incomparabiliter superare quantitatem gratiae finalis omnium simul Sanctorum et Angelorum; si autem, ex altera parte, duplex principium in ista gratia fingamus, unum, quale supra exposuimus, alterum quale confingunt auctores quos impugnamus, nonne evidens est Mariam in primo casu magis, in vitae suae decursu, gratiae correspondisse, et consequenter illius meritum ordinatius crevisse, sic ut gratia tamquam aurora emicans in eius conceptione splenduerit, gradatimque usque ad illam termini perfectionem processerit, iuxta illud [1]: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem.*

25. — **Solvitur difficultas.** — Ex verbis Pii IX [2] superius recitatis, habemus Beatam Virginem eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se tulisse, *qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest* [3]. Ergo Deus non potuit facere aliquam gratiam gratia Beatae Virginis maiorem, sicut non potuit facere maiorem puritatem quam sit illius puritas: quod est

[1] Prov., IV, 8. — [2] In Bulla Ineffabilis. — [3] Haec verba, ad sensum, ex S. Anselmo, De Conc. Virg., c. XLIII, sunt deprompta.

ponere Dei potentiam finitam esse ex hac parte. Ergo Beata Virgo tantam gratiam, qualem supra posuimus, revera non recepit.

Cui ita respondet Angelicus [1]: *Dicendum quod puritas intenditur per recessum a contrario: et ideo potest aliquid creatum inveniri quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; et talis fuit puritas Beatae Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit. Fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum. Sed bonitas intenditur per accessum ad terminum quod in infinitum distat, scilicet Summum Bonum. Unde quolibet finito bono potest aliquid melius fieri*

Articulus V. — *De secunda santificatione Beatae Mariae Virginis, seu de eius profectu in gratia.*

1. — Ratio articuli. — Cum iam constet Beatam Mariam Virginem talem ac tantam gratiam in ortu suo a Deo accepisse, sequitur ut proprie determinetur de huius gratiae tum augmento in illius mortalis vitae decursu, tum consummatione in termino; quocum de virtutibus donisque agendum erit, quae ex radice gratiae naturali quadam resultantia promanare intelliguntur.

2. — Praenotandum. — Ad sequentis autem doctrinae intelligentiam, praemittendum est, augmentum in formis posse dupliciter attendi: uno modo, ex parte *subiecti*, secundum quod forma illa magis minusve in subiecto radicatur, sicut aer dicitur magis vel minus calidus; alio modo, ex parte ipsiusmet *formae*, secundum quod forma ipsa quamdam latitudinem admittit, sicut scientia, quae in se considerata potest recipere augmentum per additionem conclusionum.

Porro, evidens est gratiam accipere posse augmentum ex parte subiecti, puta in hominibus viatoribus, qui possunt

[1] 1, Dist. XLIV, Quaest. 1, art. 3.

magis magisque reduci in actum gratiae; sed consequenter, ex parte ipsius gratiae, augmentum haberi potest: non quod de ratione ipsius gratiae sit ut accipiat magis et minus, nam omnis gratia, etiam minima, coniungit creaturam Summo Bono [1], sed quia cum gratia sit accidens, accidentis autem esse sit inesse, ex eo quod quis magis reducitur ad actum gratiae, propinquius attingit ad summum gratiae gradum [2].

3. — PROP. — Beata Virgo crevit in gratia toto decursu vitae suae mortalis.

4. — Exponitur. — Dicitur: *toto decursu vitae suae mortalis*, ut adseratur, contra aliquos theologos, ut Scotum [3], Alensem [4] et Richardum [5], Beatam Virginem etiam post Verbi conceptionem in gratia crevisse. Ponebant enim isti theologi quod, quemadmodum Christus, initio suae conceptionis, gratiae plenitudinem fini Incarnationis congruentem ita recepit, ut haec postea aucta non fuerit, et quod ille non sibi, sed tantummodo nobis gratiae augmentum meruerit, ita Beata Virgo, ex quo Dei Mater effecta est, tantam gratiae quantitatem sit adepta, divinae maternitatis dignitati correspondentem, ut in ista gratia amplius non profecerit. At huius positionis falsitas ex sequenti argumento manifesta fiet.

5. — Prob. rat. theol., scilicet ex considerata differentia quae est inter Christum et Beatam Virginem. Revera, in Christo quidem gratia augeri non potuit, nec ex parte ipsius gratiae, nec ex parte subiecti gratiam participantis. Non ex parte *gratiae*; quia finis gratiae est unio creaturae rationalis ad Deum: non potest autem intelligi maior unio creaturae rationalis ad Deum, quam quae est in persona: ideo initialis gratia Christi pertigit ad summam mensuram gratiae. Non ex parte *subiecti*, quia a primo instanti suae

[1] Cf. Quaest. XXVII, de Verit., art., 5. — [2] Cf. quae diximus in Tractatu DE INCARNATIONE, P. I, Quaest. VII, Appendix II, de *Caritate Christi*. — [3] In IV Sent., Dist. 4, quaest. 6, Antuerpiae, 1620. — [4] 3 P., Quaest. IX, memb. 3, art. 2 in Summ. Theol. Venetiis, 1575. — [5] De Emman., l. II, c. 30, Venetiis, 1592. Cf. Suarez, Disp. XVIII, sect. 3.

conceptionis, Christus fuit verus et plenus comprehensor [1]. — At, unio divinae maternitatis cedit, ut dictum est, unioni hypostaticae: et Beata Virgo fuit pure viatrix, etiam post Christi Incarnationem Ergo toto vitae suae decursu in gratia crescere potuit, non solum ex parte subiecti, sed etiam ex parte ipsiusmet gratiae.

6. — **Difficultas.** — S. Thomas dicit gratiam Beatae Virginis in conceptione Filii Dei fuisse consummatam [2]. Pariter, B. Albertus Magnus ait [3]: *Credimus, sine praeiudicio melioris sententiae, Beatam Virginem in conceptione Filii Dei, caritatem Filii talem et tantam accepisse, qualis et quanta percipi poterat a pura creatura in statu viae* Denique, S. Bernardinus Senensis ait Beatam Virginem in sua conceptione tantam gratiam accepisse, quantam accipere potest creatura viatrix [4].

Respondeo haec et similia loca intelligenda esse non de consummatione gratiae, qualis quidem fit per hoc quod quis extra augmenti possibilitatem ponitur, sed de consummatione illius mensurae gratiae ad quam Beata Virgo praedestinata fuerat ut congrue esset Mater Dei. Unde nec S. Thomas absolute dicit gratiam Virginis tunc fuisse consummatam, sed solummodo *quatenus haec gratia illam confirmaverit in bono*: licet nobis certius visum sit Beatam Virginem, statim post suam conceptionem, in bono fuisse confirmatam [5]. — Quapropter, distinctio fieri potest: Beata Virgo, in momento Incarnationis, tantam gratiam recepit quantam recipere potest creatura viatrix, dispositive, *conc.*: perfective et terminative, *nego.*

7. — **Corollarium.** — Ex hisce apparet, diverso modo plenitudinem gratiae praedicari de Christo et de Beata Virgine. Christus enim est plenus gratia, non solum ex parte subiecti, sed etiam ex parte ipsius gratiae, cum pertingat ad summum gratiae, tum quantum ad essentiam gratiae,

[1] 3, Quaest. VII, art. 12. — [2] 3, Quaest. XXVII art. 5, ad 2[m]. — [3] Sup. *Missus*. Resp. ad Quaest. XLXI. — [4] Serm. IV. de B. M. V. ed. cit, p. 85, seq. — [5] Cf. supra, art. 3, n. 12, p. 212.

habens illam in maxima excellentia qua haberi potest, tum quantum ad virtutem, scilicet per respectum ad omnes effectus illius. At Beata Virgo dicitur plena gratiae solum ex parte subiecti, quia scilicet habuit gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa a Deo ut esset Mater Unigeniti eius: non autem habuit gratiam in summa excellentia qua potest haberi, nec ad omnes effectus eius; ideoque gratia eius ex hac parte potuit augeri [1]. Unde, stante hac subiectiva plenitudine gratiae ad Matris Dei dignitatem commensurata, potuerunt ex Virginis actibus novae accessiones iugiter fieri, praesertim cum, succrescente tempore, nova munia, puta Christi sociae in passionibus, hominum Matris, Apostolorum consolatricis et privatae magistrae, obire debebat.

8. — Quaestio I. — *Quomodo Beata Virgo crevit in gratia?*

Resp. *Primo*, ex eo quod Beata Virgo actibus suis bonis augmentum gratiae vel caritatis meruit, seu *ex opere operantis*. Lex enim est quod sub merito de condigno cadit gratiae augmentum. Revera, illud cadit sub merito de condigno, ad quod motio gratiae se extendit. Motio autem alicuius moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus, sed etiam ad totum progressum in motu. Porro, terminus gratiae est vita aeterna, progressus autem in hoc motu est secundum augmentum caritatis vel gratiae, iuxta illud [2]: *Iustorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem* [3]: unde dicebat S. Augustinus quod *caritas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici* [4].

Atqui nulli dubium esse potest Beatam Virginem actus meritorios perfecisse, tum in prima periodo vitae suae, in qua, ut constans traditio est, trimula virgo semetipsam Deo in templo obtulit [5], vitam potissimum contemplativam inter

[1] Cf. 3, Quaest. VII, art. 10, ad 1[m]. — [2] Prov., IV, 18. — [3] 1 2[ae], Quaest. CXIV, art. 8. — [4] In Epist. Io. Tract. V, c. 3, n. 4. Vide notam sub n. 6, p. 218. — [5] Circa Deiparae praesentationem in templo, vide Alex. M. Planch., O. S. M., Vita B. M. V., Œnipotenti, 1762, pp. 32, seq. Vide etiam Agostino Albergotti, Vesc. di Arezzo, Vita di Maria Santissima, Siena, 1817, note in c. VI, pp. 128, seq.

virgines Deo consecratas amplexa [1], tum post Christi Incarnationem, usque ad illius Ascensionem, quo tempore *perpetua Iesu sectatrix* effecta est, ut dicit S. Epiphanius [2]: tum denique ultimo vitae suae tempore, cum *desideriorum cremabatur incendio, crebris suspiriis angebatur*, ac *suavissimis cogitationibus exercebatur*, ut dicit S. Laurentius Iustinianus [3]. Nec praetereunda sunt egregia verba S. Ambrosii, Deiparae vitam describentis [4]: *Quid ego exsequar ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam; alterum ultra naturam superfuisse, alterum pene ipsi naturae defuisse: illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos ieiunio dies? Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obrius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas quam necessitas fuit; et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus; qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda praenuntiat.*

Secundo, ex opere operato gratiae augmentum suscepit Beatissima Virgo, scilicet ex sacramentorum susceptione.

9. — Quaestio II. — *Quaenam sacramenta Beata Virgo suscepit?*

α) Sub Lege Veteri dici potest Beata Virgo habuisse illud auxilium, quod pro feminis, tanquam remedium ad delendum originale peccatum fuerat provisum; quod probabiliter erat oblatio a parentibus Deo facta, cum actu protestativo fidei in Christum venturum, quod quidem et in lege naturae tam pro masculis quam pro feminis in usu fuerat. Ritus iste, qui correspondebat circumcisioni pro masculis institutae, gratiam quidem conferebat ex opere operato, non tamen instrumentaliter, seu per effectivum influxum, sed moraliter tantum, seu per modum causae finalis [5].

β) Sub nova autem Lege, primo Deipara dicenda est

[1] Vide Albergotti, op. et loc. — [2] Haeresi LXXVIII, p. 1045, Coloniae, 1682 — [3] Serm. in Assumpt. Virginis Mariae, Brixiae, 1556, t. II, fol. XLIX. — [4] L. II, de Virgin., c. 2, n. 8, t. IV, col. 213. — [5] Cf. Serry, Praelect Theol., Vol. V, Prael. II, pp. 15, 11, Venetiis, 1742. Cf. tr. n. de gratia, p. 234.

baptismum suscepisse, non quidem ex necessitate culpae abluendae, sed ut se capiti Christo, tanquam illius membrum, perfectius coniungeret, ut fidelibus humilitatis exemplum praeberet et ut posset postea recipere sacramentum Eucharistiae, cum baptismus sit ianua sacramentorum. Unde Euthymius Zagabenus ait quosdam Apostolorum temporibus proximos, scribere quod Christus Petrum et Virginem Matrem baptizaverit, Petrus vero reliquos omnes Apostolos [1], quamvis S. Augustinus innuere videatur Christum ipsum discipulos suos baptizasse [2].

Nec obstat quod Deipara peccatum originale non contraxerit; nam ad hoc baptismus proprie institutus est, ut baptizati incorporentur Chisto tanquam membra eius [3]; accidit autem incorporando utrum sit a Christo alienus privative, id est per peccatum, an tantum negative, id est gratia simpliciter carendo; et licet adultus qui fidem et caritatem in Christum habet, iam sit ipsi mentaliter incorporatus, adhuc tamen oportet ut ei per visibile sacramentum incorporetur corporaliter [4]; unde etiam concludit S. Thomas [5], *quod illi qui sunt sanctificati in utero consequuntur quidem gratiam emundantem a peccato originali; non tamen ex hoc ipso consequuntur characterem quo Christo configurentur; et propter hoc, si aliqui nunc sanctificarentur in utero, necesse esset eos baptizari, ut per susceptionem characteris aliis membris Christi conformarentur*, quod proportionaliter dicendum est de praedicto ritu sub lege mosaica [6].

Quod autem Beata Virgo sacram *Eucharistiam* receperit, communis est scriptorum sententia, nec dubitandum eam quoditie hoc caelesti pabulo refectam fuisse, conformiter praxi priscorum fidelium, de quibus legitur [7]: *Quotidie per-*

[1] Comment. in cap. III Ioannis. Lovanii, 1544, t. unic., p. 455. Fuit hic auctor graecus, ex doctioribus alumnis ord. S. Basilii, et floruit ineunte saeculo decimo secundo. — [2] Ep. 265 ad Seleuc., t. II, p. 896, et l. III, DE ANIMA ET EIUS ORIG., c. 9, t. X, p. 379. — [3] 3, Quaest. LXIX, art. 4. — [4] IBID., art. 5, ad 1[m]. — [5] IBID., art. 1, ad 3[m]. — [6] *Beata Virgo*, ait Cornelius a Lapide (Comment. in cap. II Luc.).... *suscepit sacramentum baptismi, ut profiteretur religionem christianam*. — [7] ACT., II, 46. Cf. tr. nostrum DE BAPTISMO, Quaest. LXVIII, art. 1.

durantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem: aliunde Dei Mater fideles in fervore non sequi, sed praecedere debebat. Quinimmo, et hoc addi tuto potest, eam, in ultima Coena, post Apostolos, huius sacrae mensae participem fuisse, et quidem sicut illos, sub utraque specie [1].

Hoc autem eo vel magis dicendum est, quia agnus paschalis comedendus erat per familias et domos [2], ita ut ad familiae praesidem pertineret illum immolare: Christus autem, mortuo iam S. Ioseph, caput erat sacrae familiae: ideoque comestioni agni paschalis interfuit Christi beatissima Mater, quae dubio procul Hierosolymis erat illo tempore [3].

Nec ullo modo ambigendum est gloriosam Deiparam *Confirmationis* non quidem sacramentum, sed rem sacramenti, id est plenitudinem Spiritus Sancti sine sacramento [4] in die Pentecostes recepisse, cum illam etiam receperint Apostoli et discipuli; legitur enim [5]: *Hi omnes erant persecerantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria Matre Iesu.* Et sic conformata est Christo quantum ad plenitudinem gratiae, ad agendum ea quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei [6], et quidem longe perfectius quam ipsimet Apostoli, licet debilioris sexus fuerit. Ad rem S. Ioannes Chrysostomus [7]: *Apud Deum femineus etiam militat sexus; multae namque feminae animo virili spiritualem militiam gesserunt: quaedam enim interioris hominis virtute viros aequaverunt in agonibus martyrum, quaedam etiam fortiores viris extiterunt.*

10. — Utrum Beata Virgo susceperit Extremam Unctionem. — Quod autem attinet ad sacramentum *Extremae Unctionis*, tenent aliqui auctores cum B. Alberto Magno [8], S. Antonino [9], Bernardino de Bustis [10], aliisque, Deiparam

[1] Vide quod scripsimus in opusc. *Relations de la très sainte Vierge avec le très Saint Sacrement*, p. 10. — [2] Exod., XII, 3. — [3] Cf. quod scripsimus in Diatessaron, Sect. CCLXXVI, Quaest. XIII. — [4] Cf. 3, Quaest. LXXII, art. 2, ad 1[m]. — [5] Act., I, 14. — [6] Cf. S. Thom. Ibid., art. 5. — [7] Homil. *Quod sit psallendum*, III, ad sensum. Paris, 1838, t. XCII, pp. 130, seq. — [8] In Mariali, cc. 72 et 74. — [9] 3[a] P., Tit. XIII, c. 8, § III. — [10] *Mariale*, P. IV, Serm. 11, p. 3, ed. incun., fol. 121.

illud recepisse, cum huius sacramenti susceptio ad minus res de consilio sit, nec Beata Virgo morti fuerit exempta. — *Obiicienti* hoc sacramentorum ordinari ad tollendas reliquias peccati, a quibus Deipara totaliter immunis extitit, responderi potest cum Francisco Sylvio [1], aliisque probatis auctoribus, proprium et primarium huius sacramenti effectum non esse remissionem peccatorum: — non peccatorum *mortalium*, ad quae ordinatur per se sacramentum poenitentiae; non *venialium*, cum nullum sacramentum Novae Legis directe sit institutum contra peccatum veniale, quod potest tolli per sacramentalia, puta, per aquam benedictam, vel aliquid huiusmodi [2]. Praeterea, dicente S. Iacobo [3]: *Et si in peccatis sit, remittentur ei*, ex eiusdem Apostoli mente eruitur, posse illum qui hoc sacramentum suscipit, omni peccato carere; unde etiam sancivit Ecclesia, posse extremam unctionem aliquando immediate post baptismum adulto conferri [4].

Quapropter, proprius et primarius effectus sacramenti Extremae Unctionis est gratia confortans hominem in ultima pugna contra insidias inimici, et spiritualem alacritatem conferens ad ferenda mortis incommoda, laetoque animo adventum Domini exspectandum; secundus autem effectus est sanitas corporalis, si id quidem Deo placuerit, necnon remissio peccatorum et abstersio reliquiarum peccati. Ergo ad hoc ut quis valide possit sacramentum Extremae Unctionis recipere, non est necesse ut aliquando peccaverit, sed sufficit ut in mortis articulo constitutus, confortari indigeat modo explicato.

Hisce tamen non obstantibus, probabilius reputamus Deiparam rem quidem huius sacramenti, tamen sine sacramento recepisse. Cum enim omni prorsus inclinatione ad peccatum careret, tantoque gratiae cumulo esset ornata, ut in ordine prorsus speciali collocaretur, ideo hoc auxilio non eguit Virgo gloriosa, ut laeto animo Domini adventum expectaret; eo magis quia, ut infra ostendemus, eius transitus, potius quam mors, fuit placidissima evolatio in exstasi vi-

[1] In Supplem., Quaest. XXX, art. 1. — [2] 3, Quaest. LXV, art. 1, ad 8[m]. — [3] C. V, 15. — [4] S. Congr. de Prop. Fide, 26 Sept. 1821.

sionis beatificae; unde, hinc quidem, nihil ipsi erat pertimescendum ex insidiis inimici, illinc vero non erat pro ea locus secundario effectui huius sacramenti, qui est restitutio sanitatis corporeae [1].

11. — **Scholion I.** — Sacramenta *poenitentiae et ordinis* Beata Virgo non suscepit.

Imprimis, quod ad *poenitentiam* spectat, illius sacramenti capax non est qui, post baptismum susceptum, aliquod saltem veniale non commiserit [2]; ab omni autem prorsus peccato gloriosa Virgo penitus libera exstitit. — Quod si Deipara voluit purgationis observantiam implere, hoc, ait Angelicus [3], non fuit propter indigentiam, sed propter legis praeceptum; non quasi obligaretur ad impletionem illius praecepti, sed quia voluntarie purgationis observantiam implevit [4].

Ordinis autem sacramentum suscipere prohibita fuit iure divino, cum statutum sit solos viros isto sacramento cohonestari posse; unde dicit Innocentius III [5]: *Licet Beatissima Virgo Maria dignior et excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves regni caelorum commisit*; et in Constitutionibus apostolicis dicitur [6]: *Mariae permissum fuisset munus docendi, nisi officia sacerdotalia omnibus retro saeculis novae et antiquae Legis mulieribus vetita fuissent.* In quo discrimen deprehenditur inter verum cultum, et cultum ethnicorum aut etiam haereticorum, quos inter Cataphrygae, Peputiani et Collyridiani, teste S. Epiphanio, fuere [7], qui mulieres quoque ad officium sacerdotale admittere consueverunt.

Nec obstat Mariam prophetissam fuisse; nam prophetia, utpote gratia gratis data, a Deo confertur, nullo habito respectu ad ordinem naturae: sacerdotium autem in deter-

[1] Vide, hac de re, Benedictus XIV, De Synodo dioeces., l. VIII, c. VI, n. 3. Vide etiam tr. n. de Sacr. Extr. Unct., Quaest. IV, art. 3, n. 10. — [2] Vide tr. nostrum de sacr. poenitentiae, Quaest LXXXV, art. 4. — [3] 3, Quaest. XXXVII, art. 4. — [4] Ibid., ad 2[m]. — [5] Cap. *Nova*, Extra, de Poenit. — [6] L. III, c. 6. — [7] Haeres, LXXIX, p. 1059, Coloniae, 1682.

minato sexu, et non extra, Deo ita volente, dispensatur. Quod si interdum Beata Virgo sacerdos appelletur, hoc nonnisi latiori sensu est intelligendum, pro eo quod sacerdotem Christum pepererit, et salutis nostrae victimam in ara Crucis, una cum ipso Christo, pro nobis obtulerit [1], ut infra fusius ostendemus.

Attamen, etsi Beata Virgo ordinis sacramentum non receperit, rem tamen huius sacramenti copiose recepit, ut pulcre exponit S. Antoninus [2]; *Licet autem Beatissima Virgo Maria sacramentum ordinis non receperit, quicquid tamen dignitatis vel gratiae in ipsis confertur de hoc plena fuit. Confertur in eis septiformis gratia Spiritus Sancti, qua omnifaria plena fuit. Item cum tria sint in Sacramento Ordinis, scilicet dignitas ministerialis, potestas spiritualis, administratio executionis, haec autem tria Beata Maria aequipollenter habuit et excellenter. Ministri Ecclesiae habent dignitatem beneficialem per characterem excellentiae; Beatissima autem Virgo habet coronam regni Ecclesiae militantis et triumphantis: unde et summus ministrorum Papa dicitur servus servorum Dei: haec autem est regina et domina Angelorum et imperatrix totius mundi. Item in ministris est potestas spiritualis, temporalis delegata a Deo vel subdelegata et vicaria: in ipsa enim est plenitudo potestatis caelestis ex auctoritate ordinaria. Item in ministris est executio ligandi et solvendi per usum clavium; in ipsa autem est dominandi legitima potestas ad ligandum et solvendum per imperium. Et sic quicquid est in ordinibus dignitatis et gratiae constat Beatae Mariae minime defuisse.*

12. — Scholion II. — Demum, quantum ad *matrimonium*, evidens est Beatam Virginem illud non suscepisse ut est novae Legis sacramentum, cum fuerit coniuncta sancto Ioseph sub veteri Lege, et quidem vero validoque matrimonio, ut suo tempore fusius ostendemus. — Ubi tamen

[1] Vide Opusc., Rev. P. Mag. Ed. Hugon, O. P., La Vierge-Prêtre, *examen théologique d'un titre et d'une doctrine*. Paris, 1911, in quo theologicum huius tituli sensum auctor accuratissime definit. — [2] P. IV, tit. XV, c. XVI, Venet., 1581, p. 320, r. Col. II.

advertendum est, in hypothesi quod S. Ioseph supervixerit institutioni huius sacramenti a Christo factae, necnon susceptioni baptismatis ex parte Beatae Virginis, matrimonium Deiparae evasisse verum sacramentum Novae Legis, cum, adveniente baptismo, ipsemet contractus adhuc moraliter perseverans fiat sacramentum [1].

13. — **Solvitur tacita difficultas.** — *Obiicienti*, contra id quod diximus, scilicet Beatam Virginem nonnulla sacramenta suscepisse, non decuisse ut homo, in statu innocentiae, per visibilia sacramenta sanctificaretur [2], Beatam Virginem autem conditam fuisse in statu iustitiae originalis, — *respondetur*, gloriosam Deiparam quidem, quod attinet ad dignitatem personae, habuisse iustitiam originalem et omnia privilegia inde promanantia; quod autem spectat ad conditionem status in quo versabatur, subditam fuisse, ex divina ordinatione, ipsamet ultro consentiente, quantum eius dignitas et sanctitas compatiebatur, illi rerum ordini qui naturae lapsae, per Christum reparandae, convenit: unde et fami, siti, lassitudini subiacuit, et dolores animi, imo mortem ipsam, experta est. Cum igitur contra eius dignitatem et sanctitatem non erat ut sacramenta visibilia reciperet, quatenus aut Christo incorporaretur, aut gratiae augmentum perciperet: hinc dicenda est Beatissima Virgo his auxiliis minime destituta fuisse, maxime cum et de Domino Nostro dicatur, illum Eucharistiam, in ultima coena, percepisse [3].

Hisce praestitutis, modo quaerendum est quo pacto, Beata Virgo, per actus suos, gratiae augmentum obtinuerit, et quousque in hoc augmento pertigerit.

Quod tamen ut ad theologiae rigorem determinetur,

[1] Cf. quae de hac re scripsimus in tr. DE MATRIMONIO, Quaest. II, art. 2, n. 6; Quaest. III, art. 5. — Quod probabiliter S. Ioseph non obierit nisi post secundum Pascha vitae publicae Domini nostri, re profundius examinata, tradidimus. Vide tr. de S. Ioseph, 2ª ed., P. II, a. 7, n. 6. — [2] Tr. DE SACRAMENTIS IN COMMUNI, Quaest. LXI, art. 2, n. 5, p. 67. — [3] Tr. DE SS.MO EUCHARISTIAE SACRAM., P. I, Quaest. LXXX-LXXXI, art. 11, p. 504.

necnon ut tollatur facultas quidlibet in hac re fingendi, primo loco ex Angelico recolenda veniet doctrina de habituum et maxime caritatis augmento.

14. — **Quaestio.** — *Quo pacto gratia in nobis augetur?*

Ad hoc intelligendum, sciendum est quod, sicut quis habitum habens potest illo non uti, aut etiam agere contrarium, ita etiam potest uti habitu secundum actum correspondentem proportionaliter intensioni habitus, aut deficientem ab eo. Quapropter, si intensio actus proportionaliter deficiat ab intensione habitus, actus ille non disponit ad augmentum habitus, sed magis ad diminutionem ipsius. Si vero intensio actus proportionaliter aequetur intensioni habitus, vel etiam illum superexcedat, quilibet actus vel auget habitum, vel disponit ad augmentum ipsius: sic quippe nec in animalibus quodlibet alimentum assumptum auget animal actu, nec quaelibet gutta cavat lapidem, sed multiplicato alimento tandem fit augmentum, et similiter multiplicatis guttis, tandem cavatur lapis: ita etiam multiplicatis actibus, tandem crescit habitus [1]. Quapropter, caritas actu non augetur nisi quando, homine iam ex uno actu caritatis promptiore reddito ad iterum agendum secundum caritatem, et proinde habilitate ita crescente, affectus eius prorumpit in ferventiorem dilectionis actum, quo videlicet conatur ad caritatis profectum.

Ex quo erui debet, quemlibet actum caritatis habitualis, sive sit intensus sive remissus, sive sit elicitus sive imperatus, mereri augmentum caritatis, cum talis actus mereatur vitam aeternam, vita autem aeterna correspondeat gratiae et caritati: attamen non quolibet actu caritas *statim* augetur, sed tantummodo quando, Deo voluntatem efficaciter movente, homo prorumpit in actum ferventiorem. *Quolibet actu meritorio*, ait Angelicus [2], *meretur homo augmentum gratiae, sicut et gratiae consummationem quae est vita aeterna. Sed sicut vita aeterna non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum*

[1] 1, 2ae, Quaest. LII, art. 3. — [2] Ibid., Quaest. CXIV, art 8.

scilicet aliquis fuerit sufficienter dispositus ad gratiae augmentum: haec enim lex est in omni ordine, sive naturali sive supernaturali, ut forma non inducatur, nisi praevia subiecti dispositione; augent autem actus nostri habitum caritatis, non efficienter, sed meritorie seu dispositive [1].

15. — Augmentum gratiae in Beata Virgine. — Quae ita cum sint, facile est determinare quale fuerit augmentum gratiae in Beatissima Virgine. Imprimis advertendum est, eam sive peccatum veniale, sive etiam levissimam imperfectionem, Deo ita concedente, nunquam admisisse; unde omnes eius actus non solum boni fuerunt, sed etiam aut optimi, aut certe saltem aeque ferventes ac habitus caritatis quo ornabatur. Porro, cum in plurium Sanctorum vitis hoc legamus, eos, Spiritu Sancto eos afflante, ferventissimos caritatis actus, saltem pro aliquo vitae suae tempore, quasi incessanter elicuisse, hoc nobis nedum coniicere, sed etiam ex anteactis tutissime deducere licet, gloriosam Deiparam toto vitae suae mortalis decursu in ferventiores divinae dilectionis actus prorupisse, ita ut iuge in ea fieret caritatis augmentum.

Cui et hoc principium, apud theologos receptum, adiecisse iuvabit, nempe, quia actiones sunt suppositorum, ideo maiorem merentis personae dignitatem conducere ad maius meritum de condigno obtinendum, sicut opera Christi infiniti valoris fuerunt, propter infinitam dignitatem personae, quae erat suppositum divinum; unde et Matris Dei dignitas in Beata Virgine dicenda est exstitisse ratio maioris meriti apud Deum proindeque maioris gratiae augmenti [2].

16. — Ecclesiae traditio circa quantitatem gratiae in Beata Virgine. — Secundum hanc doctrinam, facile erit intelligere ea quae de immensitate gratiae Deiparae, quam

[1] Vide Tractatum nostrum DE GRATIA. Quaest. CXIV. art. 8. Hinc a S. Alphonsi doctrina discedendum est, volentis animam, quae fideliter correspondet gratiae, huius quantitatem actu proprio semper duplicare. *The Glories of Mary.* Disc. II. P. II. London. 1868. p. 268. — [2] Cfr. FRANC. SYLV., in 1, 2ae, Quaest. CXIV, art. 8, quaer. I.

Ecclesia appellat *pulcrae dilectionis Matrem* [1], in traditione scripta reperiuntur. Quam traditionem compendio pulcerrime reducit Pius IX, in Bulla *Ineffabilis*, verbis quibus Deiparam appellat *totam puram, totam intemeratam, ac ipsam prope puritatis et innocentiae formam, pulchritudine pulchriorem, venustate venustiorem, sanctiorem sanctitate, solamque sanctam, purissimamque anima et corpore, quae supergressa est omnem integritatem et virginitatem, ac sola tota facta domicilium universarum gratiarum Sanctissimi Spiritus, et quae, solo Deo excepto, exstitit cunctis superior, et ipsis Cherubim et Seraphim, et omni exercitu angelorum natura pulcrior, formosior et sanctior, cui praedicandae caelestes et terrenae linguae minime sufficiant.*

Cui doctrinae praeiverat Angelicus, docens [2]: *Beata Virgo Maria tantam gratiae obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima auctori gratiae; ita quod eum, qui est plenus omni gratia in se reciperet, et eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes deriveret.* Quod fusius explicat in expositione Salutationis angelicae [3]. *Magnum enim est*, ait, *in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia quod sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantum quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum: et hoc est in Christo, et in Beata Virgine. Nam in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa. Unde* MILLE CLYPEI, *id est remedia contra pericula,* PENDENT EX EA [4]. *Item in omni opere virtutis potes eam habere in adiutorium; et ideo dicit ipsa* [5]: IN ME OMNIS SPES VITAE ET VIRTUTIS. *Sic ergo plena est gratia, et excedit Angelos in plenitudine gratiae: et propter hoc convenienter vocatur Maria, quae interpretatur illuminata in se; unde dicitur* [6]: IMPLEBIT SPLENDORIBUS ANIMAM TUAM; *et illuminatrix in alios, quantum ad totum mundum; et ideo assimilatur soli et lunae.*

Pariter S. Ephrem Syrus ait [7]: (Maria) *sublimior caelitibus, candidior solis radiis atque fulgoribus... sanctior Seraphim*

[1] IN OFFIC. parvo B. M. V. — [2] 3. Quaest. XXVII. art. 5. ad 1[um]. — [3] Opusc. VI, ed. Parm. t. XVI, p. 134. — [4] CANTIC., IV, 4. — [5] ECCLI., XXIV, 25. — [6] Is., LVIII, 11. — [7] Sermo de SS.mae Genitr. V. M., Laud., Colon., 1603.

et incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitibus gloriosior. Unica spes Patrum, gloria Prophetarum, praeconium Apostolorum, honor Martyrum, laetitia Sanctorum, et lumen probatissimorum Abraham, Isaac et Iacob, decus Aaron, splendor Moyses, et Gedeonis vellus, coetus Hierarchiarum, omniumque Sanctorum ac Virginum corona, ob immensum fulgorem atque splendorem inaccesa. S. quoque Anselmus [1]: *Pura sanctitas, et sanctissima puritas purissimi pectoris eius omnem omnis creaturae puritatem sive sanctitatem transcendens, incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret.* Demum Bossuet [2]: *Dieu ayant une fois voulu nous donner Jésus-Christ par la Sainte Vierge, cet ordre ne se change plus, et les dons de Dieu sont sans repentance. Il est et sera toujours véritable qu'ayant reçu par elle une fois le principe universel de la grâce, nous en recevions encore, par son entremise, les diverses applications dans tous les états différents qui composent la vie chrétienne. Sa charité ayant tant contribué à notre salut dans le mystère de l'Incarnation, qui est le principe universel de la grâce, elle y contribuera éternellement dans toutes les autres opérations qui n'en sont que des dépendances.*

Huc faciunt omnes illi loci quibus Patres Beatam Virginem passim appellant *gratiae abyssum, caeleste prodigium, gratiae oceanum, mirandum spectaculum*, etc.; huc quoque revocandum id quod dicunt, tantam gratiam Deiparae collatam fuisse, quantam purae creaturae dari possibile est, aut ipsam hinc solam in statera positam, antecedere pondere gratiae omnes illinc tum novi, tum veteris Testamenti sanctos, cunctosque hierarchicos ordines; huc denique pertinent omnes illae figurae, quibus sacri scriptores utuntur ad extollendam Virginis Beatae gratiam, quasi haec ad alia comparata sit veluti sol ad radium, fluvius ad rivulum, mare ad flumina, etc.

17. — **Notandum.** — Cum hoc tamen cavere unusquisque debet, ne dicat gratiam Beatae Virginis in via fuisse supe-

[1] De Laud. Virginis. — [2] 3e Sermon pour la Conception de la Sainte Vierge. 1r Point. Œuvres, etc., p. 664.

rioris ordinis, quam gratia sanctorum in patria. Nam caritas vel gratia viae non est eiusdem rationis ac caritas vel gratia patriae, licet sit eiusdem speciei. Quod ex hoc probatur, quod obiectum caritatis in patria est Deus visus, obiectum autem charitatis in via est Deus non visus; et praeterea, homo in patria potest semper actu tendere in Deum, non vero in via: unde apparet caritatem in patria et caritatem in via non esse eiusdem rationis, licet sint eiusdem speciei, quia utraque habet pro obiecto suo formali coniunctionem cum Deo. Ex quo sequitur minimam gratiam patriae esse maiorem quacumque gratia viae; id est superioris rationis [1].

Cavendum quoque est ne Virginis gratia dicatur simpliciter infinita: hoc enim solummodo de Christi gratia dici potest, eo quod Christus habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiae, et non datur ei secundum aliquam certam mensuram id quod ad rationem gratiae pertinet: *eo quod secundum propositum Dei, cuius est gratiam mensurare, gratia confertur animae Christi sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura secundum illud* [2]: GRATIFICAVIT NOS IN DILECTO FILIO SUO [3], quae profecto de Beatissima Virgine dici nequeunt.

18. — Comparatio inter gratiam Christi et gratiam Mariae. — Ex hoc quidem discrimine resultat, fixam et determinatam comparationem inter gratiam Mariae et gratiam Christi fieri haudquaquam posse, quod ita perspicue exponit Card. Caietanus: *Caritas*, ait ille [4], *habet duplicem perfectionis latitudinem: alteram ex parte obiecti, scilicet secundum maiorem approximationem ad obiectum, alteram ex parte subiecti, secundum maiorem attentionem seu expeditionem subiecti. Prima perfectionis latitudo consistit in augmento caritatis supra exposito; secunda vero consistit in augmento caritatis ex hoc quod anima expedita a visione aenigmatica, et posita in faciali visione Dei, in ipsum totaliter actualiter fertur, quod*

[1] Cf. 1, Quaest. CXVII, art. 2, ad 3um. — [2] Eph., I, 6. — [3] 3, Quaest. VII, art. 11. Cf. Ibid., art. 9 et 10. — [4] In 2 2^ae, Quaest. XXIV, art. 7.

impossibile est convenire viatori. Unde quantumcumque aliquis proficiendo in hac vita appropinquet ad Deum magis ac magis in caritate crescendo, nunquam pervenire potest ad hoc, ut totaliter actualiter amet Deum, sicut videns illum facie ad faciem. Et propterea nunquam caritas viae potest adaequari caritati patriae, quia alterius rationis est perfectio illa: sicut linea, quantumcumque crescat, nunquam aequatur superficiei.

Quae principia applicans gratiae Deiparae, addit idem Caietanus [1]: *Nunquam tamen fuit in via caritas* (Mariae) *aequalis simpliciter caritati minimi in patria, quia caritas patriae est quanta duabus diversarum rationum quantitatibus, ad quarum alteram caritas viae non potest pertingere. Unde simile est de augmento lineae respectu superficiei. Sicut enim linea non potest, quantumcumque crescat, ad quantitatem superficiei pervenire, potest tamen secundum unam dimensionem excedere certam datam superficiem, ita caritas viae nunquam potest adaequare caritatem patriae, potest tamen secundum unam rationem excedere alicuius caritatem in patria existentis.*

S. Thomas quoque, commentans verba illa S. Matthaei [2]: QUI AUTEM MINOR EST IN REGNO CAELORUM, MAIOR EST ILLO (Ioan. Baptista), scribit [3]: *Per regnum caelorum ordo beatorum* (potest intelligi): *et qui inter illos est minor, maior est quolibet viatore. Et ideo praesentem statum appellat Dominus pueritiam: unde* (legitur) [4]: CUM AUTEM FACTUS SUM VIR, EVACUAVI QUAE ERANT PARVULI: *unde nominat viatores parvulos. Et hoc verum est intelligendo de maioritate actuali: actu enim maior est qui comprehensor est. Secus de maioritate virtuali: sicut una parva herba maior dicitur virtute, licet alia maior sit quantitate.* Haec autem fundamentalis differentia alteri differentiae originem dat, quam S. Thomas ita exprimit [5]: *Caritatis imperfectae, quae est viae, est mereri: caritatis autem perfectae non est mereri, sed potius praemio frui.*

Hoc igitur primo intercedit inter gratiam Mariae et gratiam Christi, quod quia ille fuit comprehensor a primo instanti suae conceptionis, ideo gratiam habuit, qualis est

[1] Loco cit. — [2] XI, 11. — [3] Expositio in h. l. — [4] 1 Cor., XIII, 11. — [5] Quaest. LXII, art. 9, ad 1m.

gratia sanctorum in caelo. nulli augmento obnoxiam; gratia autem Mariae, toto eius mortalis vitae cursu, fuit gratia viae, capax proinde augmenti usque in infinitum [1]. Quapropter haud bene comparatur gratia Mariae in hac vita, gratiae consummatae vel glorificatae sanctorum, licet gratiae horum finali possit utique comparari, scilicet gratiae quam habuerunt cum e vita migrarunt.

19. — Beata Virgo in somno naturaliter non meruit. — Adiicitur haec animadversio, ut ostendatur minime probandum esse quod passim apud quosdam auctores legitur, videlicet Beatam Virginem etiam in somno meruisse, imo plus tunc meruisse quam nos ipsi in vigilia mereamur. — Esto enim quod Beatae Virginis somnus non fuerit profundus ille sopor quo quis mergitur post multum cibum et potum et quo ligatur non solum sensus sed etiam imaginatio, nec fuerit somnus ille in quo apparent phantasmata distorta et inordinata, ut contingit in febricitantibus, sed fuerit somnus ille levis proprius hominum qui sani sunt et sobrii, in quo, vaporum motibus sedatis, apparent phantasmata ordinata, tamen Beata Virgo in tali somno *naturaliter* mereri non poterat, quia etiam tunc remanebat impeditum iudicium intellectus et consequenter liberi arbitrii consensus ad meritum requisitus, ligato manente, saltem aliqua ex parte, sensu communi, ad quem nostrum de rebus iudicium resolvere indigemus, cum omnia quae in praesenti statu cognoscimus, cognoscantur per comparationem ad res sensibiles naturales [2].

Unde scribit S. Thomas [3]: *Id quod accidit in somno non imputatur homini, quia non habet usum rationis, qui est proprius hominis actus.* Et iterum [4]: *Quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum,... haec est perfectio caritatis patriae, quae non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est, propter humanae vitae infirmitatem, semper actu cogitare de Deo et moveri dilectione ad ipsum.*

20. — Scholion. — Dixi *naturaliter* divina enim virtute fieri potuit ut, dormiente Virgine, vigilaret tamen eius ani-

[1] Cf. 2 2ae, Quaest. XXIV, art. 7. — [2] 1, Quaest. LXXXIV, art. 8. — [3] 1, Quaest. XCIV, art. 4, ad 4m. — [4] 2 2ae, Quaest. XXIV art. 8.

mus, scilicet collata ipsi per miraculum infusa scientia, qua animus divina contemplatur sine phantasmatum ope; at licet privilegium istud Beatae Virgini interdum concessum fuerit, ut postea explicabitur [1], hoc tamen fuit per exceptionem, ideoque simpliciter dicendum est Mariam in somno actu proprio non meruisse augmentum gratiae, licet adeo placidus ille esset, ut mox expergefacta in ferventissimos caritatis actus facillime prorumperet.

21. — **Difficultas ex S. Francisco Salesio.** — Contra id quod modo dictum est, obiici possunt verba S. Francisci Salesii, tanquam probabile relinquentis quod anima Deiparae habuerit in somno usum rationis [2]. — Hoc tamen intelligi potest hoc sensu quod Maria nonnisi ex amore se unquam somno dederit, videlicet hoc solo fine, ut Deo melius postea servire posset, quod certe erat in ipsa excellentissimus caritatis actus [3].

Quid igitur sibi vult Mariam, somno dilexisse Deum? Hoc non significat eam actum amoris tunc elicuisse, sed propter solum Dei amorem sacro corpori somnum concessisse. — Dici tamen potest, Mariam in somno actu dilexisse Deum, at per exceptionem, concessa videlicet ei scientia infusa, quae utique exceptio eo frequentior esse potuit, quo propius ad vitae terminum accederet. Et hoc quidem sensu intelligi potest S. Franciscus Salesius; quod confirmatur ex eo, quod ponit Mariam, ex hoc capite, Salomoni et S. Ioanni Baptistae haud cessisse: iamvero privilegium duobus istis viris in somno concessum non fuit quidem per statum permanentem, sed per illuminationem transeuntem [4]. Ad hoc enim ut sine ulla interruptione homo diligere posset Deum in

[1] Art. VII. — [2] *Ni je ne dis ni je ne veux dire que cette âme tant privilegiée de la Mère de Dieu ait esté privée de l'usage de rayson en son sommeil.* Traité de l'Amour de Dieu, l. III, c. 8, Ed. Annecy, 1844. — [3] *Cette Reyne céleste ne s'endormoit jamais que d'amour, puisqu'elle ne donnoit aucun repos à son précieux corps que pour le revigorer, affin qu'il servist mieux son Dieu par après: acte certes, tres excellent de charité.* Ibid. — [4] Cf. tr. n. DE GRATIA, Quaest. CVIII, art. 3, n. 8, p. 302.

terra, necesse foret ut privilegii Christi particeps existeret in vita mortali, quod tamen nulli prorsus hominum concessum fuisse noscitur.

Dicamus igitur cum S. Francisco Salesio, cor Virginis Matris sancto amore, quem a Filio receperat, perpetuo inflammatum mansisse [1], hoc sensu quod in vigilia quidem caritas omnes eius actiones inspiraret et consequenter iuge meriti augmentum procuraret; in somno autem, etsi actu ordinario non mereretur, habitu tamen mens eius adeo inhaerebat Deo, ut cum expergisceretur, summa facilitate et suavitate in amplexum Dilecti sui prosiliret, actu puri amoris actus praecedentes longe superante.

22. — Scholion. — Forsan poterit aequivocatio, quae penes plures auctores habetur, solvi distinguendo facilitatem recipiendi impressionem revelationum divinarum, a iudicio quod de hisce revelationibus fert ratio. Et quidem generaliter loquendo, divinae revelationes fiunt in somno, eo quod cum actio sensuum exteriorum tunc suspendatur, anima etiam liberior existit suas operationes intellectuales perficiendi: deest tamen iudicium et cum iudicio meritum, quod a libero arbitrio essentialiter dependet. Huc faciunt quae alibi scripsimus [2]: *Licet cum quiescimus, subtiles superiorum impressiones melius percipimus, perfecte tamen iudicare nequimus, nisi facta resolutione an consonent sensibilibus, ut observat Caietanus* [3]. Admitti ergo potest, Beatam Virginem in somno recepisse divinas communicationes, quae longe superabant communicationes prophetis et sanctis concessas, et per ipsas plurima sibi merita comparare potuisse, non quidem in somno, sed statim ac evigilaret, actibus amoris tunc elicitis: quo sensu intelligi debent verba Cantici Canticorum [4]: *Ego dormio et cor meum vigilat.*

[1] *Le cœur de la Vierge Mère demeura perpétuellement enflammé du saint amour qu'elle receut de son Filz.* Ibid. — [2] Tract. DE DEO UNO, Quaest. XII, art. 11, n. 4. — [3] De hoc fuse diximus in tr. DE STABILITATE ET PROGRESSU DOGMATIS, art. IX, n. 20, p. 311. — [4] Cap. V, 2. Sub luce huius doctrinae facile intelligi poterit quid retinendum sit de eo quod, circa praesentem rem, tradit S. BERNARDINUS SENENSIS, Serm. IV, de B. V. M., art. 1, c. II, t. IV, p. 86.

Ut autem de gratia huius almae Virginis plenior cognitio habeatur, distinguenda sunt tria in illius vita mortali momenta: *primo*. momentum Incarnationis Verbi: *secundo*. momentum quo sub Cruce Nati hominum Mater divinitus constituta est; *tertio*. momentum ingressus illius animae in beatam patriam.

23. — Gratia Beata Virginis in momento Incarnationis Verbi. — Circa gratiam Deiparae in momento Incarnationis seu Annuntiationis, praedicare tuto possumus hanc gratiam tantam fuisse, ut gratiam omnium simul angelorum sanctorumque [1], qui Mariam praecesserant, excesserit. Tunc quippe ineffabile mysterium in Beata Virgine complebatur; Verbo scilicet in eius utero carnem sumente, ac Maria hoc ipso, utpote vera Dei Matre, ad Deum, qui est totius gratiae fons et origo, omni alia creatura propius accedente.

Re quidem vera, si ad oeconomiam salutis nostrae attendamus, facile deprehendemus omnem, quae unquam hominibus data est, gratiam, a Christo Domino derivari, diverso tamen modo, secundum temporum diversitatem. Et quidem, ante Christi adventum, gratia hominibus data est intuitu praevisorum illius meritorum, non physica eius humanitatis actione, cum res aliqua operari non possit antequam sit; gratia autem Angelorum a Christo efficienter non derivatur. Igitur nonnisi in momento sui ingressus in hunc mundum, Christus Dominus thesauros suae gratiae spargere coepit modo physico: iamvero, quaenam fuit illa creatura, quae omnium prima huius distributionis effectus perceperit, nisi ipsa Redemptoris vera et propria Mater? Et praecise, quia anima Mariae, prima omnium, influxum Verbi, illo in momento percipiebat, ideo gratiam ab eo tam abundanter recepit, ut illa undequaque perfunderetur. Cum autem operationes novae Legis incomparabiliter superent operationes veteris Legis propter influxum physicum Hominis-Dei, conveniens fuit ut illa prima sanctificatio, quam Christus in

[1] Intellige gratiam angelorum in via, non in patria, iuxta superius exposita: de sanctis vero compertum est nullum eorum fuisse glorificatum antequam Christus ipse glorificaretur.

Matre sua dilectissima efficiebat, longe superaret sanctificationem omnium simul angelorum et sanctorum usque ad illud tempus causatam.

Cum igitur ad hoc sit Verbum homo factum, ut genus humanum sua humanitate divinitati consacraret, conveniens fuit ut primam illius gratiae dispensationem ordinaret in Maria, et quidem in mensura quam omnes simul sancti ante ipsam attingere unquam valuerunt: quo faciunt illa Angelici Doctoris verba [1]: *Quanto aliquod receptivum est propinquius causae influenti, tanto magis participat de influentia illius.*

Accedit huic proposito Mariam, hoc ipso quod Dei Mater est effecta, officium Mediatricis quodammodo inchoasse, inter Christum, quem castis gerebat visceribus, et homines ad quos salvandos Iesus venerat. Quapropter Maria, hinc quidem ut vera Verbi Incarnati Mater, erat obiectum complacentiae Trinitatis Beatae, et sic in ordine speciali collocata, ipsa sola perfectior et pulcrior omnibus creaturis; ut vero Mediatrix, non solum nullam maculam habere debebat, sed etiam gratia ita erat exornanda, ut oculis Filii sui singulariter amabilis redderetur, propter cuius amorem Iesus se Patri tunc offerebat, placationis victimam pro salute mundi [2].

O ineffabile momentum Incarnationis Verbi! Sanctissima Virgo ad vocem Angeli se humiliat quantum creaturae unquam possibile sit, at Altissimus eam supra omnes creaturas exaltat. Rite ergo canere potest Maria: *Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius* [3].

24. — Gratia Beatae Virginis sub Cruce consistentis. — Circa gratiam Deiparae collatam quando sub Cruce Filii hominum Mater est constituta, dici potest eam tunc supe-

[1] 3, Quaest. VII, art. 1. — [2] Vide op. nostrum: *L'Immaculée Mère de Dieu, Corédemptrice du genre humain.* Turnhout, 1906. — [3] Luc., I, 49. Haec consideranti succurrit factum de gloriosissimae Virginis apparitione apud Lourdes, A. D. 1858, in die illius Annuntiationi sacro, quando humili puellae instanter sciscitanti quodnam foret eius nomen, ineffabiliter gestiens respondit: *Ego sum Immaculata Conceptio.* Quanta est dogmatum fidei nostrae harmonia!

rasse gratiam etiam finalem omnium simul sanctorum et angelorum, ita ut id quod dicit S. Alphonsus de gratia Beatae Virginis in momento illius Conceptionis, dicendum revera sit de eadem, in momento quo hominum Mater sub Cruce Christi est effecta. Quod quidem difficile haud videbitur parumper consideranti quale tunc divinum opus perageretur.

Re quidem vera mysterium, pro iis quae ad Deiparae gratiam pertinent, excellentissimum, sub ara crucis completum est, cum gladius a Simeone praedictus, beatam illius animam pertransivit. Siquidem prophetia illa complementum tunc habuit, quando etiam Deiparae anima gratia fuit donata modo supra explicato, videlicet, ita ut haec eius gratia finalem omnium simul angelorum et sanctorum gratiam superaret. At quonam pacto hoc effectum est, nisi quia Maria tunc Christi decreto hominum Mater constituebatur? Siquidem, cum nil Deus proferat inane, hoc ipso quod eam Christus hominum Matrem constituit, tum hominibus pietatis obsequii sensus quales filios decet habere, tum Mariae maternae pietatis viscera potentissime ita contulit, ut et illi quidem Deiparam Matrem suam. haec vero homines filios suos vere compellare possent.

At et hoc advertendum est, quod certe ad propositum nostrum facit, in hoc praecise mysterio, animam Mariae gladio fuisse confossam, cuius quidem acuitas non in hoc consistebat, quod Filium suum amitteret, nunquam enim Christus desiit esse eius filius, nec quod homines filios acciperet, hoc enim potius gaudio ipsi erat, sed quod eosdemmet spirituales filios accipiebat, qui dilectissimum Filium naturalem, qui Deus erat, interficiebant, et quidem propriis sub oculis, quemadmodum olim Cain ferocia iustum Abel, Evae sub oculis, e vivis abstulerat.

In quo utique consistere censemus summam virginei doloris, quem cum illa Deo plenissime conformis toto cordis effectu tulerit, hoc ipso mulier vere fortis, generis humani alma Coredemptrix fieri meruit, ad quam nova Spiritus Sancti invisibilis missio facta est, qua sanctiores quosque homines, angelorumque altissimos choros, in gratia tunc sibi collata, superavit. Magna quidem fuerat gratia quam

in sui Annuntiatione acceperat Virgo gloriosa, sed maior longe ea fuit quam in Filii morte, suo ineffabili martyrio, percipere meruit. Oh, quanta fuit tunc excellentia Virginis Deiparae, in qua quaecumque magna, quaecumque sublimia ita adunata sunt, ut cum S. Thoma a Villanova conclamare possimus: *Quantum potes, tantum auge: quantum vales, tantum adde: maior est ista Virgo, excellentior est haec Virgo, superior est Virgo ista* [1].

25. - Gratia Beatae Virginis in fine vitae suae mortalis. — Denique, quod pertinet ad quantitatem gratiae quam habuit Deipara sub fine vitae suae mortalis, dicere possumus eam adeo intensam fuisse, ut longe superaverit gratiam omnium sanctorum et angelorum collectim sumptorum. Nec gratuita aut nova est ista assertio, ut voluerunt Vasquez et Henno; sed tutissimo traditionis testimonio innititur.

Quinimmo et hoc adiici potest, Deiparae caritatem pene in infinitum auctam fuisse, cum illius augmento aliquem terminum non fuerit adsignare, *primo* ex parte ipsius caritatis, cum haec secundum propriae speciei rationem augmenti terminum non habeat, est enim participatio quaedam infinitae caritatis quae est Spiritus Sanctus: *secundo*, nec ex parte subiecti, quia semper caritate excrescente, superexcrescit habilitas ad ulterius augmentum [2]: unde terminum eidem praefixit solummodo mensura divinae maternitati congrua, ex Dei sapientia praefixa.

Ex quibus ulterius deduci potest, perfectam fuisse in hac vita Beatae Virginis caritatem: non quidem hoc sensu, quod semper actualiter cor eius ferretur in Deum, quod proprium est beatorum in patria, nec tantummodo quia nihil divinae dilectioni contrarium admittere unquam voluerit, quod commune est omnibus caritatem habentibus; sed hoc sensu quod, in nullo deficiendo, perfectius quolibet alio sancto, totum suum studium deputavit ad vacandum Deo, rebusque divinis, praetermissis aliis, nisi quantum praesentis vitae necessitatibus requireretur [3].

[1] Serm. II de Nativ. Virg. Aug. Vindelic., 1757, col. 561. — [2] 2. 2ae, Quaest. XXIV, art. 7. — [3] Ibid., art. 8.

Quapropter, cum Maria caelum ingressa est, dicere possumus gratiam aut melius gloriam, qua exornata tunc fuit eius anima, longe superasse summam gratiae vel gloriae omnium simul sanctorum et angelorum [1]. Cui utique sententiae securius quisque assentiri potest, quam quidem fulciri videmus evidentibus testimoniis multorum rerum sacrorum scriptorum et signanter verbis Bullae *Ineffabilis*. Re quidem vera, si Deus sibi in Maria plene complacuit, si illam angelorum sanctorumque coronavit Reginam et a dextris Filii sedere in caelis iussit, eam constituens gratiarum divinarum dispensatricem, salutis arcam, ianuam caeli: quidquid de ea dici potest, ita eius dignitati cedit, ut vere conclamare valeamus: *De Maria nunquam satis.*

26. Progressus Mariae in gratia. — Hisce praestitutis, concludere fas est quod, cum ea sit constans Dei in operando norma, ut non statim rem in perfecta naturae illius conditione constituat, sed solum gradatim ab imperfecto ad perfectum eam perducat, sicut mundum hunc spectabilem ab informi quadam primigenia materia ad formosam rerum varietatem paulatim adduxit, sic merito divinitus decretum est ut anima Deiparae in via sanctitatis et gratiae, tanquam aurora consurgens, usque ad perfectum gratiae meridiem procederet, occasus nescia.

Hoc ergo de gratia Mariae in primo eius conceptionis momento concessa decernatur, eam utique immensam fuisse, talem nempe quae cuiuscumque sancti vel angeli gratiam etiam finalem superaret: hoc quippe illam omnino decebat, quae futura erat Verbi, secundum carnem, Genitrix, hominumque, secundum spiritum, piissima Mater.

In qua gratia, quales postea Beata Virgo progressus ederit, solus ille novit, cuius efficacissima motione ducebatur: hoc tamen dicere ultro possumus, progressus illos adeo fuisse conspicuos, ut adventante annuntiationis tem-

[1] Ingrediente caelum Deipara, eius gratia iam consummata fuit, ideoque dici utique potest hanc gratiam superasse non solum finalem, sed proprie *consummatam* gratiam omnium sanctorum et angelorum, iuxta superius exposita.

pore, ex Christi eius Filii physico influxu, gratiam acceperit, angelorum simul et sanctorum veteris Testamenti gratiam superantem. Hoc quippe divinam decebat maternitatem, qua Maria super omnem naturae et gratiae ordinem elevabatur, hoc quoque quodammodo suadetur ipsomet mediatricis officio, quod tunc Mater Dei inchoabat.

27. — Advertenda. — In quo quidem duo notatu digna subnectenda censemus.

Primum, immensam hanc gratiae quantitatem Mariae collatam fuisse, tamquam praemium illius spontaneae actionis, qua moventi Spiritui Sancto cooperata est. Iam pridem, in momento suae Conceptionis, divinam gratiam non absque suo consensu Maria acceperat; pariter omnes gratias, quae primam hanc gratiam subsecutae sunt, merito suo comparaverat. Nunc autem, aucta iam in illa gratia, augebatur quoque facilitas et promptitudo ad cooperandum novae gratiae, et consequenter augebatur capacitas ad novam gratiam accipiendam, iuxta illud quod S. Augustino tribui solet: *Caritas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.* Nil mirum ergo si Angelo, arcanum Incarnationis mysterium annuntianti, Virgo Beatissima omni haesitatione seposita, sine mora ultro consensum dederit: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Verbo simul in eius utero carnem sumente, et Spiritu Sancto eius animam divina gratia perfundente.

Recte ergo sancta Elisabeth, Praecursoris mater, novum hoc gratiae prodigium in excessu mentis admirata, exclamavit, Virginem compellans: *Benedicta tu inter mulieres.* Recte quoque Maria ipsa, ante Verbi Incarnationem iam salutata plena gratia, nunc super totum universum exaltata, mirabile canticum edidit [1]: *Magnificat anima mea Dominum.... quia fecit mihi magna qui potens est.* Recte nunc denique Ecclesia, per totum orbem diffusa, haud desinit Virginem salutare: *Ave Maria gratia plena*: qua quidem oratione nil efficacius est ad exprimendam supereminentiam gratiae Virginis in momento Incarnationis, nil Deiparae ipsi gratius, nil denique nobis peccatoribus magis proficuum.

[1] Luc., I, 46, 49.

Alterum circa gratiam Beatae Virginis in momento Annuntiationis adnotandum, est singularis efficacia mediationis quam mox Deipara exercere coepit, per respectum ad castissimum suum Sponsum, necnon per respectum ad Christi Domini Praecursorem.

Et quantum ad primum, tuto teneri potest Verbum recens incarnatum, propter amorem quo Matrem suam prosequebatur, et etiam intuitu eius validae intercessionis, immensis gratiae thesauris sancti Ioseph animam ditasse, cui propter eius verum cum Deipara matrimonium, stricto foedere ita coniungebatur, ut illius Filius diceretur. Hoc quippe tempore tantam sanctus Ioseph gratiam accepit, ut nullo prorsus impedimento illum retardante, ad Deum iugiter tetenderit, iuxta illud: *Filius accrescens Ioseph* [1].

Eidem quoque causae, scilicet physico Verbi incarnati influxui, respectu tamen ad Deiparam habito et mediante eius intercessione, adscribi debet mirabilis Ioannis Baptistae sanctificatio, quando Maria Elisabeth cognatam suam visitavit, cui sanctificationi tribuendum est quod postea Christus testatus est [2]: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.*

Talis ergo fuit, ineffabili Annuntiationis momento, mirabilis gratiae quantitas in Maria, mirabilis quoque illius gratiae operativa virtus: at crescere adhuc debebat in accepta gratia Virgo Beata: scilicet in schola Auctoris gratiae, quem nunc in sinu, mox in ulnis gestura erat, quem lacte alitura, cuius gressus ductura, quem in templo oblatura, quem in peregrinationibus comitatura, cuius laborum dolorumque particeps erat adsciscenda, tales tantosque progressus Maria edere debebat, quibus digna foret quae ad supereminens illud et humanis oculis impervium fastigium, sub Cruce Filii, pertingeret, quod supra descripsimus.

Et quidem mente nunquam cogitari, nunquam verbis sat exprimi poterit, quantis gratiarum thesauris in hoc omnium solemnissimo momento, ditata fuerit anima Virginis gloriosae. Tunc enim fructus copiosissimae Redemptionis, in ipsam primo, Christus e Cruce, physico quidem influxu, ita deri-

[1] Gen., XLIX, 22. — [2] Matth., XI, 11.

vavit, ut vere tunc Maria fuerit sublimiori modo sanctificata, in se una exhibens totam Christi virtutis efficaciam, quo videlicet tempore dici tuto posse censemus illius gratia gratiam omnibus simul angelis sanctisque collatam, superatam longe fuisse [1].

28. — **Meritum Beatissimae Virginis.** — Cum actiones nostrae, in quantum propria voluntate complentur sub influxu divinae gratiae, meriti rationem habeant [2], ideo cum quaestione de gratia Beatae Virginis coniungenda est quaestio de illius merito, non quidem per respectum ad divinam maternitatem, hoc enim supra exclusum est [3]; nec per respectum ad nos, de qua re inferius agetur [4], sed per respectum ad ipsammet Deiparam, ut scilicet determinetur illius meriti I. *obiectum*, II. *quantitas*.

In antecessum tamen advertendum est, rationem meriti non excludere in complemento operum nostrorum principalitatem causae primae, scilicet Dei, sive dantis virtutem, sive etiam applicantis; unde dicitur [5]: *Omnia enim opera nostra operatus es nobis*; praeterea, generaliter dicendum est, Matris Dei dignitati magis congruere, ut per seipsam, mediante merito, suas perfectiones assecuta sit, quam sine merito: quandoquidem hoc et aliis hominibus conceditur, ut per meritum sibi praemia comparent.

I. Ut autem specialiter determinatur *quidnam* Beata Virgo sibi ipsa meruerit, criterium hoc esto: meritum non est, nisi eius quod nondum habetur, unde oportet ut ille qui meretur aliquid, eodem aliquando careat. Illud igitur Beata Virgo potuit mereri, cuius carentia pro aliquo tempore fuit compatibilis cum eius dignitate, non autem illud

[1] De gratia B. Mariae Virginis legi potest Dionysius Carthus., Enarratio in Cap. VIII Cantici Cantic., Art. XXVI. Opp. Monstrolii, T. VII, pp. 445, 446. Vide etiam Fr. Morgott, *Die Mariologie des hl. Thomas von Aquin*, III. Die Gnadenfülle der Gottesmutter, p. 43, seq., Freiburg in Breisgau, 1878. De finali gratia B. M. V. egregie disseruit R. P. Hugon, O. P., in op. *La Mère de grâce*, Paris, 1904, pp. 108, seqq. — [2] Cf. 1 2ae, Quaest. CXIV, art. 4. — [3] Part I, cap I, art. 2, nn. 5, 6. — [4] Part. III, cap. I, art. 3. — [5] Is., XXVI, 12.

cuius carentia eius perfectionem minuisset. Atqui cum dignitate Deiparae compatibilis fuit carentia gratiae perfectioris, assumptionis, gloriae animae et corporis, veneration-nis, virtutis intercessionis, etc. Ergo suis operibus, et praesertim sua materna compassione, Beata Virgo haec omnia meruit. E contra, quia cum eius summa dignitate compatibilis non fuit carentia Immaculatae Conceptionis, naturae integritatis, gratiae initialis, etc.; ideo ista non dicenda est meruisse, sed gratis omnino habuit [1].

II. Quantum vero ad meriti *quantitatem*, primo advertendum est, hanc ex duplici capite posse pensari: *primo*, ex radice caritatis, et huic quantitati respondet praemium essentiale: qui enim ex maiori caritate aliquid facit, perfectius Deo fruitur; *secundo*, ex quantitate operis, et quidem, sive ex quantitate absolute considerata, sive ex quantitate considerata per respectum ad conditionem operantis; et huic correspondet praemium accidentale, quod est gaudium de bono creato.

His positis, sequentia statui possunt.

α) Quantitas meriti *ex radice caritatis* fuit abundantior et efficacior in Beata Virgine quam in quolibet sancto, eo quod gratia in ipsa copiosior exstitit, nullo interveniente obstaculo.

β) Quantitas meriti, pensata *ex quantitate absoluta operis*, abundantior et efficacior fuit in Beata Virgine quam in quolibet sancto, quia propter suam ad Christum propinquitatem, maiora opera fecit mulier vere fortis, redemptionis humanae operi cooperando: quae etiam statim a primo instanti suae conceptionis mereri potuit [2].

γ) Quantitas meriti, pensata *ex quantitate relativa operis*, fuit minor in Beata Virgine quam in aliis sanctis, eo quod sancti omnes vi peccati originalis imbecillitatem contrahunt, et sic repugnantiam quamdam experiuntur. Ex hac quippe parte magis excedit parvum opus potestatem eius qui cum difficultate operatur, quam magnum opus potestatem illius qui nullam experitur difficultatem.

Ex quibus tamen non licet inferre quod *minus* indiguerit

[1] Cf. 3, Quaest. XIX, art. 3. — [2] Vide supra P. II, c. I, art. 4, n. 8.

gratia Virgo gloriosa quam nos, sed tantum quod ad *pauciora* gratia indigebat. Cum enim gratia indigeret ad vitam aeternam consequendam, quae quidem est principalis necessitas, non tamen ea indiguit ad peccati remissionem aut ad imbecillitatis sustentationem, sicut nos; unde concipere possumus Virginem gloriosam faciliter et promptissime se ferentem ad exequenda divina mandata [1].

Articulus VI. — *De virtutibus et donis Beatae Mariae Virginis.*

1. — **Ratio articuli.** — Quaestionem de Beatae Virginis gratia sponte suscipit quaestio de virtutibus et donis eiusdem: haec enim in animam simul cum gratia divinitus infunduntur [2]. Sunt autem virtutes habitus boni, quibus animae potentiae capaces redduntur prompte faciliterque ea exsequendi, quae aut secundum ordinem rationis sunt, si quidem illae sint naturales, aut secundum ordinem boni supernaturalis, si sint infusae. — Dona autem, quae tantummodo in ordine supernaturali inveniuntur, sunt pariter habitus quidam supernaturales, quibus homo disponitur ut moveatur secundum ductum Spiritus Sancti; virtutes vero et dona sequitur beatitudinum et fructuum nobilissima suppellex: quae omnia dilucide exponuntur a Leone XIII, cuius verba citasse perutile erit.

2. — **Verba Leonis XIII.** — *Homini iusto*, ait ille [3], *vitam scilicet viventi divinae gratiae, et per congruas virtutes, tanquam facultates agenti, opus plane est septenis illis, quae proprie dicuntur Spiritus Sancti, donis. Horum enim beneficio instruitur animus et munitur, ut eius vocibus atque impulsioni facilius promptiusque obsequatur: haec propterea dona tantae sunt efficacitatis, ut eum ad fastigium sanctimoniae adducant, tantaeque excellentiae, ut in caelesti regno eadem.*

[1] Cf. 1, Quaest. XCV, art. 4. — [2] Cat. Conc. Trid., p. II, de Sacr. Bapt., n. 51. — [3] In Encyclica *Divinum illud*, 9 maii, 1897.

quamquam perfectius, perseverent. Ipsorumque ope charismatum provocatur animus et effertur ad appetendas adipiscendasque beatitudines evangelicas quae, perinde ac flores verno tempore erumpentes, indices ac nunciae sunt beatitatis perpetuo mansurae. Felices denique sunt fructus ii, ab Apostolo enumerati [1], *quos hominibus iustis in hac etiam caduca vita Spiritus parit et exhibet omni refertos dulcedine et gaudio; eiusmodi esse debent a Spiritu, qui est in Trinitate Genitoris Genitique suavitas, ingenti largitate atque abertate perfundens omnes creaturas* [2].

Quae cum ita sint, non tam hic quaeritur utrum in Deipara fuerint virtutes caeteraque hisce adnexa, quam quo pacto ista in ea inveniantur.

3. PROP. — **In Beatissima Virgine excellentissime fuerunt virtutes et dona Spiritus Sancti.**

4. — **Prob.** — I. Cum virtutes sint quaedam derivationes gratiae, quanto perfectior est gratia, tanto etiam perfectius ex ea procedunt virtutes ad perficiendum singulas potentias animae quantum ad omnes animae actus [3]. Atqui in Beatissima Virgine gratia fuit perfectissima. Ergo et virtutes.

II. Pariter, quia dona sunt perfectiones quaedam potentiarum animae, secundum quod sunt natae moveri a Spiritu Sancto [4], anima autem Beatissimae Virginis a Spiritu Sancto movebatur, sicut cum dicitur quod *exurgens..... abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda* [5], ut cognatae suae Elisabeth adsisteret. Ergo etiam dona Spiritus Sancti in Beata Virgine excellentissime fuerunt. Quapropter rite concludit S. Thomas [6]: *In Beata Virgine debuit apparere omne illud quod perfectionis fuit.*

5. — **Scholion.** — Porro, huiusmodi virtutes in Beata Virgine non fuerunt modo quodam communi tantum, sed *excellentissime*, id est in gradu heroico seu in summo, et speciali quadam eminentia, facientes in Deipara dispositio-

[1] Gal., V, 22. — [2] S. Augustinus, l. VI, de Trin., c. 9. — [3] 3, Quaest. VII, art. 2. — [4] Ibid., art. 5. — [5] Luc., I, 39. — [6] 4, Dist. XXX, Quaes. II, art. 1, Quaestiunc. III.

nem ad actum qui proprius est superioris naturae, supra humanum operandi modum [1]. Notandum tamen est huiusmodi differentiam non esse penes obiectum materiale et formale virtutum, sed solum penes modum tendendi in obiectum, necnon penes gradum intensionis.

Hanc autem excellentiam virtutum in Deipara Ecclesia credenda est voluisse sancire in litaniis lauretanis, in quibus nobilia quaeque epitheta hoc pacto multiplicata inveniuntur, quasi licet singula vera sint, tamen imparia reputentur perfectionibus Deiparae significandis, et sic eorum cumulus aestimationem minus indignam de tanta Virgine ingeneret [2]. Nec a vero aberrat qui descriptiones quas de virtutibus aliqui ex sanctis Patribus, inter quos potissime eminet S. Ambrosius, nobis reliquerunt, sensu altissimo quem de Deipara mente defixum habebant, inspiratas dixerit.

Quinimmo, et hoc pie coniectare audemus, eatenus a Deo provisum esse ut parce omnino ea quae ad Beatam Virginem pertinent ab Evangelistis recolerentur, quatenus haec Dei fuerit voluntas, ut fideles excelsa quaeque et omnem humani ingenii captum excedentia, de eius virtutibus, ex hoc solo quod Mater Dei extiterit, secum ipsi cogitarent, quasi scilicet magis specificata de illius gestis descriptio quidquam de illo altissimo aestimationis sensu, quo fideles Deiparam prosequi consuevérunt, detraxisset. Aliunde pauca illa quae de Dei Matre in Scriptura recoluntur, tanti sunt ponderis, ut rite haberi debeant tanquam solidum fundamentum cui omne illud innitatur, quod de ea aut fide tenetur, aut pie unquam creditum fuit [3].

Ad singularem autem Deiparae excellentiam in virtutum perfecta possessione significandam, potest opportune adduci, inter alia, exemplum vitis, quae, secus ac aliae arbores, in determinata quantitate haudquaquam consistit; sed eo altius erigit palmites, quo magis procera fuerit arbor cui innititur. Atqui Maria Christo, qui infinitus est, innititur,

[1] 1 2ae, Quaest. LIV, art. 3. — [2] De virtutibus ac de donis B.mae Virginis singillatim egimus in opusc. LA PLUS BELLE FLEUR DU PARADIS. — [3] Cf. THOM. LIVIUS, C. SS. R., *Mary in the Epistles*, c. VI, London, 1891.

iuxta illud [1]: *Innixa super dilectum suum*; ergo quodammodo infinitae sunt illius perfectiones [2].

Quae cum ita constiterint, iam pronum est pauca, speciminis gratia, ex uberrimo Patrum viridario, seligere, quibus tum generaliter, tum specialiter Mariae virtutes celebrantur.

6. — **Patres generaliter asserunt omnes virtutes fuisse in Maria.** — Omnium virtutum comitatum inveniri in Beatissima Virgine Maria, ita egregie exponit S. Ambrosius [3]: *Sit igitur vobis tanquam in imagine descripta, virginitas, vita Mariae; de qua velut speculo refulgeat species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effingere, quid tenere debeatis ostendunt... Talis fuit Maria, ut eius unius vita omnium sit disciplina.* Et S. Bernardus [4]: *Tu* (Maria) *sanctorum areola aromatum a caelesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernas, inter quos pulcherrimos flores, tres miramur in te, o excellentissima. Hi sunt quorum odore suavissimo totam domum Domini reples, o Maria: viola humilitatis, lilium castitatis, rosa caritatis.* Et iterum [5]: *Pudibunda fuit Maria, ex Evangelio id probamus. Ubi enim aliquando loquax? Ubi praesumptuosa fuisse videtur? Foris stabat, quaerens loqui Filio, nec materna auctoritate aut sermonem interrupit, aut in habitationem irruit in qua Filius loquebatur.* Denique Angelicus Doctor [6]: *Ipsa* (Maria) *omnium virtutum opera exercuit, alii autem sancti specialia quaedam: quia alius fuit humilis, alius castus, alius misericors: et ideo dantur in exemplum specialium virtutum:... sed Beata Virgo in exemplum omnium virtutum.*

7. — **Virtutes theologicae in Maria.** — Ut autem pauca de singulis virtutibus Deiparae delibemus, imprimis nullum dubium est in ea virtutes theologicas, quibus homo ad Deum

[1] Cantic., VII, 5. — [2] Cf. Segneri, Panegirico per la festa della SS.ma Annunziata. — [3] L. II de Virgin., c. 2, nn. 6, 15, t. III, col. 212 et 214. — [4] Ad gloriosam Virg. Mar. Deprec. et Laus, t. II, fol. 403. — [5] Sermo de verbis Apoc. B. Ioannis. — [6] Opusc. VI in Salutat. Angelic., t. XVI, p. 133.

immediate ordinatur, excellentissime adfuisse. Et primo quidem eius *caritas*. de qua quidem superius fuse egimus [1], ita egregie commendatur a Richardo Victorino [2]: *Emmanuelis nostri puerpera in omni fuit virtutum consummatione perfecta. Quis illud primum et maximum mandatum sic unquam implevit? Quis sic unquam implere poterit?* DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO, ET EX TOTA ANIMA TUA... *Divinus amor in ea adeo convaluit, adeo eam ipsam in omni bono solidavit, ut de cetero spiritualis qualiscumque defectus in eam incidere omnino non posset.*

Singularissime autem fuisse perfectam hanc Deiparae caritatem, ita eleganter exponit S. Franciscus Salesius [3]: *Au dessus de toutes ces ames, il y en a une très uniquement unique, qui est la Reyne des reynes, la plus aymante, la plus aymable et la plus aymée de toutes les amies du divin espoux.. De ces âmes si parfaites il y en a si peu, que chacune d'icelles est appelée* UNIQUE DE SA MÈRE, *qui est la providence divine : elle est dite* UNIQUE COLOMBE, *qui pour tout n'aime que son colombeau; elle est nommée* PARFAITE, *parce qu'elle est rendue par amour une même chose avec la souveraine perfection, dont elle peut dire avec une très humble vérité :* JE NE SUIS QUE POUR MON BIEN AIMÉ, ET IL EST TOUT TOURNÉ DEVERS MOI [4]. *Or il n'y a que la très sainte Vierge notre Dame qui soit parfaitement parvenue à ce degré d'excellence en l'amour de son cher bien aymé.*

Fidem etiam et *spem* habuit Beatissima Virgo, et quidem excellentissime, in quo distinguitur a Domino Nostro. Nam, cum de ratione fidei sit ut quis assentiatur iis quae non videt, Christus quidem nullo modo fidem habuit, quia ab initio suae conceptionis fuit perfectissimus comprehensor, ideoque et divinam Essentiam et res in divina essentia vidit. Beata Virgo autem divinam Essentiam, modo saltem permanenti, dum mortalem vitam ageret, non vidit, ideoque fidei virtutem, etiam a primo momento suae conceptionis exercuit, cum ipsamet motu liberi arbitrii divinae gratiae in iustificatione consenserit, quod non fuit sine actu fidei.

[1] Art. praec. — [2] L. II DE EMMANUELE, cc. 29, 30. — [3] Traité de l'amour de Dieu, l. X, c. 5. — [4] Cant. VII, 8-10.

Et ideo propter fidem suam a S. Elisabeth beata praedicatur [1]: *Et beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino:* quem locum commentans B. Albertus Magnus, ait [2]: (Maria) *fidem habuit in excellentissimo gradu, quae etiam discipulis dubitantibus non dubitavit* [3].

Spe quoque theologica Maria singulariter exornata apparuit, licet illa Christus Dominus caruerit. Nimirum spes, in quantum est virtus theologica, habet pro obiecto ipsum Deum, cuius fruitionem homo principaliter exspectat per spei virtutem: quod quidem in Christo esse non potuit, qui a principio plenissime habuit fruitionem divinam; licet quaedam, quae a principio Christus non habebat, ut, verbi gratia, immortalitatem et gloriam corporis, et quae proinde exspectabat sibi tempore debito a Deo danda, sperare potuit, non tamen theologica spe, quae est formaliter de Deo nondum habito [4]. At Beata Virgo fruitione divina in vita mortali caruit, ideoque spei theologicam virtutem habuit: quam virtutem etiam exercuit in multis vitae necessitatibus, verbi gratia, cum a Deo expectavit ut castitatis suae simulque praegnantiae secretum S. Ioseph manifestaretur, aut Aegypti exilium patientissime sustinuit, aut ministros in Cana Galilaeae, nonobstante apparente repulsa, admonuit, ut quodcumque Iesus dicturus esset adimplerent [5].

Harum autem theologicarum virtutum fulgorem potissime tempore Christi passionis in Virgine enituisse, testatur Pius X [6]: *Agitur in crucem Iesus, eique in maledictis obiicitur quia Filium Dei se fecit; ast illa divinitatem in eo constantissime agnoscit et colit. Demortuum sepulcro infert, nec tamen dubitat revicturum. Caritas porro qua in Deum flagrat partecipem passionum Christi sociamque efficit; cum-*

[1] Luc., I, 45. — [2] In Luc., I. — [3] Obiici solent verba S. Io. Chrysostomi, ubi angelum introducit ita Virginem alloquentem (Homil. XLIX in Gen., n. 3, t. II, p. 164): *Qua de causa dubitas, eadem de causa crede,* ὥστε διὰ ἃ ἀπιστεῖς, διὰ αὐτὰ πίστευε. At dici potest *dubitantem* hic poni pro *valde admirantem*. Vide cit. Nic. Marini, *Le macchie apparenti in S. Gio. Crisost.*, p. 59. — [4] Cf. tr. de Incarnatione, P. I, Quaest. VII, art. 4, vol. I, p. 317. — [5] Io., II, 5. — [6] Encycl. *Ad diem illum* 11 Febr., 1904.

que eo, sui veluti doloris oblita, veniam interfectoribus precatur, quamvis hi obfirmate inclamant: SANGUIS EIUS NOS ET SUPER FILIOS NOSTROS.

Denique idipsum egregie commentatur Dionysius Cartusianus, dum spiritualem Mariae pulcritudinem, ex virtutum splendore refulgentem, commendat. Maria, ait [1], speciosa fuit *in pulcritudine spirituali supernaturali, videlicet, in decore gratiae ac virtutum, in splendore sapientiae, in luce discretionis, et in omni perfectione interna, fuit ineffabiliter summa et eminens; nec exprimi valet quantum in saeculo isto quotidie in praedictis profecerit. O quam certissima et illuminatissima fuit in fide, quam firma in spe, quam ardentissima in caritate, quam sublimis in contemplatione sapientiae, quam summa in omni morali ac intellectuali virtute!*

8. — Virtutes morales in Beata Virgine. — Nec minus diserte morales Mariae virtutes Patres vel ecclesiastici scriptores extollere contendunt. Ut autem hic pauca tantum commemoremus, sic Deiparae *castitatem* commendat S. Hieronymus [2]: *Tu dicis Mariam virginem non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali coniugio virgo filius nasceretur*: quocirca, legimus etiam scriptum [3] quod *pulcritudo Beatae Virginis intuentes ad castitatem excitabat.*

Pariter, singularem *humilitatem* Beatae Virginis exaltat S. Bernardinus Senensis, sequentibus verbis [4]: *Sicut nulla post Filium Dei creatura tantum ascendit in gratiae dignitatem, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profundae.* Hanc autem virtutem potissime professa est Maria cum Dei Mater iam effecta, et beata ab Elisabeth praedicata, ita demisse de seipsa sensit, ut exclamaret [5]: *Respexit humilitatem ancillae suae.* Ex quo S. Bernardus concludit [6]: *Si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis*; con-

[1] In Solemn. Assumpt. B. M. V., Sermo I, Tornaci, 1906, t. XXXII, p. 312. — [2] ADVERSUS HELVID. DE VIRGIN. MARIAE, t. II, P. I, col. 227. — [3] APUD SPINELLI, M. DEIP., c. XIV, n. 6. — [4] SERM. IV, DE B. M. V., art. 1, c. 3, ed. cit., p. 87. — [5] LUC., I, 48. — [6] HOMIL. I, SUPER *Missus est*, t. I, fol. 8.

sequenter fideles vehementer hortatur [1]: *Obsecro vos, filioli, aemulamini hanc virtutem, si Mariam diligitis.*

Spiritum quoque *paupertatis*, quo movebatur in suis actionibus gloriosa Deipara, et quem potissime manifestavit quando pauperum oblationem in templo perfecit, scilicet par turturum, aut duos pullos columbarum [2], auctor *speculi Beatae Virginis* tanquam solamen indigentibus exhibet his verbis [3]: *Quicumque pauper est... multum consolari potest de paupertate Mariae et de paupere Christo.*

Sed et *obedientiae* praeclara specimina Virgo praecipue exhibuit, cum ancillam Domini se esse declarans, meruit Mater Dei fieri. Ad quod alludens S. Irenaeus, ait [4]: *Quemadmodum...* (Eva) *inobediens facta, et sibi et universo generi humano causa facta est mortis, sic et Maria... obediens, et sibi et universo generi humano causa facta est salutis.*

Denique silenda non est Mariae *patientia*, quae talis ac tanta fuit, ut propter ipsam titulo *Reginae Martyrum* ab Ecclesia decoraretur: unde S. Bonaventurae dicere licuit [5]: *Crucifixa Crucifixum concepit.*

Sed maxime commemoranda est, ac summis extollenda laudibus singularis omnino ac pene infinita Mariae *misericordia*, ob quam illam non minus dulciter quam veraciter compellamus *Matrem misericordiae*: quam dotem ecclesiastici scriptores certatim extollere contendunt, cuius radix perbelle describitur in hac antiphona Officii Immaculati Cordis B. M. V., sub titulo Refugium peccatorum: *Cor Mariae in affectum compassionis et veniae transiit, quando misericors Deus in ea corporaliter requievit;* et iterum: *Cor Mariae misericordia repletum est, quando, Iesu Cruci affixo, ipsa propius stans, peccatores adoptavit* [6].

[1] Sermo de B. M. V., *in Signum Magnum*, ibid., fol. 100. — [2] Luc., II, 24. — [3] 3. Lect. IV, T. VI, inter opp. S. Bonav. — [4] L. III adv. Haeres., c. 22, n. 4, t. I, p. 219, 220, Venetiis, 1734. — [5] Pro fest. B. V. M., s. VIII, a. 2, c. 1. — [6] Antiph. 1ª et 2ª. Officium hoc, quod in pluribus dioecesibus Galliae, cum Missa, recitatur, institutum est ad celebrandas innumerabiles prorsus gratias, intercessione Beatae Virginis, in eius percelebri sanctuario, cui nomen *A Victoriis*, Parisiis, obtentas.

9. — **Scholion.** — Et haec quidem praelibasse sufficiet circa rem quam sacri scriptores infinitis pene modis illustrarunt [1], et quae devota mente satius concipi quam verbis exprimi potest. — Ubi tamen duo occurrunt advertenda: *primum*, cum virtutes, utpote sorores, licet gradu inaequales, proportionaliter crescant in anima, ex quo Deipara Virgo in Evangelio exhibetur unam vel alteram virtutem ineffabiliter exercuisse, fas est inferre illam ceteras similiter virtutes in mensura proportionaliter aequali possedisse, eo magis quod caritas, a qua omnes virtutes imperantur, nullam vel tenuissimam imperfectionis umbram in ulla earum tolerasset.

Secundo, cum virtutes sint ad invicem intime connexae [2], ut meritum et splendor virtutum gloriosae Reginae nostrae rite perpendantur, non satis est unamquamque singillatim inspicere, sed considerandae sunt in mutua earumdem relatione, quemadmodum diversae notae unius eiusdemque concentus. Igitur singulae illius virtutes, praeter proprium nitorem, aliud etiam iubar accipiebant tum ex caritate, tum ex aliis utcumque concomitantibus virtutibus: adeo ut ipsi, post Christum apprime conveniant verba [3]: *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis* [4].

10. — **De fide Beatae Mariae Virginis contra Lutherum et Erasmum.** — Hic autem rei necessitas postulat ut errores Lutheri et Erasmi circa Deiparae fidem specialius refutentur. Quorum ille Deiparae fidem impugnavit, non quidem quoad substantiam, sed quoad perfectionem, contendendo quod centurio maiorem quam Maria fidem habuerit, propterea quod Dominus dixerit [5]: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* Hic vero posuit Mariam, non statim ac Filium peperit, illum adorasse, contendens non constare illam natum Redemptorem tanquam Deum tunc

[1] Vide, inter alios, Theoph. Raynaud. *Diptycha Mariana*, P. II, puncto quinto. — [2] Cf. 1 2ae, Quaest. LXVI, art. 2. — [3] Ps. XLIV, 9. — [4] Cf. R. P. Terrien, La Mère de Dieu, t. II, p. 230, qui hoc argumentum, more suo, eleganter et magno devotionis affectu persolvit. — [5] Matth., VIII, 10.

cognovisse. — At horum positiones rite a Suarez [1] haereticae vocantur, quippe quae universae Ecclesiae traditioni et sensui repugnant.

Revera, quod ad priorem illum locum attinet, notandum est, cum eodem Suarez, Christum non comparasse centurionem cum omnibus et singulis qui in ipsum ex populo iudaico crediderunt, sed tantummodo cum illis quibus praedicabat et inter quos miracula patrabat, qui exinde fidem in Christum perceperant. Quos inter excelluit centurio, vel absolute, vel proportione quadam, hoc sensu quod homo antea gentilis, et cognitione Scripturae ac traditionis carens, facilius et constantius multis iudaeis crediderit. Quocirca hoc non obstat quominus non modo Beatissima Virgo, sed etiam Simeon et Anna, sanctus Ioannes Baptista aut Magi, et maxime sanctus Ioseph aliique plures, maiorem in Christum fidem prae illo centurione habere potuerint.

Quod autem Christum recens natum Beata Virgo tamquam Deum adoraverit, non est ambigendum, cum divinis eloquiis didicisset ilium, qui ex se nasciturus erat, futurum esse Sanctum et Filium Altissimi: unde si S. Elisabeth iam ante partum Mariam vocavit *Matrem Domini sui* [2], multo magis ipsa Beata Virgo credenda est *ipsum, quem genuerat*, reverenter *adorasse* [3].

11. — **Quaestio I.** — *Utrum in triduo mortis Christi in sola Beata Virgine fides permanserit?*

Resp. I. *Negative*, si agatur de substantia fidei christianae, videlicet circa articulos a Christo praedicatos, et potissime circa divinitatem et resurrectionem eius. Hanc veritatem ita tradit Melchior Canus [4]: (Quidam aiunt) *apostolos in universum omnes fidem perdidisse.... id quod non cum ratione solum, sed etiam cum Sacris Litteris pugnat.* Quod explicitius tradit B. Bellarminus [5]: *Sane videtur periculosum dicere in sola Virgine mansisse veram fidem: tum quia*

[1] In 3 P., Disp. XIX, Sect. 1, Dub. 1. — [2] Luc., I, 43. — [3] Antiph. ad *Magnif.*, in 1 Vesp., Purif. — [4] L. IV de Locis theol. c. 5. Parisiis, 1688. p. 206. Legendum est totum illud caput, ubi adversariorum argumenta auctor egregie refellit. — [5] L. III de Eccl. milit., c. 17. De Controv., t. I, col. 1330. Ingolst., 1586.

Ecclesia periisset; non enim una persona potest dici Ecclesia. cum Ecclesia sit populus et regnum Dei, tum etiam quia tunc illi qui aberant a Hierusalem, et usque ad illud tempus habuerant veram fidem, mox illam amisissent sine sua culpa. cum ignorarent ea quae circa Christum erant facta. Caeterum plures sunt, etiam ex iis qui Christi passionem et mortem cognoverant, praeter Beatam Virginem, quos in fide non vacillasse Scriptura innuit, ut sunt Nicodemus, Ioseph ab Arimathaea, Maria Magdalena et aliae piae mulieres.

II. Si autem agatur de perfecta fidei integritate, exclusiva omnis nutationis et defectus, dici potest in sola Beata Virgine eam mansisse; quo sensu intelligi possunt ea quae leguntur in *Sermone de Assumptione* qui a quibusdam S. Bernardo falso attributus est [1]: *In ipsa enim sola, in triduo illo fides Ecclesiae stabat; et dum unusquisque haesitabat, haec, quae fide concepit, fidem quam a Deo semel suscepit nunquam perdidit, speque certissima Domini resurgentis gloriam expectavit.* Similia habet auctor quidam, sub ementito nomine S. Bonaventurae [2]: *In ea sola remansit fides in ipsa die sabbati, et propterea dies sabbati attribuitur ei.* Quibus consentit S. Thomas dicens [3]: *Servamus* (sabbatum) *in veneratione Virginis gloriosae, in qua remansit tota fides tali die in morte Christi*; qui iterum, commentans hunc Isaiae locum [4]: *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum*, observat signanter dici *vir*, propter Beatam Virginem, in qua fides nunquam defecit. Hac de causa, in officio Hebdomadae Sanctae, dum omnes candelae exstinguuntur, una tamen accensa servatur in honorem fidei Deiparae, quae integra absque omni defectu permansit; unde et in revelationibus S. Birgittae legimus Beatam Virginem de seipsa dixisse [5]: *Non consui linteum: sciebam enim pro certo quod in tumulo non putresceret* (corpus Christi).

Igitur cum apostoli, visis iis quae circa Christum in eius passione agebantur, *scandalum*, sicut Christus prophe-

[1] SERM. VII. INT. OPP. S. BERN. At plura in illo sermone inveniuntur omnino inepte dicta. — [2] L. MEDIT. VITAE CHRISTI, c. 84, T. VI. — [3] OPUSC. III IN 2 PRAEC. CHAR. ET IN 10 LEG. PR.; DE 3ª PR., Ed. Parm., 1865. t. XVI, pag. 105. — [4] LXIII, 3. — [5] L. II, c. 21.

taverat [1], *paterentur*, et aliqualiter haesitabundi circa fidem vacillantes, *unusquisque dispergeretur in sua propria, et Christum solum relinquerent* [2], quin tamen formaliter infidelitatis malum incurrerent, Deipara e contra nullo modo in fide nutavit aut scandalum passa est, sed iuxta Crucem Domini fidelissima constanter perseverans, divinitatis Filii sui, simulque collati ab eo humano generi beneficii, testis invicta permansit.

12. — Quaestio II. — *Utrum Beata Virgo habuerit virtutes liberalitatis et magnificentiae?*

Dubitandi ratio ex eo desumitur quod Beata Virgo pauperrima fuerit ideoque caruerit divitiis quas liberali manu in pauperes erogaret, vel in magnos sumptus elargiretur. — Attamen, *affirmative* respondendum est, inspecta scilicet formali virtutis ratione, propterea quod formale huiusmodi virtutum in eo consistit quod divitias quis ita parvipendat, ut eas nolit retinere praetermittendo bonum rationis. Quapropter, etiam deficientibus divitiis, possunt huiusmodi virtutes adesse, si animus ita sit dispositus, ut promptus sit illarum actum exercere, secundum quod sibi conveniens esse possit. Unde Deipara, sicut eius Filius, licet divitias adeo contempserit ut pene nihil sibi retinuerit, animum tamen ita affectum habuit, ut libentissime bona temporalia, si illa habuisset, ad magna opera complenda expendisset [3].

13. — Quaestio III. — *Utrum Beata Virgo habuerit virtutes temperantiae et continentiae?*

Resp. Quoad *temperantiam*, affirmative, hac de causa, quod cum temperantia sit circa pravas concupiscentias non admittendas, ideo ista virtus tanto perfectior in homine invenitur, quanto magis pravis concupiscentiis vacat: Deipara autem huiusmodi concupiscentias non habuit, cum fomite etiam peccati caruerit [4]. Quapropter, scribit aliquis auctor [5]: *Nunquam Maria tantam gratiam invenisset, nisi*

[1] Matth., XXVI, 31. — [2] Io., XVI, 32. — [3] Cf. Tract. nost. de Incarnat., P. I, Quaest. VII, art. 2, n. 6. — [4] Ibid. — [5] Spec. B. M. V., lect. IV, inter opp. S. Bonav.

gratia Mariam in cibo et potu temperatissimam invenisset; non enim se compatiuntur gratia et gula.

Quoad *continentiam* autem, negandum est; quia continentia non est virtus, sed quid minus virtute, in hoc a temperantia distinctum, quod continens ille sit qui actu patitur pravas concupiscentias: Deipara autem omnino expers exstitit ab huiusmodi miseriis [1].

14. — Quaestio IV. — *Utrum Beata Virgo habuerit virtutem poenitentiae?*

Non est hic sermo de actibus exterioribus poenitentiae, quos utique Beatissima Virgo, suum Filium imitata, creberrime exercuit, non pro propriarum culparum, sed pro mundi peccatorum expiatione. Maria enim, ait Richardus a S. Laurentio [2], *non invenitur in terra suaviter, id est voluptuose et delicate, viventium.* Hoc sensu ab antiquis etiam scriptoribus vocatur *verae poenitentiae magistra*, et de ea scribens S. Ambrosius, ait [3]: *Quid exsequar ciborum parcimoniam in Maria, officiorum redundantium?... Illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos ieiunio dies*, etc.

At, sumpta poenitentia pro speciali illa virtute quae disponit animum ad emendandum peccatum per actum hominis cooperantis Deo ad suam iustificationem [4], respondendum est in Beata Virgine fuisse poenitentiam quoad habitum virtutis, non vero quoad actum.

Quod ostenditur ex eo quod etiam in Adam, in innocentia constituto, poenitentia adfuit secundum habitum, non secundum actum, ita quod ipse sic dispositus erat, ut si peccatum praecessisset, doluisset [5]; unde similiter, si in Beata Virgine peccatum personale praecessisset, ipsa elicuisset actum detestativum illius. Actum vero internum poenitentiae Beata Virgo non habuit, deficiente prorsus omni peccato: unde gaudium de carentia divinae offensae, aut propositum illam fugiendi, vel quid simile, non proprie ex virtute poenitentiae, sed potius ex virtute caritatis

[1] Tr. de Incarnat., IBID. — [2] L. IV DE LAUD. VIRG. — [3] L. II DE VIRG., c. 2. Cf. supra, art. 5, n. 7. — [4] 3, Quaest. LXXXV, art. 2. — [5] Tr. n. DE PRIMA HOMINIS FORMATIONE, Quaest. XCV, art. 3.

elicita esse dicenda sunt. — Et in hoc patet differentia inter Deiparam et Christum: hic enim, quia visione beatifica ab initio suae conceptionis donatus, physice impeccabilis fuit, ideo nec actum nec virtutem poenitentiae habuit [1]; Deipara autem ex speciali Dei adsistentia et sic extrinsece impeccabilis reddita est: unde poenitentiae virtutem, ceu habitum, etiam in patria mansurum, sicut et caeteras virtutes, habuit, non vero ceu actum [2].

15. — **Beatitudines et fructus.** — Cum virtutes et dona tam perfecte habuerit Beata Virgo, non est dubitandum quin etiam *beatitudines* et *fructus* plenissime possederit: cum enim per operationes virtutum, et praecipue per operationes donorum, magis magisque appropinquaret ad finem beatitudinis aeternae, ipsimet actus virtutum et donorum illam reddebant *beatam*, quasi secura iam esset de fine obtinendo. Rursus, istae operationes, utpote actus convenientissimi Deiparae operanti, magnam ei delectationem afferebant, ideoque in ea erant *fructus* Spiritus Sancti, quasi cuiusdam sancti feracisque seminis, licet per ordinem ad finem vitae aeternae, postea reddendae, *florum* rationem magis haberent, secundum illud [3]: *Flores mei, fructus honoris et honestatis* [4].

16. — **Scholion.** — Quae hucusque dicta sunt respiciunt virtutes per se infusas; at dicendum quoque Deiparam habuisse etiam virtutes morales per accidens infusas pro primo instanti suae conceptionis [5].

Ad quod intelligendum, sciendum est discrimen inter virtutes *infusas per se*, et virtutes *infusas per accidens*, quae quidem sunt *per se acquisitae*, in hoc consistere, quod obiectum formale illarum est bonum consideratum secundum regulam divinam, obiectum autem formale harum est bonum consideratum secundum regulam rationis humanae; unde illae quidem virtutes nonnisi per infusionem a Deo habentur, gratiam scilicet in nobis comitantes, hae autem propria

[1] Cf. Tr. DE INCARNAT., P. I, Quaest. VII, art. 2, n. 6. — [2] Cf. Tr. de Poenit., Quaest. LXXXV, art. 4. — [3] ECCLI., XXIV, 23. — [4] Cf. S. THOM., I 2ae, Quaest. LXIX et LXX. — [5] Cf. Suarez In 3 P., Disp. IV, Sect. 2.

hominis exercitatione acquiri possunt ex principiis naturalibus, licet Deus, auctor naturae, id in nobis producere valeat etiam absque nostra exercitatione, et propterea huiusmodi virtutes dicuntur acquisibiles per se et infusae per accidens [1].

Ratio autem ponendi huiusmodi virtutes per accidens in Deipara infusas statim ab initio eius conceptionis, est quia secus ipsa aliqua perfectione in suis operationibus ab initio caruisset, cum virtus sit quaedam *dispositio perfecti ad optimum:* aliunde, cum gratia non destruat naturam, sed quodammodo in ea fundetur, deficientibus virtutibus acquisitis, difficultas quaedam in potentiis remansisset, et ideo actus virtutum infusarum non ita perfecti processissent. *Habitus moralium virtutum infusarum,* ait S. Thomas [2], *patiuntur interdum difficultatem in operando, propter aliquas dispositiones contrarias ex praecedentibus actibus relictas, quae quidem difficultas non ita accidit in virtutibus moralibus acquisitis, quia per exercitium actuum quo acquiruntur, tolluntur etiam contrariae dispositiones* [3]. Quapropter, de Beata Virgine dici potest id quod de S. Ioanne Baptista scribit S. Ambrosius [4]: *Neque enim ullam infantiae sensit aetatem, qui supra naturam, supra aetatem, in utero situs matris, a mensura perfectae coepit aetatis plenitudinis Christi.*

17. — Quaestio. — *Utrum in Beata Virgine fuerint gratiae gratis datae?*

Gratia gratis data ita dividitur specifice contra gratiam gratum facientem, ut quemadmodum haec ordinatur ad actus meritorios tum internos, tum externos, ita illa ordinatur ad quosdam actus exteriores fidei manifestativos, ideoque potest esse etiam in eo qui gratia sanctificante careat.

Novem autem charismata comprehendit, quae ita describuntur ab Apostolo [5]: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae secundum eumdem Spi-*

[1] Cf. 1 2ae, Quaest. LXIII, art. 2 et 3; et Ibid., Quaest. LXII, art. 1. — [2] 1 2ae, Quaest. LXV, art. 3, ad 2m. — [3] Cf. quae de Domino Nostro scripsimus in Tract. de Incarn., P. I, Quaest. VII, art. 2, n. 7. — [4] L. II Comment. in Luc., c. 1, super illud: *Mansit autem Maria,* n. 30, Mediol., 1877, t. III, col. 45. — [5] 1 Cor., XII, 8, seq.

ritum: alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Quae quidem charismata omnia fuerunt excellentissime in Christo, quippe qui erat primus et principalis fidei Doctor [1]; at in aliis sanctis dividuntur, iuxta illud [2]: *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*

Porro, non est dubitandum quin Beata Virgo omnes gratias gratis datas habuerit, et quidem excellenter, quod satis innuisse videtur Angelicus Doctor [3], hac videlicet de causa, quia ita propinque ad gratiae auctorem accessit, ut reciperet in se eum qui est plenus omni gratia, et illum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivaret [4].

Attamen, subdit idem Angelicus [5], non omnium harum gratiarum usum habuit eo modo quo competit Christo, sed tantummodo secundum quod conveniebat conditioni ipsius. Nam habuit quidem usum prophetiae, sicut patet in Cantico quod fecit [6]: *Magnificat anima mea Dominum.* Similiter, sapientiae usum habuit in contemplando, secundum illud [7]: *Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo;* at quantum ad docendum, usum sapientiae non habuit, quia hoc non convenit sexui muliebri, secundum illud [8]: *Docere autem mulieri non permitto.* Usus quoque miraculorum Deiparae non competebat dum viveret, quia tunc temporis doctrina Christi confirmanda erat miraculis; et ideo soli Christo eiusque discipulis, qui erant baiuli [9] doctrinae Christi, conveniebat miracula facere; unde etiam de sancto Ioanne Baptista dicitur [10] quod nullum signum fecit, ut scilicet omnes Christo intenderent.

18. — Advertenda circa usum sapientiae et miraculorum in Beata Virgine. — Porro, ne quis ex hac S. Thomae do-

[1] 3, Quaest. VII, art. 7. — [2] 1 Cor., loc. cit., 11. — [3] 3, Quaest. XXVII, art. 5. — [4] Ad 1[m]. Idipsum docet B. Albertus Magnus, super *Missus est*, Q. CXII, seq. Opp. t. XX, p. 81. — [5] Ad 3[m]. — [6] Luc., I, 46, seq. — [7] Ibid., II, 19. — [8] 1 Tim., II, 12. — [9] Mediae latinitatis vox, quae idem significat ac *portatores*, seu praedicatores. — [10] Io., X, 41.

ctrina inducatur ad praefracte negandum in gloriosa Deipara omnem prorsus usum sapientiae et miraculorum, aliquid de utroque argumento hic adiecisse non pigebit.

Et primo quidem, quod attinet ad usum sapientiae, digna sunt quae referantur cardinalis Caietani verba, S. Thomam commentantis [1]: *Quoad actum doctrinae*, ait, *negatum a Beata Virgine, adverte quod, quia theologia solida fundatur super Scriptura Sacra, et nullibi in ea reperitur Beatam Virginem docuisse, sicut nec Christum locutum linguis, ideo, sicut affirmamus Christum non usum gratia linguarum in loquendo, eadem ratione affirmandum est, Beatam Virginem non docuisse, praesertim cum apostolica auctoritas hoc interdictum mulieribus comprobet.*

Quod autem dicitur, ipsam instruxisse discipulos Christi de annuntiatione sua, et nativitate filii, et Magorum adventu, et similibus, ex Scriptura non habetur, sed habetur quod Spiritus Sanctus docuit apostolos omnem veritatem de spectantibus ad fidem, inter quae erat Christi conceptio ex Spiritu Sancto et nativitas ex Virgine, quae etiam in symbolo posita sunt. Posset tamen dici, quod non publica doctrina, sed familiari instructione, quam constat mulieribus non esse prohibitam, Beata Virgo aliqua particularia facta explicavit apostolis. Auctor autem secundum Scripturam Sacram loquitur, negans ab ea usum sapientiae quoad actum doctrinae.

Revera, ut accurate advertit idem Angelicus Doctor [2], potest quis uti sermone dupliciter: uno modo, privatim cum uno vel paucis familiariter colloquendo, alio modo, publice, alloquendo totam Ecclesiam. Et quidem hoc secundum mulieri non conceditur, quia propter sui sexus conditionem naturaliter est subdita viro, docere autem publice in Ecclesia ad subditos non pertinet, sed ad praelatos; praeterea, hoc cadere posset in detrimentum honestatis, et aliunde mulieres communiter non sunt in sapientia perfectae, ut eis possit convenienter publica doctrina committi. Private autem gratia sermonis potest competere mulieribus; unde, addit idem Angelicus [3], mulieres, si gratiam sapientiae aut

[1] In loc. prox. cit. — [2] 2 2^{ae} Quaest. CLXXVII, art. 2. — [3] Ibid., ad 3^{m}.

scientiae habeant, possunt eam administrare secundum privatam doctrinam; unde omnino retinendum est gloriosam apostolorum Reginam illos primosque fideles edocuisse circa fidei mysteria quorum ipsamet pars magna fuerat [1].

Circa gratiam autem miraculorum, etsi retinendum sit Beatam Virginem, usque ad Christi ascensionem, nullum miraculum fuisse operatam, cum tamen miracula, quae quidem ad fidei confirmationem ordinantur, non necessario patrari debeant a solis fidei praedicatoribus, sed possint etiam a simplicibus fidelibus, Deo sic disponente, perfici, hinc dubitandum non est quin misericordiae Mater, ab aliquo Christi fidei in angustia posito fors exorata, enixe Deum pro eo intercesserit, et cum repulsam non patiatur, miraculose obtinuerit petitam gratiam. Sane haudquaquam credibile est, aut fideles ad Mariam viventem non recurrisse, aut gloriosam hanc Virginem, quae adeo se in misericordia divitem, labentibus saeculis, iugiter exhibuit, viscera sua petitioni fidelium ante assumptionem clausisse, aut Deum illius orationibus minus attendisse, aut denique nullum huiusmodi miraculum tunc temporis locum habere debuisse.

Articulus VII. — *De scientia beata Mariae Virginis.*

1. — Quotuplex sit scientia. — Acturi de perfectione intellectiva Beatae Mariae Virginis, quae est per scientiam, praemittere debemus triplicem generice distingui scientiam.

Cum enim de ratione scientiae sit ut dicat respectum ad obiectum suum, non quocumque modo, sed formaliter qua scibile est, ideo tot sunt scientiae, quot sunt rationes huiusmodi obiectum attingendi. Porro, ratio qua aliquod obiectum in aliqua scientia attingitur, est lux sub qua huiusmodi obiectum manifestatur et actu scibile redditur: quae pro nobis potest esse aut lumen intellectus agentis secundum species phantasmatibus proportionatas, aut lumen quoddam superius infusum secundum species excedentes proportionem

[1] Vide quae scripsimus in Op., *L'Immaculée Mère de Dieu, Corédemptrice du genre humain*, c. 18.

phantasmatum, aut denique lumen quod sit ipsamet divina Essentia, in qua, veluti in simplicissima specie, res videantur.

Et secundum hoc, alia est scientia *acquisita*, alia scientia *indita* vel *infusa*, alia *beata*. Et illa quidem prior connaturalis est nobis in statu viae, cum omnis nostra naturalis cognitio hic incipiat a sensu et sit proportionata phantasmatibus corporis; dividitur autem specifice in tot scientias, quot sunt gradus abstrahibilitatis a materia, verbi gratia, in physicam, mathematicam, metaphysicam, etc. Secunda autem scientia connaturalis est angelis, quibus hoc ipsum quod est intelligere, non fit per abstractionem a phantasmatibus, sed divinitus per immissionem specierum rebus proportionatarum, quae quidem scientia iterum multiplex est, secundum differentiam specificam huiusmodi specierum. Denique scientia beata connaturalis est soli Deo, qui seipsum unico simplicissimo actu intelligit, unde haec scientia per alias species ulterius non dividitur.

Quae cum ita sint, speciatim de Deipara, utique hanc mortalem vitam degente, inquirendum erit, utrum et quomodo habuerit scientiam *beatam*, scientiam *infusam* et scientiam *acquisitam*. Igitur, in hoc articulo, agemus de scientia beata in Maria; in altero vero de scientia infusa et acquisita, et quidem, considerata Deipara secundum statum praesentis vitae.

2. — PROP. I. — Beata Virgo non habuit permanenter in hac vita scientiam beatam, seu visionem beatificam.

3. - Prob. — Revera, possessio permanens visionis beatificae hominem constituit extra viam, et ponit in statu termini. Atqui Beata Virgo, hanc vitam agens, fuit viatrix. Ergo non gaudebat modo permanenti visione beatifica.

Quod Beata Virgo fuerit viatrix, certissima est sententia a qua discedere fas non est; praesertim cum, ut supra diximus [1], gratia in ea iugiter sit aucta, quod esse non posset, si extra viam fuisset posita. Demum, haec est potissima differentia, ex capite gratiae, inter Christum et ceteros

[1] Art. 5, n. 12.

homines, quod ille, utpote primum principium reductivum hominum in Dei visionem, hanc habere debuerit ab initio: id enim quod est in potentia non reducitur in actum, nisi per id quod est actu [1].

4. — **Scholion.** — Diximus autem *permanenter*: per quod implicite significatur, Deiparam aliquando in vita sua mortali Deum essentialiter videre potuisse. Sane, sicut Moysi et Paulo Dei visio per essentiam modo transeunti aliquando probabiliter dicitur concessa [2], ita probabilissimum ducimus Beatam Virginem idem privilegium solemnioribus vitae suae mortalis temporibus, non permanenter, sed modo transeunti obtinuisse, verbi gratia, in Incarnatione Domini, in eius Nativitate, Resurrectione et Ascensione; quae tamen visio, quia non fiebat per lumen gloriae, quod est habitus permanens, ideo non impediebat quominus Beata Virgo maneret viatrix. Huius autem rei rationem reddit S. Thomas [3]: *Rationabiliter creditur quod illa quae genuit Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis, prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit.*

Accedit quod sicut nemo unquam in hac vita mortali tot et tanta passus est, quanta passa est Beatissima Virgo Maria, ita nemini tanta consolatio danda fuit, quantam ipsamet accepit: unde dici potest et perfectius et frequentius vidisse divinam Essentiam, quam ipsimet Moyses et Paulus. — *Credendum est*, ait S. Bernardus [4], *Christum frequenter Matrem suam ad montem myrrhae et ad collem thuris sublimasse, in cellam vinariam occultasse, et gloriam deificam et supercaelestem revelasse.*

At praecipue advertendum est, Beatam Virginem quodammodo fuisse, sub Christo et per Christum, principium salutis nostrae, in quantum videlicet Redemptorem genuit,

[1] 3, Quaest. IX, art. 2. — [2] 1, Quaest. XII, art. 11. Cf. Bannez, in hunc artic. S. Thomae. Non satis autem fundata, ut a nobis possit accipi, illorum opinio videtur, qui hoc privilegium aliis quam Moysi, Paulo et Deiparae tribuunt, puta Adae, sancto Ioseph aut sancto Benedicto. Cf. clarissimum P. Buonpensiere, O. P., Comment. in hunc artic. Summae Theologicae. — [3] 3, Quaest. XXVII, art. 1. — [4] Serm. II de Virg.

aluit et obtulit: unde, sicut Christus, in vita mortali, debuit gaudere visione beatifica, eo quod homines ad finem beatitudinis, qui in hac visione consistit, perducere debebat, ita decuit ut Maria, saltem aliquando Deum per essentiam videret, quatenus ex hac visione munus suum intercedendi pro genere humano plenius et efficacius posset exequi.

5. — **Quaestio.** — Porro quia, ut innuimus, probabile reputandum est Beatam Virginem, in Christi resurrectione, Deum per essentiam vidisse, hinc opportune hic quaeretur, primo, utrum Christus resurgens primo apparuerit Matri suae; secundo, utrum tunc ei manifestaverit divinitatem suam. — Primum negant ex modernis nonnulli, inter quos P. Alexander Bassi, M. O. [1], et Aug. Nicolas [2]; Hyacinthus vero Serry vult sententiam hanc saeculo tantum decimo secundo originem habuisse [3].

At, contra, respondendum est, catholice teneri posse Christum, a mortuis resurgentem, dilectissimae suae Matri primo apparuisse: licet enim nihil hac super re in Sacra Scriptura legatur, potest tamen haec veritas dici sat clare in traditione contenta, ut tanquam catholica retineri valeat. Hinc statuimus

6. — PROP. I. — **Resurgens Christus Matri suae primo apparuit.**

7. — **Prob.** — Imprimis, auctoritas adest S. Ambrosii, qui ait [4]: *Vidit Maria resurrectionem Domini; et prima vidit, et credidit. Vidit et Maria Magdalena, quamvis adhuc ista nutaret.* Porro, quod de Virgine Matre loquatur Doctor Mediolanensis, patet ex hoc quod de ea verba illa recitat, de qua paulo antea dixerat: *Conservabat Maria, ut legimus, omnia in corde suo quae de Filio dicebantur.* Similiter, apud Sedulium, qui saeculo quinto floruit, haec leguntur [5]:

[1] In op. STUDI CRITICI SULLA VITA DELLA VERGINE, lez. XXX. — [2] In op. LA VIERGE SELON L'EVANGILE, cap. XX. — [3] Exercitationes... de Christo eiusque Virgine Matre. Exercit. LX, n. VII. — [4] DE VIRGINIT., c. III, n. 14, t. IV, p. 278. Mediol., 1879. — [5] L. V, CARM. PASCHAL.

Discedat Synagoga suo fuscata colore,
Ecclesiam Christus pulcro sibi iunxit amore.
Haec est conspicuo radians in honore Mariae,
Quae cum clarifico semper sit nomine Mater.
Semper Virgo manet. Huius se visibus adstans
Luce palam Dominus prius obtulit, ut bona Mater
Grandia divulgans miracula, quae fuit olim
Advenientis iter, haec sit redeuntis et index [1].

Serius, id est, saeculo IX, Georgius Nicomediensis episcopus scribit [2]: *Divinorum magistrae* (Mariae)... *primae Filius resurrectionis claritatem ostendit.* Nec minus explicita est, saeculo XI, S. Anselmi auctoritas, qui testatur [3], Christum apparuisse *primo ac praecipue suae dulcissimae Matri.*

Potissime vero scholasticorum doctorum tempore veritas haec libere ac universaliter personari coepit in Ecclesia: sic pius auctor, sub ementito nomine S. Bonaventurae, ait [4]: *Ecce subito Dominus Iesus venit in vestibus albissimis, cultu sereno, speciosus, gloriosus et gaudens, et dixit Matri: Mater mea dulcissima, ego sum, resurrexi, et rursus tecum sum.* Pariter, S. Antoninus [5]: *Creditur, licet in Evangelio non habetur, quod ante omnes* (Christus) *primo apparuit Matri.*

8. — **Confirmatur.** — Ceterum, cum lex sit *nullum gratiae donum fuisse unquam sanctorum alicui concessum, quod Matri Virgini non fuerit largius uberiusque datum* [6], hinc pleno subscribendum calamo censemus his Suaresii verbis [7]: *Absque ulla dubitatione credendum est Christum, post resurre-*

[1] Attamen, respuenda sunt, tanquam scientia Deiparae minus digna, quae idem auctor antea cecinerat (L. IV):

Hoc luminis ortu
Virgo parens aliaeque, simul cum munere, matres,
Messis aromaticae, notum venere gementes
Ad tumultum.

[2] In S. Mariam, orat. IX. Migne, P. G., c. 1500. — [3] De Excell. B. V., c. 6. — [4] Medit. Vitae Christi, c. 85. — [5] Chronic., c. 7 de Christi resurrect., tit. 5. — [6] S. Sophron., Homil. in Deip. Cf. S. Thom., 3, Quaest. XXVII, art. 1. — [7] In 3, Disput. XLIX, Sect. I, t. II.

ctionem, primum omnium Matri suae apparuisse... Videtur hic fuisse perpetuus Ecclesiae sensus, quia nullum reperimus initium, quando hoc coeperit in Ecclesia doceri.

Quapropter, non abs re observat Ludolphus [1], Ecclesiam, ex hoc quod in die Paschatis stationem apud S. Mariam Maiorem posuerit, velut consecrare sua auctoritate voluisse piam fidelium traditionem, Christum Mariae, Matri suae, illa die, primo omnium apparuisse.

9. — Solvitur difficultas. — Obiicienti verba S. Marci [2]: *Surgens autem mane, prima sabbati, apparuit primo Mariae Magdalenae*, — facile *respondetur*, adverbium hoc, *primo*, non necessario referri ad verbum *apparuit*, sed referri posse ad Mariam Magdalenam, ad quam tunc prima vice Christus apparuit, cum certum sit illam aliis quoque apparitionibus laetificatam fuisse. At, nec infirmatur propositio nostra, dato etiam quod adverbium *primo* referatur ad verbum *apparuit* quasi haec fuerit omnium prima apparitio: equidem, prima omnium fuit, earum scilicet quae in Evangelio narrantur, non autem omnium absolute, ita ut apparitio facta Mariae Magdalenae sit prima earum quae in Evangelio recensentur, quidquid sit de aliis apparitionibus de quibus Evangelista ex professo tacuit, quas referre ad munus suum minime pertinebat.

10. — Cur de huiusmodi apparitione silent Scripturae. — Quaerenti demum cur haec apparitio in Evangelio silentio prematur, *responderi* potest cum S. Bernardino Senensi [3], hoc fuisse ob tres praecipue rationes: primo, ne quis putaret Christum Matri suae apparuisse ob necessitatem illius fidei roborandae, quo modo, Apostolorum et fidelium debili fidei providit; secundo, quia cum apparitiones, quae ab Evangelistis recensentur, ad nostram de Christi resurrectione fidem confirmandam ordinentur, hunc finem certe haudquaquam obtinuisset narratio de apparitione Christi resurgentis ad Mariam, cuius testimonium, ob maternum amorem, tanquam suspectum habitum fuisset; tertio, quia Christi ad

[1] Vita Christi, II P. C. LXX, 6. — [2] XVI, 8. — [3] Sermo LVIII, c. 3.

Matrem suam apparitio, utpote altioris ordinis, sublimior erat, quam ut posset verbis exprimi: potest enim, ut diximus, rationabiliter credi Christum tunc se Mariae videndum exhibuisse, non solum quantum ad corpus et animam, sed etiam quantum ad divinitatem, facie ad faciem. Hinc statuimus

11. - PROP. II. — **Christus resurgens suam divinitatem Mariae monstravit.**

12. — **Ostenditur.** — Sicut ipsa Christi gloriosa resurrectio, cum ad supernum ordinem pertineret, a nullo hominum conspecta est, ita haec Christi ad Matrem suam apparitio, cum nihil haberet cum rebus huius mundi commune, ab hagiographis silentio premi debuit. Ceterae vero redivivi Salvatoris apparitiones, non solum factae sunt personis vita hac mortali utentibus, sed etiam Christo ipso gloriam suam, sub specie hominis viatoris, imo aliquando etiam mutata hac specie abscondente, sicut cum duobus discipulis in Emmaus euntibus aut Magdalenae sese exhibuit videndum: quocirca, rite apparitiones huiusmodi litteris novi Testamenti fuerunt consignandae, non autem apparitio Christi ad Matrem suam.

Porro, ex Evangeliorum circa Mariam, Matrem Dei, hoc tempore, silentio, altius quid circa eam licet inferre. Enimvero, dum de inquisitione Mariae Magdalenae, aliarum mulierum, nenon Petri et Ioannis, atque de apparitione Christi ipsis facta, apud Evangelistas sermo longior instituitur, nihil e contra de Maria, vera Christi Matre narratur: siquidem, non legitur vel quod ad sepulcrum perrexerit, aut quod aliquod nuntium acceperit. Quid autem sibivult hoc, nisi quod in speciali quodam ordine seorsim collocata, ampliori gratia fuerit donata, scilicet non solum Christi humanitatem viderit, sed etiam contemplatione eius divinitatis beata visione fuerit donata: quam tamen rem Virgo prudens nulli hominum revelavit, quasi sibi soli secretum suum servare voluerit, quae etiam Incarnationis mysterium ne sancto Ioseph quidem patefacerat.

13. — **Conclusio.** — Concludendum igitur, Christum resurgentem, antequam cuivis ex Apostolis aut discipulis ap-

pareret, se Mariae corporaliter videndum praebuisse eique divinam suam essentiam exhibuisse; quinimmo verisimile omnino est, eumdem dilectissimae Matri, quadraginta dierum decursu, quibus ante Ascensionem suam in terris versatus est, pluries sese praesentem ostendisse, et cum ea dulciter fuisse collocutum.

Articulus VIII. — *De scientia indita et acquisita Beatae Mariae Virginis.*

1. — Ratio articuli. — Exclusa in Beata Virgine, dum huius vitae usura frueretur, praesentia, modo permanenti, scientiae beatae, sequitur ut inquiramus quo pacto fuerint in ipsa scientiae, hinc quidem infusa vel indita, illinc vero acquisita. At, primo loco, oportet sedulo distinguere priorem scientiam, in inditam vel infusam per se, et inditam vel infusam per accidens.

2. — Quid sit scientia infusa per se, et infusa per accidens. — Scientia per se infusa illa est, ut supra innuimus, quae est per lumen divinitus infusum, excedens phantasmatum proportionem; unde propria angelorum est, vel eorum qui sunt sicut angeli, quales sunt animae corporibus exutae et beati in caelo. Scientia autem infusa per accidens ea est quae divinitus quidem infunditur, at secundum phantasmatum proportionem; ideoque per se acquisibilis est, et est eiusdem speciei ac scientia quam sensuum exercitatione acquirimus, quemadmodum ait S. Thomas [1], oculi quos caeco nato Christus dedit, eiusdem rationis fuerunt cum oculis quos natura producit.

3. — PROP. I. — Beata Virgo α) non habuit permanenter scientiam per se infusam; β) scientiam autem per accidens infusam habuit de pluribus per modum propheticae revelationis.

4. — Prob. 1ª Pars. — Scientia per se infusa ponitur perfectio intellectus possibilis, non simpliciter et absolute.

[1] 1, Quaest. XCIV, art. 3, ad 1ᵐ.

nam in statu viae intellectus possibilis satis perficitur ex eo quod ex phantasmatibus, ope sensuum acquisitis, intellectus agens abstrahit speciem intelligibilem, qua instructus, intellectus possibilis actu intelligere valeat: sed scientia per se infusa est perfectio intellectus possibilis, quatenus anima iam visione beatifica donata, omnino supra sensus corporis elevatur, angelis similis effecta in spiritualitate et in modo intelligendi: unde etiam ponitur perfectio animae Christi Domini, qui ab initio suae conceptionis fuit comprehensor [1]. Atqui Beata Virgo in hac vita mortali fuit simpliciter viatrix. Ergo sicut non habuit visionem beatificam modo permanenti, ita etiam non habuit, saltem regulariter, scientiam inditam per se, quae ex illa quodammodo defluit.

5. — Corollarium. — Ex hoc sequitur, Beatam Virginem in hac vita mortali non vidisse angelos per essentiam, cum hoc sit proprius actus scientiae per se infusae. Revera, obiectum connaturale intellectus humani in statu unionis est quidditas rei in materia, unde nec primus homo, in statu iustitiae originalis, poterat angelos per essentiam videre [2]; et licet utique apparitio angeli, puta quae in Annuntiatione facta est, nobilior fuisset si Deipara illum intellectuali visione per essentiam vidisset, quam quod visione tantum corporali eum creverit, eius tamen status hoc non patiebatur, quod angelum tunc per essentiam adspiceret [3].

6. — Scientiam infusam per se habuit Deipara modo transeunti. — Potest tamen concedi Beatam Virginem scientia infusa per se ex divina largitate gavisam interdum fuisse, non quidem permanenter, ut diximus, hoc enim non videtur esse consentaneum statui hominis vitam mortalem degentis, cum potius sequela sit visionis beatificae, ut diximus, sed transeunti quadam collustratione. Si enim haec scientia aliquibus prophetis et sanctis aliquando videtur

[1] 3, Quaest. IX, art. 3. Cf. ea quae scripsimus in TRACT. DE INCARN., in hunc locum, nn. 4 et 5. — [2] 1, Quaest. XCIV, art. 2. — [3] 3, Quaest XXX, art. 3, ad 1[m].

concessa, quo altius in contemplatione assurgere possent [1], multo magis dicenda est adfuisse in Deipara, quae prophetarum et Sanctorum omnium Regina existit. Quinimmo, si divinam Essentiam Beata Virgo transeunter vidit, multo magis scientiam per species pure intelligibiles, supra phantasmatum facultatem, habere interdum potuit [2].

7. — Prob. 2ª Pars. — Ad hoc ut Beata Virgo in momento suae conceptionis seipsam disponeret ad iustificationem, gratiae consentiendo, necesse erat ut ea cognosceret, quae ad huiusmodi iustificationis motum requiruntur, scilicet ut haberet cognitionem sui et Dei, et caeterorum quae praeambula ad fidem dicuntur. Atqui haec omnia aliter cognoscere non poterat Virgo Beata, nisi eorum cognitio sibi a Deo infunderetur, utique supra capacitatem naturae, scilicet, vel supra phantasmata, vel saltem secundum proportionem phantasmatum. Item, ad Scripturarum intelligentiam, in qua, ut mox dicemus, potissime profecit gloriosa Virgo, necessaria erat plurium rerum cognitio, ut sunt quae ad aliqualem notitiam historiae, cosmogoniae, geographiae, poëseos, etc., pertinent. Quapropter ea dicenda est Beata Virgo accepisse per infusionem a Deo.

8. — Scholion. — Quaenam autem fuerit extensio huiusmodi scientiae per accidens infusae in Deipara, non facile potest assignari. Hoc tamen tuto definiri valet, scilicet, quemadmodum primus homo cognitionem sic infusam habuit de illis omnibus quae ad officium suum instituendi et gubernandi genus humanum pertinebant [3], ita Beata Virgo divinitus accepit cognitionem de illis omnibus quae ad eius dignitatem et officium, quatenus Dei Mater et Christi cooperatrix exstitura erat, spectabant, unde congrue esset Mater Dei et Coredemptrix generis humani. Hoc modo dici

[1] Cf. S. Theresia, LE CHATEAU DE L'AME, 7me demeure. — [2] Per hoc discedimus a sententia P. I. B. Terrien, LA MÈRE DE DIEU, etc. t. II, c. II, qui scientiam per se infusam permanenter ponere videtur in Deipara, cuius tamen rationes aliud non evincunt, nisi Beatam Virginem hanc scientiam habere potuisse motu tantummodo transeunti. — [3] 1, Quaest. XCIV, art. 3.

potest Maria apprime cognovisse sortes totius Ecclesiae, cuius Mater erat constituenda, quatenus pro hominibus, suis filiis, quorum necessitates probe notas habebat, pati et intercedere efficaciter posset.

Quocirca, sicut Adam non habuit infusam scientiam de iis quae ad gubernationem vitae humanae necessaria non erant, ut sunt hominum cogitationes, futura contingentia, necnon quaedam singularia, puta, quot lapilli iaceant in flumine [1], ita nec in Deipara ponenda est infusa scientia de iis quae sibi, sub praefato respectu, aliena erant. Est autem differentia inter Adam et Beatam Virginem, quod hanc scientiam ille habuit per modum habitus, ista autem per modum passionis transeuntis, seu propheticae revelationis [2].

9. — PROP. III. — Beata Virgo scientiam proprio marte comparavit.

10. — Exponitur. — Haec propositio resultat ex dictis: si enim aliqua tantum Deipara per infusionem cognovit, sequitur illam decursu temporis ad plurium cognitionem proprio ingenio devenisse. Sed et suadetur ex perfectione Mariae, quae habuit, sicut intellectum possibilem, quo est omnia fieri, etiam intellectum agentem quo est omnia facere per abstractionem a phantasmatibus. Porro, cum omnis res sit propter suam operationem, debuit Beata Virgo proprio labore scientiam acquirere per abstractionem a phantasmatibus, ope sensuum exteriorum collectis, et non solum per abstractionem a phantasmatibus, quae in scientia infusa habentur [3]. Quapropter Eadmerus ait [4]: *Multa... in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat* (Maria) *de mysteriis eiusdem Domini Nostri Iesu Christi.*

Quinimmo, et hoc dici potest, Beatam Virginem, ea quae antea scientia per accidens infusa cognoverat, postea usu et experimento didicisse: unde iuges profectus in ista scientia fecit, non solum quantum ad numerum scitorum,

[1] Ibid. — [2] Ex hoc tamen deduci non debet scientiam Deiparae cessisse scientiae Adae. Vide tr. n. DE PRIMA HOMINIS FORMATIONE, in locum cit., n. 11, p. 167. — [3] Cf. 3, Quaest. IX, art. 4. — [4] L. DE EXCELL. B. VIRG. MAR., c. 7.

sed etiam quantum ad modum sciendi, hoc sensu quod quae prius cognoscebat infusa scientia, postea per experimentum cognoverit [1].

Porro, ex hoc capite, scientiam potissime acquisivit Mater Dei ex assidua lectione et meditatione Sacrarum Scripturarum, uti plures ex Patribus testantur, et potissime Origenes, cum dicit [2]: *Habebat* (Maria) *legis scientiam et erat sancta, et prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognoverat.* — Notat autem opportune Dionysius Cartusianus [3], Mariam, cum nuntium habuit ab Angelo se futuram esse Verbi Matrem, certissime fidem habuisse expressam de Sanctissima Trinitate; cum enim angelus Gabriel hanc distincte expresserit, dicens: *Spiritus Sanctus superveniet in te*, etc., si Maria hoc mysterium nescisset, potuisset dicere quod in Actibus quidam responderunt Apostolo sciscitanti [4]: *Si Spiritum Sanctum accepistis, credentes? — Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus.*

11. — Quaestio I. — *Utrum Beata Virgo aliquid ab angelis didicerit?*

Resp. *Affirmative,* ut evidenter constat ex ipso Incarnationis mysterio Deiparae ab angelo revelato. — Nec obstat quod Beata Virgo superior esset angelis: superior enim utique erat quantum ad dignitatem Matris Dei; *sed quantum ad statum praesentis vitae, inferior erat angelis: quia et ipse Christus, ratione passibilis vitae, modico ab angelis minoratus est, ut dicitur* [5]; *sed tamen quia Christus fuit simul viator et comprehensor, quantum ad cognitionem divinorum, non indigebat ab angelis instrui: sed Mater Dei nondum erat in statu comprehensorum, et ideo de divino conceptu per angelos instruenda erat* [6]. Quod autem de revelatione mysterii Incarnationis dicitur, extendi potest ad alias illuminationes angelicas circa fidei nostrae mysteria: sive illuminationes huiusmodi haberentur per frequentia colloquia cum angelis

[1] Cf. 1, Quaest. XCIV, art. 3, ad 3[m]. — [2] Homil. VI in Luc., t. III, col. 1192, ed. Migne, t. X. — [3] Enarrat. in C. I Luc., art. 3. p. 389, Opp., Monstrolii, t. XI. — [4] Act., XIX, 2. — [5] Hebr., II, 9. — [6] 3, Quaest. XXX, art. 2, ad 1[um].

ipsi visibiliter apparentibus, sive etiam per internas collustrationes.

Revera, angelus potest illuminare intellectum humanum, non quidem eo modo quo superior angelus illuminat inferiorem, id est dividendo veritatem universalem conceptam secundum capacitatem inferioris angeli, sed intelligibilem veritatem homini proponendo sub similitudinibus sensibilium [1], et hoc modo angelus potuit illuminare Beatam Virginem. Sed et angelus potest assumere corpus, et in eo nedum apparere, sed etiam voces sensibiles efformare [2]; unde et angeli custodes aliquando perhibentur cum aliquibus sanctis, sicut S. Franciscae Romanae evenisse fertur, conversati. Hoc igitur privilegium Matri Dei omnino denegandum non fuit.

At in patria nullo modo Beata Virgo illuminatur ab angelis, cum sit supra omnes angelos, tanquam eorum Regina constituta: sed solum a Deo et a suo Filio illuminationem accipit [3].

12. — **Quaestio II.** — *Utrum Beata Virgo aliquid didicerit ab hominibus?*

Resp. Beata Virgo nihil ab hominibus didicit, sed tantum a Filio suo. Ratio est summa eius perfectio, tum corporalis, tum intellectualis; unde, cum illius sensus interni et externi essent ordinatissimi, sine ulla difficultate humana cognoscibilia, sibi convenientia, per seipsam inventione perfecte didicit, quemadmodum Christo eius Filio contigisse docet S. Thomas [4]. — Nec huic similitudini obstat quod Christus erat caput Ecclesiae et magister omnium hominum, unde a nullo debebat instrui: nam, secundum regulam latam a Cardinali Caietano [5], Mater Dei *similis* (debet) *credi Filio per omnia quantum fas est;* ideoque propter suam dignitatem et perfectionem, a nullo hominum, sed tantum a Filio suo, edoceri debuit.

Quod a nullo hominum Maria fuerit edocta, patet etiam ex hoc quod de Incarnationis mysterio non fuit instructa

[1] Cf. tr. de Angelis, Vol. II, Quaest. CXI, art. 1. — [2] Ibid., Vol. I, Quaest. LI, art. 2. — [3] Vide iterum Tract. n. de Angelis, Vol. III, Quaest. CVI, art. 1, n. 8. — [4] 3, Quaest. XII, art. 3. — [5] Opusc. de Spasmo B. V. M., Tract. XIII, t. II.

mediante viro suo, *sed mediante angelo*, ait S. Thomas [1]. Propter quod *etiam ipsa est prius instructa quam Ioseph; nam ipsa instructa est ante conceptum, Ioseph autem post eius conceptum.*

13. — **Solvuntur tacitae obiectiones.** — Nec obstat fugam in Aegyptum Deiparae per sanctum Ioseph nuntiatam fuisse: agebatur enim tunc non de instructione, sed de dispositione circa sacram Familiam, cuius cura sancto Ioseph commissa erat, ut, iuxta divinum beneplacitum, Iesu et Mariae securitati provideret [2]. — Obiicienti quoque Beatam Virginem didicisse futuram Christi passionem et suosmet dolores a sancto Simeone propheta, dicente [3]: *Ecce positus est hic*, etc., — respondetur, Deiparam iam per se cognovisse, ex Scripturarum assidua lectione, substantiam passionis Filii sui et suae ipsius maternae compassionis: unde hoc tantum Simeon verbis suis obtinuit, relate ad Mariam, ut acerbi illius futuri eventus in eius memoria profundius figerentur.

Ceterum, quae de infantia Virginis Mariae eiusque in scholis praesentia, ex evangeliis apocryphis deprompta leguntur, eodem censu reiicienda sunt, ac reiici debent similia quae de Christo ipso in iisdem libris reperiuntur: siquidem haec omnia, licet a pictoribus figurata et a poetis ornata, Christi eiusque Beatissimae Matris dignitati haud parum detrahunt [4].

At, ex quo gloriora Virgo divinum partum edidit, quis unquam dicere poterit quot caelestis doctrinae fluenta, ab ipso doctorum Magistro, attenta discipula receperit; potissime cum Incarnatum Verbum spatium triginta annorum

[1] 3, Quaest. XXX, art. 2, ad 2[um]. — [2] Ex hoc quod Deipara aliorum cogitationes per eorum locutionem didicerit, non sequitur illam ab hominibus edoctam fuisse: quandoquidem *communicare ea quae sunt a voluntate creata, in quantum huiusmodi, non est illuminare: non enim pertinet ad perfectionem intellectus mei quid tu velis vel quid tu intelligas, cognoscere, sed solum quid rei veritas habeat*, ait Angelicus, Quaest. CVII, art. 2. — [3] Luc., II, 34. — [4] Ex hoc sequitur haud probandas esse illas imagines in quibus exhibetur sancta Anna docens Beatam Virginem.

fere unice insumpserit Matri suae in caelestium rerum cognitione perficiendae. Unde non inconsulto S. Lucas, cum dixisset quod *Mater* (Iesu) *conservabat omnia verba haec in corde suo* [1], mox subdidit [2]: *Et Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines*; ut detur intelligi potissimum testem, et, ut poene dixerim, unicum principium receptivum benefici huius profectus Christi in sapientia et gratia, fuisse eiusdem sanctissimam Matrem, beatissimumque illius sponsum sanctum Ioseph.

14. — **Corollarium.** — Quae cum ita sint, iam constat, ex tribus potissime capitibus Matris Dei scientiam augmentum accepisse. *Primo*, ex proprio ingenio, necnon ex observatione multorum novorum effectuum quos experiebatur, ut puta, ex hoc quod sine viro concepit, sine dolore peperit. *Secundo*, ex angelorum illustrationibus, et maxime S. Gabrielis, qui, ut ait S. Ambrosius, Deiparam *revisere solebat*. *Tertio*, maxime ex familiari consuetudine cum divina sua Prole.

15. — **Amplitudo scientiae Beatissimae Virginis.** — Ex hisce apparet quam lata, larga, alta et profunda simul fuerit scientia Deiparae, cui etiam Ecclesia ea quae de aeterna Sapientia dicta sunt appropriat [3]; quae quidem scientia, Dei utique scientia devicta, ipsorum angelorum scientiam longe devincebat, non quantum ad modum sciendi, cum angelus, utpote immaterialis, superiorem cognoscendi modum habeat, sed quantum ad multitudinem cognitorum, necnon scientiae certitudinem [4].

Sub huius doctrinae luce facile intelligi possunt quae de Deiparae scientia scribunt passim sancti Doctores, puta S. Bernardus, cum dicit [5]: *Iure Maria sole perhibetur amicta, quae profundissimam divinae Sapientiae, ultra quam credi valeat, penetrarit abyssum; ut quantum sine personali unione creaturae conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur im-*

[1] C. II, 51. — [2] Vers. 52. — [3] Prov., VIII, et Eccli., XXIV. — [4] Cf. tr. de Incarnat., Vol. I, Quaest. XI, art. 4 — [5] Sermo de verb. Apoc. B. Io.

mersa. Illo nimirum igne prophetae labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur: longe vero aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis undique et circumfundi, et tanquam ipso igne concludi. Pariter, docet ex B. Alberto Magno, S. Antoninus [1], Beatissimam Virginem plenissimam habuisse tum supernaturalium, tum naturalium rerum scientiam.

Et certe, haec Deiparae scientia, ex parte cognitionis rerum theologicarum, superavit scientiam Salomonis, necnon scientiam ipsius primi hominis in innocentia constituti: decebat enim Beatam Virginem tantam rerum supernaturalium scientiam adipisci, ut posset, tanquam vera Dei Mater, fidei mysteria in Sacra Scriptura contenta, quantum viatori fas sit, penetrare, explicare, suadere. Quanquam ex parte rerum naturalium, potuit Beatae Virginis scientia, in aliquo particulari, Adae scientia vinci, puta in illis quae ad ipsius conditionem non pertinebant, quales sunt plures certarum artium notitiae, quas tamen Adam, utpote primus humani generis institutor, nosse debuit, et quas proinde a Deo infusas accepit.

16. — Maria, evangelistarum et apostolorum magistra. — Ex hoc etiam apparet, rite Deiparam vocari *magistram evangelistarum* [2], *matrem Ecclesiae atque magistram et reginam apostolorum* [3], non quidem externa et formali deputatione, sed privata et familiari instructione, ut iam monuimus; utpote quae praecipuas partes habuerit inter eos qui nascentis Ecclesiae historiam posteritati amandarunt, de quibus ait S. Lucas [4]: *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis.*

Quod passim ab auctoribus traditur. Sic. S. Bernardus ait [5]: *Ideo conceptus Elisabeth Mariae nunciatus est, ut dum nunc Salvatoris, nunc Praecursoris edocetur adventum, rerum tempus et ordinem tenens, ipsa melius postmodum scriptoribus*

[1] IV, tit. XV, c. 19, § II. — [2] Psalt. B. Mar. Virg. Cantic. Hymn. *Te Matrem,* inter Opp. S. Bonaventurae, t. VI. — [3] Leo XIII, in Encycl. *Adiutricem,* 5 Septem. 1895; acta Leonis XIII, t. XV, p. 300, seq. — [4] I, 2. — [5] Homil. IV, super *Missus est,* t. I, fol. 15.

ac praedicatoribus Evangelii reseret veritatem, quae et plene de omnibus a principio fuerit instructa mysteriis. Nec aliter Rupertus Abbas [1]: (Apostoli) *quidquid supplementi opus erat... vel testimonii ad confirmandos singulorum sensus quos acceperant ab eodem Spiritu Sancto.... ex religioso ore tuo perceperunt.* Et Lucius Dexter [2]: *Sacra Virgo Maria consilio et luce doctrinae collegio praesidet apostolico: nihilque grave faciunt illi, quod non eius consilio gerant.*

Praeclara sunt quae hac de re scribit S. Petrus Canisius [3]: *Rupertus*, ait, *docet duo tempora esse circa Mariae historiam in Evangelio descriptam consideranda: alterum quidem tacendi, cum Christus in terris ipse doceret; alterum vero loquendi, cum idem in caelos esset assumptus, ac iam res ipsa postularet non tacere, sed loqui sapientissimam Virginem, nimirum ut et Apostoli per illam instruerentur, et nova Ecclesia aedificaretur. Unde post adventum divini Spiritus, qui omnem docet veritatem, Maria in loquendi officio se fidam aliis matrem praestitit, multaque cum discipulis, et Ecclesiae sive capitibus sive membris, salutaria communicavit, mulier illa vere spiritualis, in quam recte convenit illud dictum in Canticis*: FAVUS DISTILLANS LABIA TUA, SPONSA, MEL ET LAC SUB LINGUA TUA, *etc. Vocat ergo Rupertus Mariam vere fidelem et veraciter magnae fidei Virginem, imo et Magistram Apostolorum.*

Dignus quoque est qui citetur Cornelius a Lapide [4]: *Hac enim de causa*, ait, *Christus Matrem sibi superstitem esse voluit, ut quasi sui vicaria columen esset Ecclesiae, doctrix apostolorum et consolatrix fidelium.* Novissime vero S. Congregatio Rituum, in decreto de insertione praeconii: *Mater boni consilii* in litaniis lauretanis, haec habet [5]: *Divinae sapientiae eloquiis instructa, ea vitae verba quae a Filio suo acceperat, et in corde servaverat, in proximos liberaliter* (Maria) *effundebat. Neque solum in nuptiis Canae Galilaeae huius norae Rebeccae consiliis acquievere ministri, sed et pias mulieres aliosque Domini discipulos atque ipsos sanctos apostolos eam audisse consiliatricem credere fas est.*

[1] L. IN CANTIC., t. II, Coloniae Agr., 1566, p. 6. — [2] IN CHRON., AD AN. CHRISTI XXXIV. — [3] De Maria Deipara Virg. incom., t. II, c. 19, p. 502. — [4] IN ACT., V, 42. — [5] 22 April., 1903.

17. — Difficultas. — Contra hanc Deiparae scientiam obiici posset sequens locus [1]: *Et ait* (Iesus) *ad illos: Quid est quod me quaerebatis? Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos.*

At facile *responderi* potest, hisce verbis certissime non significari quod Maria et Ioseph non cognoverint Christum esse Deum; sed quod nondum perfecte cognoscerent quonam ordine, quo modo, Christus suam missionem exsequi deberet. Sic enim Deus procedere solet, ut non simul omnia mysteria, iis etiam qui sibi carissimi sunt, revelet, sed tantummodo cum tempus ab eo sapienter praefinitum advenerit. Ceterum, in hoc admiratione digni sunt Maria et Ioseph quod, cum Christi agendi rationem non plene cognoscerent, a curiosa tamen inquisitione se abstinuerunt, humiliter expectantes donec huius mysterii rationem Christus ipse eos edoceret, quod mox factum fuisse credendum est, cum subditus illis [2], familiariter cum eisdem conversabatur.

Hisce cohaerenter deserendus est Salmeron, qui illa verba [3]: *Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te*, commentans [4], autumat Deiparae dolorem ortum fuisse ex timore cuiusdam negligentiae in servando tanto deposito admissae. Hoc quidem imprimis Beatam Virginem latere non poterat, videlicet se Spiritum Sanctum, etiam levi macula, haudquaquam contristasse.

18. — Quaestio III. — *Utrum Beata Virgo decipi potuerit?*

Resp. *Negative.* Ratio est quia, ut ait S. Augustinus [5], *approbare falsa pro veris.... non est natura instituti hominis, sed poena damnati.* Atqui in Beata Virgine nullum fuit peccatum quod esset poena dignum. Ergo Beata Virgo non potuit approbare vera pro falsis, quod est decipi.

Revera, falso acquiescere quasi vero, est malum intellectus, quod malum homini in innocentia constituto evenire non poterat. Cum enim in hoc statu mens hominis esset Deo

[1] Luc., II, 49, 50. — [2] Ibid., 51. — [3] Ibid., 48. — [4] T. II, Tract. 46, § *Dolentes*. — [5] L. III de lib. Arb., c. 18, n. 52, col. 631, t. I.

perfecte subdita, inferiora quoque menti subdebantur, nec superiora a suo actu impediebant: deceptio autem accidit in intellectu, non quantum ad se, cum circa proprium obiectum semper verus sit, sed ex aliquo inferiori, puta ex phantasia aut sensu praeoccupante intellectum, ne per rationem de rebus diiudicet. Unde in Matrem Dei, sicut etiam in Adam et Evam ante peccatum, deceptio cadere non potuit [1].

Nec obstat Beatam Virginem tentari potuisse, sicut Adam et Eva, imo Christus ipse, tentati sunt: talis enim tentatio non intus fuit sed tantummodo foris, ut habet S. Gregorius Magnus [2], id est per solam obiecti externi propositionem, omnibus interioribus viribus intactis manentibus.

Sed et hoc dicendum est, omnia Deiparae somnia ordinatissima fuisse, nec eam illusiones, sive ex diabolica fraude, sive ex deordinata natura, ullo modo passam fuisse; ita ut dici cum B. Amedeo possit, quod *carne dormiens, animo vigilabat nocturna quiete somnians quae per singulos dies cogitabat* [3]; non quasi tunc mereretur, ut iam moniumus, nam *id quod accidit in somno non imputatur homini, quia non habet usum rationis, qui est proprius hominis actus* [4], sed quia omnia ita pacata et ordinata habuit, ut nihil unquam in ipsa fieret contra ordinem vel naturae vel gratiae.

Articulus IX. — *De assumptione et gloria Beatae Mariae Virginis.*

I. — Ratio articuli. — Consideratio eorum quae ad perfectiones animae Beatae Mariae Virginis pertinent congrue clauditur quaestione de eius in caelum assumptione, necnon de gloria qua divinitus fuit coronata. Quae quidem quo dividi haudquaquam debent: nam, licet ad alterum huius secundae partis caput pertineat agere de perfectione corporali Deiparae, tamen, quia assumptio virtute supernaturali perfecta est in gratiam animae, ex qua etiam naturaliter

[1] Vide tr. de prima hominis formatione, Quaest. XCIV, art. 4. — [2] Homil. XVI in Evang., t. II, p. 262. — [3] Homil. IV, de partu Virg., p. 70. Paris., 1641. — [4] 1, Quaest. XCIV, art. 4, ad 4[um].

redundat corporis gloria, ideo ibi de Deiparae assumptione est agendum, ubi de animae illius summa et ultima perfectione tractatio instituitur.

2. — **Praemonenda.** — Hic autem supponi debet Beatam Virginem, utique non ex poena peccati, sed ut Filio plenius conformaretur, mortem subiisse corporalem, ut fusius postea declarabitur [1]; a qua sententia propter universalem sensum fidelium discedere quis non debet: futiles enim sunt quae in contrarium moventur rationes. — Quod ita cum sit, duo unicuique satis superque constare debent.

Primo, Deiparae corpus, sicut etiam Christi corpus in triduo mortis eius, ita servatum est, ut ab omni corruptione putrefactiva liberum maneret, quod ita ab Angelico exprimitur [2]: *Tertia* (poena) *fuit communis viris et mulieribus, scilicet, ut in pulverem reverterentur. Et ab hac immunis fuit Beata Virgo, quia cum corpore assumpta est in caelum: credimus enim quod post mortem resuscitata fuerit et portata in caelum:* SURGE DOMINE, IN REQUIEM TUAM: TU ET ARCA SANCTIFICATIONIS TUAE [3]. Quibus similia tradiderat Damascenus [4]: *Quomodo corruptio invaderet corpus illud, a quo vita suscepta est?* — Revera, resolutio corporis humani in tabem et pulverem a Deo decreta est tanquam poena originalis peccati [5], ideoque opprobrium infert corpori humano: unde sicut sanctum Christi corpus non datum est videre corruptionem in sepulcro [6], ita corpus Beatae eius Matris putredinem et vermes nescivit, licet utique vere corpus humanum non manserit, extracta inde anima [7]. Quapropter, rite comparatur Beata Virgo arcae Veteris Testamenti, ex lignis imputribilibus formatae [8], necnon cedro et cypresso [9], quae arbores sunt cariei impenetrabiles.

Secundo, nullo modo ambigi potest animam Deiparae, statim post eius mortem, fuisse assumptam in caelum. Cum enim de fide sit animas sanctorum omni labe purgatas in

[1] Art. 3, cap. II, huius partis. — [2] EXPOSITIO IN SALUT. ANGEL., t. XVI, p. 134. — [3] Ps. CXXXI, 8. — [4] Orat. II DE DORMIT., t. II, p. 870, n. 3. — [5] GEN., III, 19. — [6] ACT., II, 27. — [7] Cf. 3, Quaest. L. art. 5. — [8] EXOD., XXV. — [9] ECCLI., XXIV, 17.

caelum mox recipi [1], Deumque clare intueri [2], hinc dubitari nequit animam Virginis Deiparae, quae nulla unquam peccati, etiam levissimi, labe commaculata fuerat, mox ac corpore fuit exuta, in caelum receptam fuisse, et beatifica visione donatam. Quocirca, si quid in aliquibus Orientalium liturgiis legatur quo, aut Deus petitur ut Beatae Virginis misereatur, aut pro ipsa sacrificium liturgicum offerri dicatur [3], hoc accipiendum est non pro gloria essentiali, sed pro accidentali quadam huius gloriae manifestatione in gratiam nostri facienda. Ceterum, ex sola liturgia Romana potest certum argumentum desumi ad aliquam veritatem dogmaticam conficiendam.

3. — Sensus quaestionis. — Igitur, hic proprie quaeritur de Beatae Mariae Virginis corpore, non de anima; quod sedulo advertatur, quia etiam animae in caelum invectio assumptio interdum nominatur. Sic Eusebius scribit Constantinum ex hac luce fuisse ad suum Deum *assumptum* [4], et S. Gregorius Turonensis *assumptionem* nominat S. Aviti in caelum receptionem [5]. Sed et hoc ulterius advertisse iuvabit, haec nomina, *assumptio* et *ascensio*, saepius promiscue usurpari: sic de Christo dicit S. Marcus quod *assumptus est in caelum* [6], quod in Actibus Apostolorum replicatur [7]; et vicissim catholice dicitur et de Beata Virgine quod in caelum conscendit. Quapropter, non ita intelligenda erit assumptio Deiparae contradistincta Christi ascensioni, quasi haec absque angelorum auxilio, illa autem non absque praefato auxilio fuerit peracta, eo videlicet modo quo aut Elias in curru igneo in altum sublevatus est [8], aut Henoch in paradisum translatus [9], aut Habacuc in civitatem Babylonem, ut prandium Danieli adferret [10].

Scilicet, de assumptione corporis Beatae Virginis in caelum quaeritur eo sensu quo corpora glorificata, per sibi

[1] Conc. Flor. IN DECRETO UNIONIS GRAEC. — [2] Cf. Benedictus XII, in Extrav. *Benedictus Deus*, et Conc. Trid., Sess. XXV, DE INVOC. SANCT. — [3] Cf. liturgias SS. Gregorii Naz., Cyrilli Alex. et Ioannis Chrysost. — [4] L. IV DE VITA CONSTANTINI, c. 64. — [5] L. DE GLORIA CONFESS., c. 99. — [6] XIV 19. — [7] I, 2. — [8] 4 Reg., II, 11. — [9] Eccli., XLIV, 16. — [10] Dan., XIV, 35.

collatam agilitatis dotem, de loco ad locum, iuxta voluntatis arbitrium, se transferre possunt, absque angelorum fulcimento aut adminiculo, quemadmodum in imaginibus falso certe describi solet; ita quod in hoc quoque, iuxta Caietani regulam [1], Beata Virgo debeat dici similis Filio suo; nisi quod ille quidem virtute sibi connaturali et propria, Deus enim erat, haec autem virtute sibi a Deo communicata, in caelum conscendisse dicendi sint. Igitur, quod corpora gloriosa dicantur ferri ab angelis et etiam in nubibus, non est, ait S. Thomas [2], *quasi eis indigeant, sed ad reverentiam designandam, quae corporibus gloriosis et ab angelis et ab omnibus creaturis defertur.*

4. — PROP. I. — **Certum omnino est Beatam virginem, quoad corpus, fuisse in caelum assumptam.**

5. — **Qualiter sit haec veritas tenenda.** — Adeo vera est haec propositio, ut Melchior Canus [3], cui consentit Hyacinthus Serry [4], dicat esse *petulantem temeritatem* eam negare, quod etiam docet Franciscus Suarez [5], dum ait quod corporea Virginis assumptio tam recepta est, ut a nullo pio et catholico possit in dubium revocari: cui doctrinae eum certitudinis gradum tribuit, quem habebat tempore suo veritas de sanctificatione Virginis in utero matris. Similia habet Benedictus XIV [6]; demum Card. Gotti dicit [7], *tanta certitudine gloriosam Beatae Virginis in corpore assumptionem tenendam esse, ut sine temeritatis aut etiam erroris labe negari non possit* [8].

Nobis tamen, re maturius perpensa, satius decernendum videtur, assumptionem Beatae Virginis dici debere de fide, et quidem, uti aiunt, catholico-divina; nimirum, hinc quidem haec veritas dicenda est contenta in deposito revelationis,

[1] Opusc. de Spasmo B. M. V., Tract. XIII, t. II. — [2] S., Quaest. LXXXIV, art. 1, ad 1[um]. — [3] L. XII de Locis theol., c. 11, Parisiis, 1678, p. 634. — [4] Exercitationes Historicae etc., exercit. LXVI, n. 1, Ven., 1719, p. 464. — [5] In 3 P., Quaest. XXXVII, art. 4, sect. 2. — [6] De Festis B. V. M., c. IV, n. 3. — [7] De Verit. Relig. Christi. P. II, c. 41, § II. Romae, 1739. — [8] Vide Agostino Albergotti, vescovo di Arezzo, *Vita di Maria Santissima*, t. II, Siena, 1817, nota 1, ad c. CXXX, pp. 278, seq.

unde est de fide divina; illinc vero sufficienter proposita est per magisterium ordinarium Ecclesiae, quae de hac re festum universale, id est totum orbem respiciens, instituit, unde est de fide divino-catholica.

Et quidem, quod huiusmodi veritas in deposito revelationis contineatur, patet; et quidem, si agatur de eo fonte revelationis, qui est traditio, nulli ambigendum est quin haec fides ininterrupte fuerit in Ecclesia retenta, ut fusius infra declarabitur; si vero de Sacra Scriptura, qui est alter revelationis fons, sermo sit, implicite saltem erui potest, puta, ex his locis [1]: *Surge, Domine, in requiem tuam: tu, et arca sanctificationis tuae;* aut [2]: *Adstitit Regina a dextris tuis, in vestitu deaurato,* quo quidem vestitu potest intelligi sacratissimum Deiparae corpus [3].

Ex hoc tamen deduci non debet illum qui hanc veritatem, negaret, incidere in poenas in haereticos latas, deficiente hac de re explicitiori definitione Ecclesiae [4].

6. — Prob. I. Ex traditione. — Potissima hac de re probatio erui profecto debet ex Ecclesiae traditione, quae α) primo loco generaliter manifestatur in universali fidelium, sive orientalis, sive occidentalis Ecclesiae, sensu; de quo Patres Concilii Vaticani, in postulato pro solemni definitione corporeae assumptionis Beatae Mariae Virginis, ita loquuntur [5]: *Nisi firmissima Ecclesiae fides quoad Beatae Virginis assumptionem dici velit levis nimis credulitas, quod vel cogitare impium est, proculdubio eam a traditione divino-apostolica, id est a revelatione, ortum habere firmissime tenendum est.*

β) Accedit festum Assumptionis, a Graecis vocatum *Pausatio, Transitus, Dormitio* (κοίμησις) aut etiam Assumptio (ἀνάληψις) *Sanctissimae gloriosae Dominae Nostrae Deiparae, et semper Virginis Mariae:* quod festum inter antiquiora Deiparae festa computatum [6], ubivis terrarum nunc solemnizatur. Olim celebrabatur die 18 ianuarii, et iam inde a

[1] Ps. CXXXI, 8. — [2] Ibid., XLIV, 10. — [3] Vide quae scripsimus in op. de STABILITATE ET PROGRESSU DOGMATIS, p. 80, nota 1. — [4] Ibid., p. 36. — [5] Collect. Lac., VII, 868. — [6] Cf. BENED. XIV, DE FESTIS B. M. V., c. VIII, n. 29.

concilii Ephesini tempore (431) actum fuisse creditur; imo nonnulli tenent a S. Damaso (384) festum illud fuisse institutum [1].

γ) Nec desunt explicita Patrum testimonia: quanquam enim multa quae de circumstantiis obitus Deiparae passim leguntur evidenter apocrypha sint, ipsum tamen factum de corporea eius in caelum assumptione tam constanter refertur a scriptoribus, sive graecis, sive latinis, ut rationabiliter inde deduci possit hanc fidem ab Apostolis derivatam fuisse [2].

Sic, in Sacramentario S. Gregorii Magni, quod ex Gelasii codice collectum dicitur, in Missa Assumptionis haec occurrit oratio: *Veneranda nobis, Domine, huius est diei festivitas, in qua Sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Filium tuum de se genuit incarnatum.* Similiter, S. Gregorius Turonensis ait [3]: *Dominus susceptum Virginis corpus sacratissimum in Paradisum deferri iussit, ubi nunc resumpta anima cum electis eius exsultans aeternitatis bonis, nullo occasuris fine, perfruitur.* Ex quibus tamen verbis cavendum est ne inferatur corpus B. Virginis in caelo tantummodo resurrexisse: resurrexit enim in sepulcro *prorsus ut Filius eius*, ait S. Bernardus [4]; unde quod dicit praedictus Gregorius, corpus in paradisum delatum fuisse, pro tota Virgine intelligendum est, quae in sepulcro resurgens, in nube in paradisum delata est, ubi bonis perfruitur aeternis. Similia docent auctor quidam sub nomine S. Ildephonsi, archiepiscopi Toletani [5]; S. Ioannes Damascenus [6]; Fulbertus, Carnotensis episcopus [7], S. Petrus Damianus [8]; aliique.

Hanc quoque fuisse doctorum scholasticorum sententiam testis est potissime Angelicus Doctor qui, praeter ea quae de ipso retulimus, haec quoque habet [9]: *Quidam in plena*

[1] Videsis F. G. Holweck, Fasti Mariani. Friburgi, 1892. — [2] Cf. S. Thomas, 3, Quaest. XXVII, art. 1 — [3] L. I de Mirac., c. 4. — [4] Serm. I de Assumpt. — [5] Serm. VI de Assumpt., inter Opp. dubia. Matriti, 1782. — [6] Homil. II in Dormit. B. M. V., t. II, p. 868. et seq. — [7] Serm. II de Navit. Virg. Bibliotheca Vet. Patrum et Script. eccl. Coloniae Agrippinae, 1618. — [8] Serm. de Assumpt. Romae, 1606. — [9] 4, Dist. XII, Quaest. I, art. 3, sol. 3.

participatione beatitudinis (sunt); *et hoc est corpus Christi quod iam surrexit, sicut ipse Christus, et Beata Virgo; et hi significantur per partem in calice missam, quia illi inebriantur ab ubertate domus Dei.*

ζ) Sed nec silendum, nuspiam gentium reperiri reliquias, etiam minimas corporis Beatae Mariae: quod quidem haud leve est pro re nostra indicium; cum Deus, qui sanctorum reliquias a nobis religiose coli voluit, certe sinere haud potuisset ut sanctissimum Deiparae corpus, de quo ipsemet carnem sumpserat, incultum aut inhonoratum maneret [1].

ε) Denique huc faciunt christianae religionis monumenta, rem hanc comprobantia, qualia sunt, verbi gratia, ecclesiae etiam antiquissimae in honorem huius mysterii per totum orbem erectae, indulgentiae a Summis Pontificibus concessae, sodalitates institutae [2], etc.

7. — **Prob. II. Ex rat. theol.** — α) **Ex parte Christi.** — Cum *gloria filiorum* (sint) *patres eorum* [3], haud satis consultum fuisset honori Christo debito, si Matris eius corpus, ex quo ille carnem humanam vere realiterque assumpserat, relictum fuisset in sepulcro corrumpendum. Debuit ergo a mortuis resurgere, et gloriosum caelos conscendere, ut inde appareret quanta sit Redemptoris sanctitas, cuius Mater, sicut in ingressu in hunc mundum ab omni peccati naevo libera manserat, et tota pulcra fuerat, ita etiam in egressu ab hoc mundo carnis corruptionem non novit, sed caelum conscendit, gloria undequaque perfusa. - Sed nec ille filialis amoris et reverentiae sensus, quo Christus erga Matrem tenerissimam tenebatur, sinere poterat ut illam adeo posthaberet, ut dum eius quidem animam sibi unitam in caelis haberet, corpus tamen longe in sepulcro abesse pateretur: amor enim amantes, quantum fieri potest, coniungit.

8. — β) **Ex parte Beatae Virginis.** — Singulare Deiparae privilegium est ut, quantum fieri possit, per omnia Filio

[1] Vide Thom. Livius. The Bl Virgin in the Fathers of the first six centuries. London, 1893, p. 354, seq. — [2] Cf. The Dublin Review. The Assumption of the Bl. V. M. An apostolic tradition. Oct. 1870, p. 408. — [3] Prov., XVII, 6.

suo conformis existat; unde, sicut in omni fere mysterio Beata Virgo Christo consociata fuit, ita etiam in morte, resurrectione, ascensione et coronatione eidem debuit assimilari.

Accedit quod, quemadmodum Christus, per humiliationem passionis, mortis et sepulturae, sibi meruit gloriosam resurrectionem et triumphantem ascensionem [1], ita etiam Deipara, per suam teneram compassionem, necnon perfectam configurationem morti et sepulturae Christi, meruit ut dies resurrectionis et corporeae ascensionis sibi anticiparetur. — Denique, ex sanctorum dictis et summorum Pontificum oraculis novimus tantam esse Deiparae privilegiorum copiam, quanta purae creaturae sub Deo concedi potest: ergo nec ipsi mox post obitum defuit gloria corporeae assumptionis.

9. — γ) Ex parte nostri. — Sed nec ex parte nostri mysterium istud utilitate vacat. Non solum enim per hoc vehementer augetur nostra de Deipara existimatio, nostraque in eius potentissimam intercessionem fiducia, verum etiam fides in corporum resurrectionem magnopere adaugetur, speque erigimur fere ut eiusdem gloriae nos quoque consortes existamus, si tamen, per veram poenitentiam, comparticipes extiterimus fructus passionis Christi [2].

10. — Scholion. — Hoc etiam, pro praesentis argumenti coronide addi debet, Beatam Virginem super omnes angelorum choros exaltatam fuisse, secundum illud quod canit Ecclesia: *Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros angelorum ad caelestia regna* [3]. Cum enim homines beati, habito quidem respectu non ad gradum naturae, sed ad gradum gratiae, assumantur ad ordines angelorum [4], ita ut maiorem

[1] Vide Tract. nostr. DE INCARN., t. II, Quaest. XIX, art. 3, n. 10. — [2] Pro ampliori segete auctoritatum ex Patribus, vide Th. Livius, THE BLESSED VIRGIN, etc., c. IX. Vide etiam Buselli, *Sulla definibilità dogmatica dell'assunzione corporea di Maria SS.ma*, Firenze, 1866. Cf. quoque I. B. TERRIEN, *La Mère de Dieu et la Mère des hommes*, t. II, pp. 350, seqq., E. Campana, *Maria nel dogma cattolico*, Quaest. V, Torino, Tip. Marietti, 1909, etc. — [3] In festo Assump. B. M. V., vers. ad Vesp. — [4] Vide tr. DE ANGELIS, t. II, Quaest. CVIII, art. 8.

gratiam habens assumatur ad illam sedem quam occupasset altior angelus apostata si stetisset, iam dicenda est gloriosa Virgo, propter plenitudinem gratiae sibi collatae, omnes angelorum choros supergressa, ita ut per seipsam veluti chorum specialem constituat sub Deo, repletum odoramento omnium virtutum et gratiarum. In hoc sensu Angelicus Doctor, cum dixisset homines praedestinatos assumi ad ordines angelicos, de Beatissima Virgine expresse dicit quod est *super omnes* [1].

Hisce statutis circa factum assumptionis Deiparae in caelum [2], pronum est ut de quantitate eius gloriae disseratur.

11. — PROP. II. — **Beata Virgo, α) tum quod gloriam animae essentialem, β) tum quoad gloriam accidentalem, omnes beatos, sive homines, sive angelos longe antecellit.**

12. **Praenotandum.** — Gloria, essentialiter sumpta, consistit in actuali divinae Essentiae visione, et constituit ipsam beatitudinem sanctorum in caelo, iuxta illud [3]: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti expectantibus te*; sumpta vero accidentaliter, resultat ex illis omnibus bonis extrinsecis, quae de beatitudinis ratione non sunt, illam tamen quodammodo perficiunt. Prior igitur gloria in actuali Summi Boni possessione reponitur, quam consequitur, quasi naturalis proprietas, perfecta in eo appetitus quietatio, et ad quam tres veluti dotes per modum dispositionum concurrunt, videlicet, dos visionis, dos comprehensionis, et dos fruitionis [4]. — Altera vero gloria consistit in quibusdam bonis creatis, verbi gratia, in gaudio de bono patrato, in novis quibusdam revelationibus, in aureolis, in speciali corporis decore et in bonis exterioribus, ut est honor, reverentia, etc.

13. — **Sensus primae partis.** — Prima pars sibi vult Beatam Virginem, tum quantum ad intensivam, tum etiam quantum ad extensivam gloriae perfectionem, caeteris sanctis praestare. — Quantum ad *intensivam* gloriae perfectionem, clarius Deum videt, ferventiusque diligit, necnon abundan-

[1] 2, Dist. IX, Quaest. I, art. 8. — [2] Amplior de hac re sermo recurret, ubi de morte B. M. Virginis agetur, c. II, art. 3, n. 24, pp. 368, seq. — [3] Is., LXIV, 4. — [4] I 2ae, Quaest. IV, art. 2 et 3.

tius eo perfruitur Quantum autem ad *extensivam* perfectionem, in Verbo plura attingit, tum possibilia, tum realia, quin tamen ista cognitio rerum in Verbo, quam habet Deipara, adaequet hac in re cognitionem animae Christi. Nam animae Christi competit cognitio eorum omnium quae sunt aliquando actu secundum quodcumque tempus et etiam hominum cogitatus, quia ad ipsum ista omnia quodammodo spectant, utpote qui est iudex omnium constitutus a Deo; et quia comprehendit essentiam omnis creaturae, et sic omnis creaturae potentiam et virtutem, ideo omnia quae sunt in potentia creaturae cognoscit [1]. At Beatae Virginis scientia tam extensa non fuit; nam saltem omnes Christi cogitatus et interiores actus non cognovit, quippe quae cognitio ad illius statum non pertinebat, sicut ad statum inferioris non pertinet omnes cogitationes superioris videre.

14. — Prob. 1ª Pars. — Essentialis animae gloria correspondet quantitati gratiae in via, cuius demum mensura accipitur secundum merita quae quis per gratiam comparaverit, iuxta illud [2]: *Reddet unicuique secundum opera eius.* Atqui Beata Virgo omnem sanctorum gratiae et meritorum quantitatem in gratia, et consequenter in merito, supergressa est, quippe quae fuit gratia plena. Ergo etiam in gloria omnem beatum, sive hominem, sive angelum, longe antecellit. Quod exponens pius quidam auctor ait [3]: *Et si impertit praemia iustus iudex Christus Dominus, secundum Apostolum, unicuique iuxta opera sua, huic tamen sacratissimae Virgini Genitrici suae, sicut incomparabile est quod gessit, et ineffabile donum quod percepit: ita et inaestimabile atque incomprehensibile praemium, et gloria, non dico inter ceteras sacras virgines, verum etiam ultra omnes sanctos, quam promeruit.*

15. — Exponitur per partes. — Quod clarius patebit, discurrendo per singulos status, in quibus inveniuntur sancti merita sibi comparasse: quae quidem merita in sanctis quidem divisim inveniuntur, in Beata Virgine autem unite et cumulate.

[1] 3, Quaest. X, art. 2. — [2] Rom., II, 6. — [3] Serm. II de Assumpt., inter Opp. S. Ildephonsi, Matriti, 1782.

Primo, in carne vivens, Deipara non carnalis, sed *angelicae* vitae meritum, propter virginitatem, quae virtus angelis cognata est, habuit, unde vocatur *Regina angelorum*.

Secundo, *patriarcharum* meritum habuit, propter fidei suae vivacitatem; unde etiam ipsi dictum est [1]: *Beata quae credidisti*; quapropter *Regina patriarcharum* rite appellatur.

Tertio, habuit meritum *prophetarum*, cum spiritu prophetico praedixerit se beatificandam esse [2]: *Beatam me dicent omnes generationes*; unde et *Regina prophetarum* celebratur.

Quarto, nec ipsi defuit meritum *apostolorum* et *evangelistarum*, propter ea quae apostolos et evangelistas de fidei nostrae mysteriis edocuit; unde dicitur *Regina apostolorum*.

Quinto, pariter *martyrum* meritum habuit, Filio suo morienti perfecte compatiendo, iuxta illud [3]: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*; propter quod *Regina martyrum* merito nominatur.

Sexto, *confessorum* quoque meritum habuit, Domino devote confitendo, sicut cum dixit [4]: *Magnificat anima anima mea Dominum*; unde et *Regina confessorum* pie invocatur.

Septimo denique, excellenter habuit meritum *virginum*, cum virgo fuerit, et virgo in aevum permanserit; quapropter *Regina virginum* praedicatur.

Ex quibus concludi debet quod, sicut Beata Virgo *habuit meritum omnium et amplius, ita congruum fuit ut super omnes ponatur*, etc, ait S. Thomas [5].

16. **Scholion**. — Cum autem essentialis gloria animae consistat, ut dictum est, in visione divinae Essentiae, hinc profundius qualibet creatura figit Virgo gloriosa oculum in illo beatitudinis oceano: quam rem ita perbelle exprimit Alighierius [6]:

Gli occhi da Dio diletti e venerati...
... All'eterno lume si drizzaro,
Nel qual non si de' creder che s'invii,
Per creatura l'occhio tanto chiaro.

[1] Luc., I, 45. — [2] Ibid., 48. — [3] Ibid., II, 35. — [4] Ibid., I, 46. [5] Sermo LVIII in Assumpt., seu de B. V. in caelis exaltatione. Opp., t. XV, p. 223. — [6] Paradiso, canto XXXIII, vers. 40, sgg.

17. — Prob. 2ª Pars. — α) *Ex munere Coredemptricis et Matris generis humani.* Cum quidquid ad humanam salutem quomodocumque pertinet, ad Deiparam sub Deo et Christo referri debeat, hinc sequitur ipsi, ratione sui mysterii, novas fieri posse revelationes, visione tamen divinae Essentiae immobili manente; ex quibus proinde revelationibus nova gaudia percipere potest [1].

β) *Ex perfectione corporis Beatae Virginis*, quod, praeter dotes corporibus gloriosis communes, habet etiam specialem quemdam et ineffabilem decorem; ita ut in eius intuitu nedum angeli, sed etiam Christus ipse accidentale quoddam gaudium percipiat.

γ) Denique, *ex quibusdam bonis externis*, quibus excellenter perfruitur; qualia sunt, verbi gratia, imperium quo in universum orbem, tanquam potentissima Regina, potitur, laus ei ab hominibus angelisque impensa, honor qui ei exhibetur a tota Ecclesia, obsequium ei praestitum a fidelibus servis suis qui, sive in terra sub eius patrocinio militent, sive iam in caelo eius adiutorio victores effecti triumphent, sive adhuc in igne purgatorii detenti ope illius fidentes beatificam praestolentur visionem, ei devote famulantur.

18. — Quaestio. — *Utrum Beatae Virgini aureola debeatur?*

Resp. *Aureola* diminutive dicitur respectu *aureae* seu coronae beatorum, quae corona aliud non est, nisi praemium essentiale hominis, quod est eius beatitudo, consistens in perfecta coniunctione animae ad Deum per visionem beatificam. Est igitur *aureola* aliquid aureae superadditum, scilicet quoddam gaudium accidentale, de operibus factis, quae habent specialem pugnam, et consequenter specialem victoriae excellentiam [2].

Porro homini triplex difficilis pugna imminet: alia contra carnem, alia contra mundum, alia contra diabolum, secundum illud S. Ioannis [3]: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia*

[1] Cf. quae scripsimus in Tract. DE DEO UNO, Quaest. XII, art. 10, n. 6. — [2] Supplem., Quaest. XCVI, art. 1. — [3] 1 Ep., II, 16.

vitae: unde triplex ponitur privilegiata victoria, et consequenter triplex aureola. Prima est virginum, a delectabilibus venereis penitus abstinentium; altera est martyrum, mundi pressuras ad mortem usque tolerantium: tertia est doctorum, diabolum non solum a se sed etiam ab aliorum cordibus removentium [1]; inter quas aureolas sane eminet, secundum propriam rationem pugnae et victoriae, aureola martyrum [2].

Porro, sciendum est Christo aureolam non deberi, licet fuerit verissime virgo, martyr et doctor. Revera, praemium accidentale correspondens virginitati, martyrio et praedicationi, si comparetur ad magnitudinem praemii essentialis Christi, non habet notabilem quantitatem, ut aureolam constituere possit: nam aureola, ex hoc quod diminutive dicitur, importat aliquid quod participative et non secundum totam plenitudinem possidetur; unde illi tantum aureolam habent, in quibus est aliqua participatio perfectionis victoriae, secundum imitationem eius in quo perfectae victoriae ratio plena consistit. Atqui in Christo invenitur perfecta et plena ratio victoriae, per cuius victoriam ceteri victores constituuntur. Ergo in Christo aureola proprie non habetur, sed aliquid perfectius et excellentius aureola ipsa [3].

Quae cum ita de Christo constiterint, quia Beata Virgo credenda est suo Filio per omnia simillima, ideo de ea quoque decernendum videtur, ipsam aureola carere, utpote quae omnium operum suorum perfectionem plenariam habuit; unde quaedam minoratio in ipsa inveniri non potuit, ita ut ei aureola tribuatur. Quod quidem generaliter dici potest, licet de singulis aureolis aliquid specialiter sit advertendum.

19. — Consideratio de singulis aureolis relate ad Deiparam. — Et primo quidem, aureolam martyrii Deiparae defuisse ex hoc argui potest, quod haec non datur nisi vitam pro Christo per illatas extrinsecas passiones profundenti, quod Beata Virgo non fecit, cum nonnisi per similitudinem martyr extiterit [4]. Doctorum etiam aureola Deiparae

[1] Supplem., ibid., art. 11. — [2] Art. 12. — [3] Ibid., art. 8. — [4] Ibid., art. 6. ad 4um; et 2 2^{ae}, Quaest. CXXIV, art. 4, ad 1um.

proprie non competebat, quia quamquam ab hominum cordibus diabolum per opportuna monita, quantum circumstantiae sinerent, expellere studuerit, id tamen omnino private, et non ex officio aut quasi officio peregit, cum praedicare et docere in Ecclesia mulieribus interdicatur, dicente S. Paulo [1]: *Mulieres in ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit... Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia;* et iterum [2]: *Docere autem mulieri non permitto.*

Consequenter solius virginitatis ratione aureola Deiparae debita fuisset, potissime cum non solum propositum habuerit integritatem carnis perpetuo servandi, sed etiam hoc propositum voto obfirmatum voluerit, quod fidelissime usque ad finem observavit [3]. At, sicut in Christo Domino, licet fuerit virgo, martyr et doctor, non est tamen aureola sub ratione aureolae, eo quod non est in ipso participatio perfectionis victoriae, sed potius ab ipso est omnis victoriae participatio, ita etiam in Beatissima Virgine, istud gaudium accidentale non habet propriam aureolae rationem, quasi quamdam aureae minorationem, eo quod plenissime invenitur ex hoc capite de carne victoriam reportasse, ita ut per eam quoque omnes alii victores constituantur: ut quemadmodum gratiam ad omnes quodammodo derivavit Virgo regia [4], ita etiam gloriae accidentalis participationem sub Christo ad eosdem derivet [5].

[1] 1 Cor., XIV, 34, 35. — [2] 1 Tim., II, 12. — [3] Cf. Supplem., loc. cit., art. 5. — [4] 3, Quaest. XXVII, art. 5, ad 1[m]. — [5] Pretium operae hic erit advertisse, quaestionem hanc cum quaestione de fomite intime colligari: et Angelicum Doctorem, cui placitum erat fomitem in Deipara extitisse, sed ligatum, usquedum totaliter auferretur, aureolam in ea haud potuisse ponere propter intrinsecam pugnam carnis, cum ex alto virtutis gradu carnem perfecte subditam haberet, nec pugnam internam sentiret: unde aureolam in Maria posuit solummodo propter pugnam ab hoste extrinsecus illatam, hoc scilicet pacto, ut in hoc quoque aliis Ecclesiae membris conformaretur (Supplem., Quaest. XCXI, art. 5, ad 2[m]). — At longe verior, necnon Dei Matris dignitati, iisque omnibus quae de Deipara cognoscimus conformior est sententia quam exposuimus, quamque alii etiam tempore S. Thomae tuebantur (Cf. loc. cit.), dum dicerent Mariae defuisse aureolam

Attamen Virgini Deipara *eminenter* competit quidquid perfectionis in aureolis significatur: quo sensu intelligendum est quod ait Dionysius Cartusianus [1]: *Denique non utique aureolarum decore privaris, quippe cum sis virginitatis primiceria, martyrum princeps, plus quam martyr, et item summorum atque primorum nostrum doctrix doctorum.*

20. — Excellens fructus virginitatis in Maria. — At quamquam superexcedens excellentia virginitatis Deiparae aureolam non secum patiatur, tamen *fructum* in ipsa constituit: fructum inquam, non qui consistit, in fruitone divinae essetiae, nec qui est ipsamet virtus inquantum mentem sincera dulcedine reficit [2], sed secundum quod significat praemium quoddam quod homini ex hoc debetur, quod a vita carnali transit in vitam spiritualem: qui fructus praecise respondet illi virtuti, per quam homo a subiectione carnis liberatur, quae est virginitas [3].

Nimirum virginitati, secundum quod servatur propter Deum imperio caritatis, correspondet aurea seu visio beatifica; secundum quod est quoddam opus perfectionis rationem habens cuiusdam excellentis victoriae, correspondet aureola; secundum autem quod per eam homo transit in quamdam spiritualitatem, a carnalitate recedens, correspondet fructus [4]. Huiusmodi autem fructus coniugatis assignatur trigesimus, viduis sexagenarius, virginibus autem centenarius: hoc pacto videlicet, quod viduis quidem duplicetur, super coniugatos, spiritualitatis fructus, virgines autem spiritualitatis perfectionem immobiliter possideant, quae significatur numero centenario, ex quo figura quadrata, quae est perfecta, resultat: *figura enim quadrata secundum hoc perfecta est, quod ex omni parte aequalitatem habet, utpote habens omnia latera aequalia* [5]. Igitur perfectissimus fructus Deiparae concedendus est, immo centenario

proprie dictam, cuius tamen loco aliquid maius habuit, scilicet propter perfectum propositum servandae castitatis.

[1] De praeconio et dignitate Mariae, lib. IX, art. XI, Opp. t. XXXX, p. 574. Tornaci, 1908. — [2] Cf. P. II, c. 1, art. 6, n. 14. — [3] Supplem., Quaest. XCXI, art. 3. — [4] Ibid., art. 2, ad 1[um]. — Ibid., art. 4.

maior: quasi videlicet non modo quadrati figuram repraesentet, sed cubum, figuram scilicet undequaque tetragonam: siquidem nullo unquam pravae concupiscentiae motu a perfecta virtutis soliditate excussa est Virgo gloriosa.

21. — **Dantes Alighierii de gloria Virginis Deiparae descriptio.** — Iuvabit, coronidis instar, hic referre egregia verba quibus italicus poeta, Dantes Alighierius, huius tantae Virginis, quae quidem *gloria Ierusalem, laetitia Israël, honorificentia populi nostri*[1] existit, gloriam passim adumbrat:

Quivi è la rosa in che 'l Verbo divino
Carne si fece...
. . . . . .
Il nome del bel fior ch'io sempre invoco
E mane e sera, tutto mi ristrinse
L'animo ad avvisar lo maggior foco (Maria).
E com'ambo le luci mi dipinse
Il quale e' l quanto della viva stella,
Che lassù vince, come quaggiù vinse,
Per entro il cielo scese una facella,
Formata in cerchio a guisa di corona,
E cinsela e girossi intorno ad ella.
Qualunque melodia più dolce suona
Quaggiù e più a sè l'anima tira,
Parrebbe nube che squarciata tuona,
Comparata al sonar di quella lira
Onde si coronava il bel zaffiro,
Del quale il ciel più chiaro s'inzaffira.
Io sono amore angelico che giro
L'alta letizia che spira del ventre
Che fu albergo del nostro disiro;
E girerommi, Donna del ciel, mentre
Che seguirai tuo Figlio, e farai dia
Più la spera suprema, perchè li entre.
Così la circulata melodia
Si sigillava, e tutti gli altri lumi
Facean sonar lo nome di Maria.
. . . . . .

[1] Iudith, XV, 10.

E come fantolin, che vêr la mamma
Tende le braccia poichè il latte prese,
Per l'animo che infin di fuor s'infiamma,
Ciascun di quei cantori in su si stese,
Con la sua cima sì che l'alto affetto
Ch'egli avean a Maria mi fu palese.
Indi rimaser lì nel mio cospetto,
Regina caeli cantando sì dolce,
Che mai da me non si partì 'l diletto [1].
. . . . . .
Ma guarda i cerchi fino al più remoto,
Tanto che veggi seder la Regina,
Cui questo regno è suddito e devoto [2].
. . . . . .
Riguarda omai nella faccia che a Cristo
Più s'assomiglia, chè la sua chiarezza,
Sola ti può disporre a veder Cristo.
Io vidi sovra Lei tanta allegrezza
Piover, portata nelle menti sante
Create a trasvolar per quella altezza,
Che quantunque io aveva visto davante
Di tanta ammirazion non mi sospese,
Nè mi mostrò di Dio tanto sembiante.
E quell'amor che primo lì discese
Cantando, Ave Maria gratia plena,
Dinanzi a Lei le sue ali distese.
Rispose alla divina cantilena,
Da tutte parti la beata corte,
Sì ch'ogni vista sen fè più serena
. . . . . .
Di contro a Pietro vidi a seder Anna,
Tanto contenta di mirar sua Figlia,
Che non muove occhio per cantar Osanna [3].

[1] PARAD., canto XXIII, vers. 73, seq. — [2] PARAD., canto XXXI, vers. 115, seq. — [3] IBID., canto XXXII, vers. 85, seq. Non incongrue hic animadvertitur haud improbabile censeri divini poematis conscriptionem Danti inspiratam fuisse ex illius magna in Deiparam devotione, ita ut Beata Virgo dici possit totius operis cardo. Cf. MARIA E LA DIVINA COMMEDIA. Discorso di Mgr. GIACOMO POLETTO al Congresso Mariano di Torino. Torino, 1899, pp. 97, seq.

CAPUT II.

De qualitatibus corporalibus Beatae Mariae Virginis.

PROLOGUS.

Ratio et ordo capitis. — Ex duplici parte essentiali constat homo, scilicet ex anima rationali et corpore, ita ad invicem unitis, ut illa sit huius forma substantialis, et totus homo res quaedam composita dici debeat. Porro, cum nullum compositum possit perfecte cognosci, nisi de partibus unde constat accurata notitia habeatur, hinc ad pleniorem de Deipara cognitionem comparandam, post explicationem eorum quae ad eius animam, potentias et virtutes pertinent, necesse est ut de illius corpore specialis tractatio instituatur.

At, quemadmodum omnes hominis perfectiones ex anima quodammodo dimanant, ita corpus ipsum, quantum in se est, imperfectionum et defectuum radix existit; unde in hoc capite primo loco agendum erit de perfectione corporali Beatae Mariae Virginis, quae quidem perfectio animam habet causam (art. 1); secundo autem de Beatae Virginis defectibus, scilicet de passibilitate (art. 2), necnon de mortalitate (art. 3), peragetur, qui defectus proprie in corpore radicantur.

Hinc tria hic quaerentur:

Primo. De perfectione corporali Beatae Mariae Virginis.

Secundo. Utrum Beata Virgo fuerit passibilis.

Tertio. Utrum Beata Virgo fuerit mortalis.

Articulus I. — *De perfectione corporali Beatae Mariae Virginis.*

1. — Ratio articuli. — Perfectum, quod secundum vim nominis significat *totaliter factum*, secundum rem illud est cui nihil deest secundum modum suae naturae [1]. Porro, corpus est propter animam, sicut materia propter formam; ideoque de perfectione corporali Deiparae agendum est, non absolute et velut a priori, sed per respectum ad illius animam, illo semper criterio prae oculis retento, quod tradit Angelicus [2]: *In Beata Virgine debuit apparere omne illud quod perfectionis fuit*, scilicet habito respectu ad finem divinae maternitatis. Et haec quidem perfectio potissime ostendenda erit, tum in ortu Deiparae, tum in formatione corporis illius, praetermissis aliis quaestionibus, verbi gratia, de anno, loco, tempore nativitatis illius, et caeteris huiusmodi, quae quidem ad alteram disciplinam scilicet historico-criticam, potius spectant, circa quas vix quicquam tuto decerni potest.

2. — PROP. I. — Beata Virgo fuit genere nobilissima.

3. — Errores. — Nobilitatem originis, quae a Boëtio describitur [3]: *Quaedam de meritis veniens laus parentum*, a Beata Virgine primo quidem olim nisi sunt excludere Celsus epicureus [4] et Faustus manichaeus [5]; quos deinde secuti sunt Lutherus [6] et Calvinus [7], Virginis personam ignobilem et despectam vocitare haud verentes.

Contra quos, ad vindicandam nobilitatem ortus Beatae Virginis, satis erit ostendisse — α) quod Beata Virgo fuit de stirpe regia; β) quod cognata fuit stirpi sacerdotali.

4. — α) Beata Virgo fuit de stirpe regia. — Quod Deipara fuerit de stirpe regia, res est certissima, nam ex pluribus

[1] 1, Quaest. IV, art. 1. — [2] 4, Dist. XXX, Quaest. 11, art. 1, Quaest. III, sol. 1. — [3] L. III de Consol. Phil., Pros. 6. — [4] Cf. Orig. l. II Contra Celsum, n. 32, ed. Migne, P. G. ed. Lat. t. XIII, col. 553. — [5] Cf. S. August., l. XXIII Contra Faust., c. 9, t. VIII, col. 427. — [6] In Expos. Cant. Magnificat. — [7] In Harmon. Evang.

Sacrae Scripturae locis evidenter resultat. Revera, Christus semper exhibetur ex David oriundus; sic ipsi David promissum legitur [1]: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*; et S. Paulus dicit quod Christus *factus est ei ex semine David secundum carnem* [2], unde et in Evangelio legitur [3]: *Liber generationis Iesu Christi, Filii David*; quinimmo, et penes Iudaeos haec erat persuasio; dicebant enim [4]: *Nonne Scriptura dicit: quia ex semine David, et Bethlehem castello ubi erat David, venit Christus?* Atqui Beata Virgo ea est, *de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus* [5]. Unde concludit S. Augustinus [6]: *Cum evidenter dicat Apostolus Paulus, ex semine David secundum carnem Christum, ipsam quoque Mariam de stirpe David aliquam consanguinitatem duxisse dubitare utique non debemus.* Quapropter, cum Suarez [7] dicendum est rem esse *de fide* certam, Beatam Virginem esse de genere davidico, quod genus vere regale erat. Unde Ecclesia iure meritoque canit [8]: *Nativitas gloriosae Virginis Mariae, orta de tribu Iuda, clara ex stirpe David.*

5. — Confirmatur ex genealogia Christi per sanctum Ioseph deducta. — Nimirum, cum Ioseph non fuerit Christi secundum carnem pater, non alia de causa potuit eius genealogia per illum ex David texi, nisi quia ex eadem familia erat ac Maria de qua Christus natus est; siquidem Beata Virgo, cum esset unigenita filia, et paternorum bonorum heres, debuit nubere viro ex eadem familia orto, iuxta Numerorum legem [9]. *Cum*, ait S. Augustinus [10], *unus idemque narrator utrumque dicat, utrumque commendet, et virum Mariae Ioseph, et Christi Virginem Matrem, et Christum ex semine David, et Ioseph in serie progeneratorum Christi ex David: quid restat ut credat, qui vult divino Evangelio* (magis) *quam haereticorum fabulis credere, nisi et Mariam non fuisse extraneam a cognatione David, et eam Ioseph coniugem non*

[1] Ps. CXXXI, 11. — [2] Rom., I, 3. — [3] Matth., I, 1. — [4] Io. VII, 42. — [5] Matth., I, 16. — [6] L. II de Consensu Evangel., c. 2, t. III, par. II, col. 28. — [7] In 3 P., Quaest. XXVII, Sect. 3. — [8] In Offic. Nativ. B. M. V. — [9] XXXVI, 8. — [10] L. XXIII Contra Faust., cc. 8 et 9, tit. VIII, col. 426 et 427.

frustra appellatam, propter ordinem sexus, et animorum confoederationem, quamvis ei non fuerit carne commixtus, et Ioseph potius propter dignitatem virilem ab ordine generationum illarum non fuisse separandum, nec hoc ipso videretur ab illa femina separatus, cui eum coniungebat mentis affectus... Nos ergo credimus etiam Mariam fuisse in cognatione David, quia Scripturis eis credimus, quae utrumque dicunt et Christum ex semine David secundum carnem, et eius Matrem Mariam, non cum viro concumbendo, sed virginem. Quocirca tenendum est cum S. Hieronymo [1], *ex una tribu fuisse Ioseph et Mariam: unde ex lege eam accipere cogebatur ut propinquam, et quod simul censetur in Bethlehem, ut de una videlicet stirpe generati.*

6. — Solvitur tacita obiectio. — Nec obstat quod Beata Virgo et sanctus Ioseph ita pauperes fuerint, ut labore manuum victum sibi debuerint procurare: non enim paupertas argumento est aliquem ex ignobili prosapia descendisse, ut multis exemplis constat, et praecipue Beseleel, qui licet ex perillustri tribu Iuda oriundus, tamen in fabricando tabernaculo opificium fabrile exercuisse perhibetur [2].

7. *γ*) Beata Virgo fuit cognata stirpi sacerdotali. — Probatur ex hoc Angeli ad Mariam [3]: *Ecce Elisabeth, cognata tua.* Porro quod Elisabeth fuerit de genere sacerdotali, patet ex hoc loco [4]: *Fuit in diebus Herodis regis Iudaeae, sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, et uxor eius de filiabus Aaron, et nomen eius Elisabeth.* Descendebat igitur Elisabeth, feminea progenie, ab Aaron, qui sub Lege Moysi summus pontifex fuit. Unde Beatissima Virgo, quae Elisabeth cognata, seu consanguinea erat, fuit et ipsa de genere sacerdotali.

Hanc consanguinitatem agnoscunt, praeter alios, S. Augustinus et S. Thomas. Ille quidem ait, *oportuisse ut dominica caro non solum de regia, sed etiam de sacerdotali stirpe*

[1] Comment. in S. Matth., C. I, 18, *Christi autem generatio sic erat*, t. XII, P. I, colle 12. — [2] Exod., XXXI, 2; XXXXI, 1. — [3] Luc., I, 36. — [4] Ibid., I, 5.

propagaretur [1]; hic autem [2] primo refert verba S. Greg. Nazianzeni, dicentis [3] quod nutu superno contigit, ut regium genus sacerdotali stirpi iungeretur, ut Christus, qui rex est et sacerdos, ab utrisque nasceretur secundum carnem: postea autem subdit [4]: *Unde et Aaron, qui fuit primus sacerdos secundum legem, duxit ex tribu Iuda coniugem Elisabeth filiam Aminadab: sic ergo potuit fieri ut pater Elisabeth aliquam uxorem habuerit de stirpe David, ratione cuius Beata Virgo Maria, quae fuit de stirpe David, esset Elisabeth cognata.*

At vero ista cognatio Mariae ad Elisabeth non fuit ex parte patris, sed ex parte matris, iuxta illud S. Thomae [5]: (Beata Virgo) *erat de stirpe sacerdotali ex parte matris; quod patet ex hoc quod Elisabeth, quae erat de filiabus Aaron, dicitur eius cognata.* Revera, ut habet S. Paulus [6], *manifestum est quod ex Iuda ortus sit Dominus Noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est:* qui antea praemiserat [7]: *Necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici:* unde concludit Angelicus [8]: *Quia igitur sacerdotium veteris Legis erat figura sacerdotii Christi, noluit Christus nasci de stirpe figuralium sacerdotum, ut ostenderetur non esse omnino idem sacerdotium, sed differre sicut verum a figurali.*

Quapropter, si Beata Virgo, secundum lineam paternam orta fuisset de stirpe sacerdotali, absolute et simpliciter Christus dici deberet ortus de stirpe figuralium sacerdotum, quod inconveniebat: unde, ut ipsi etiam non deesset nobilitas ex genere sacerdotali, secundum lineam maternam Deipara ex sacerdotibus ortum habuit [9]. Quae ita cum sint, concludendum est cum B. Alberto Magno [10], Deiparam fuisse ratione originis nobilissimam ac dignissimam in summo, cui convenit id quod habet S. Ildephon-

[1] Quaest. XLVII, in lib. Iud., L VII, t. III, P. I, col. 610. — [2] 3, Quaest. XXXI, art. 2, ad 2um., — [3] Habetur in Carm. 18 de Geneal. Christi, nn. 38, 39, Paris., 1842, t. II, p. 269. — [4] Ibid. — [5] 4, Dist. XXX, Quaest. II, art. 1, Quaestiunc. 3, ad 4^{m}. — [6] Hebr., VII, 14. — [7] Ibid., 11. — [8] 3, Quaest. XXII, art. 1, ad 2^{m}. — [9] Cf. Tract. n. de Incarn., in loco cit., n. 5. — [10] Tract. de Laud. Virg.

sus, cum ait [1]: *De progenie carnis nulla nobilior Dei Matre refulsit.*

8. — PROP. II. — Beata Virgo perfectissimam corporis complexionem ac dispositionem habuit.

9. — Exponitur. — Haec propositio enunciatur verbis S. Antonini [2], et probatur comparatione quam instituit Dionysius Cartusianus [3]. *Sicut Christi humanitatem, propter eius personalem cum Deo unionem, decuit omni perfectione naturae et gratiae in termino excellentiae praefulgere, ita ipsius Genitricis personam post Unigeniti sui humanitatem oportebat in omnibus sic ornari, quoniam post hypostaticam cum Deo coniunctionem, non est alia Deo tam vicina, ut unio Matris Dei cum Deo Filio suo.*

Revera, si Deus primi hominis corpus contingens, Christum ex eo oriturum, teste Tertulliano [4], mente versabat, et propterea magno illud affectu efformabat, multo magis in formatione corporis Beatae Virginis, ex quo immediate Verbum nasciturum erat, divinae suae artis secreta contulit, praesertim cum filii genitores corporis configuratione referre consueverint [5].

Quocirca, cum Beatissima Virgo sine ulla originalis peccati macula concepta fuerit, ipsi Evae in corporis nobilitate ac perfectione non cessit, sed praestanti membrorum integritate et accommoda quantitate, necnon apta partium compage, ordine ac conformatione donata est, crescentibus, proportionaliter cum aetate, ipsius corporis viribus, ita quod nihil eius excellentiae, nihil perfectioni, secundum modum sibi debitum, utcumque defuerit.

10. — Confirmatur. — Cum omnis nostra cognitio, propter formalem animae ad corpus unionem, ex sensu quodammodo originem ducat, sequitur quod, quanto meliorem aliquis sortitur animam, scilicet secundum virtutem cognoscitivam et volitivam, tanto etiam corpus eius est melius dispositum [6]; aliunde gratia quodammodo commensuratur na-

[1] Serm. III in Assumpt., ut supra. — [2] 4 P., tit. XV, c. 10, § 2. — [3] L. I de Laud. Virg., n. 35, t. XXXVI, p. 63. — [4] L. De Carnis Resurr., c. 7. — [5] Sic quippe filii *patrissare* vel *matrescere* dicuntur. — [6] 1, Quaest. LXXX, art. 7.

turalibus: non quasi secundum capacitatem naturalem detur, gratia enim est supra omne debitum naturae, sed quia naturalia perficit et quodammodo in ipsis fundatur. Atqui perfectissima fuit Beatae Virginis scientia et gratia, ut supra ostensum est. Ergo corpus habuit optime dispositum et complexionatum. *Multum iuvat*, ait S. Antoninus [1], *ad bene operandum bona complexio corporis et debita organorum dispositio; et qui meliora naturalia habet, quod est ex dispositione corporis, ille instinctu gratiae perfecta perfectius exequitur; et quia Beata Virgo optima naturalia habuit et perfectissimam corporis complexionem et dispositionem, repleta gratia in sanctificatione perfecte operabatur.*

Nec obstat femineum sexum virili sexu imperfectiorem esse: licet enim ita communiter contingat, tamen quandoque, divina favente Providentia, possunt mulieres viros in perfectione superare, sicut de pluribus mulieribus in historia tum profana, tum maxime sacra legimus, quas inter eminuisse Deiparam haudquaquam dubitandum est; unde eam S. Gregorius Nazianzenus egregie compellat [2]: *O femineum sexum, qui propter commune salutis certamen, virilem sexum superasti*, ὦ γυναικεία φύσις τὴν ἀνδρείαν νικήσασα, διὰ τὸν κοινὸν ἀγῶνα τῆς σωτηρίας.

11. — Scholion I. — Quin et hoc addendum est, scilicet Beatissimam Virginem *aegritudini aut morbo nunquam subiacuisse*, quemadmodum de Christo Domino retinemus [3]. Cum enim morbus omnis proveniat ex dissolutione debitae proportionis in humoribus, Beata Virgo autem apto et concinno primarum qualitatum temperamento donata fuerit, ideo sanitate perfecta gaudebat, quae omnem morbi cuiuscumque incursum arcere valeret. Et licet sanitas corporalis Mariae in hac vita incursibus agentium externorum subiiceretur, virtute tamen ingenitae prudentiae illorum influxum poterat noscere ac praevidere; divina vero Providentia specialiter ei adsistens illos sollicite propellebat; ita ut de Maria possit adseri illud quod S. Augustinus dicit de primo ho-

[1] P., Tit. XV, c. 10, § 2. — [2] Orat. VIII DE S. GORGON., n. 14, t. I, p. 227, Par., 1778. — [3] Cf. Tract. DE INCARN., Quaest. XIV, art. 4.

mine[1]: *Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ullas molestias ullis eius sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus: summa in carne sanitas.* Quapropter Gersonius ait [2]: *Quod ad corpus attinet, conferemus ei* (Mariae) *omnem delectationem, omnem sanitatem, harmoniam et temperantiam complexionis.* Egregie quoque Caietanus [3]: *Tenendum indubie mihi videtur quod nec nervorum contractio, nec morbus alius in Beata Virgine fuit.* Unde concludit Deiparam, sicut etiam Christum Dominum, spasmum unquam non fuisse passam.

12. — **Scholion II.** — Nec deneganda est Beatissimae Virgini *condecens pulcritudo corporalis*, quae ex optima corporis constitutione, apta membrorum dispositione, proportione ac formositate cum grata coloris suavitate consurgit; cui rei argumento est ipsamet eius Filii praecellens pulcritudo. *Inter generantem et genitum*, ait S. Antoninus [4], *naturaliter et regulariter singulorum membrorum ad invicem est similatio in forma et figura, nisi per viam accidentis impediatur. In corpore autem dominico formando nullum potuit intercidere impedimentum, cum Spiritus Sanctus formator extiterit; et ideo membra illius coporis fuerunt elegantissimae dispositionis et congruentissimae proportionis;... et idem dicendum est de membrorum proportione Beatae Virginis Matris eius.*

Beatus quoque Albertus Magnus dicit [5], *Mariam non potuisse non eximia forma et incomparabili pulcritudine praeditam esse, quae multo rectius in ipsa, quam in Esther coniuge et Iudith vidua, vel in Rachel et Rebecca virginibus, Mariae typum exprimentibus, praedicetur. Habuit summum et perfectissimum in pulcritudine, quod potuit esse in mortali corpore secundum statum viae operante natura. Sicut enim Dominus noster Iesus Christus fuit speciosus forma prae filiis hominum, ita Beatissima Virgo pulcherrima et speciosissima inter filias hominum.*

[1] L. XIV de Civ. Dei, c. 26, t. VII, col. 376. Cf. L. I de Peccat. Merit. et Remis., c. 3, t. X, col. 8. — [2] In Serm. de Concept. Virg. — [3] Opusc. de Spasmo B. V. M., Tract. XIII, T. II. — [4] P. IV, tit. XV, c. 11, § 1. — [5] Apud B. Canisium, de Maria Deip., l. 1, c. XIII, p. 92, ed. in-folio.

13. — Nulla fuit in Beata Virgine deformitatis umbra. — Hoc autem abundantius patet, discurrendo per quatuor causarum genera, ex quarum consideratione facili negotio deprehenditur nullam in Virginis Beatae corpore adfuisse deformitatis vel tenuissimam umbram. Huiusmodi vero pulcritudo fini divinae maternitatis proportionata erat, quemadmodum corporea Christi pulcritudo fini Incarnationis respondit; talis autem extitit, ut pravos omnino affectus arceret, castos vero et pudicos insinuaret amores. Ita egregie S. Thomas a Villanova [1]: *Pura et immaculata Virgo, cui etiam prae aliis hoc virginitatis insigne erat, ut inspectatores suos virgines faceret: erat enim in ea virgines germinans virginitas.*

Sed et quidam maiestatis fulgor atque velut divinitatis instinctus in vultu Deiparae emicuisse credendus est, quem ipsa tamen prae summa humilitate abscondere satagebat; incessu quoque regina ita patebat, ut ipsi competerent illa Iudith [2]: *Cui etiam Dominus contulit splendorem*; quo etiam faciunt verba cuiusdam ignoti auctoris sub emendito nomine Dionysii Areopagitae [3]: *Testor,... si divina doctrina non me docuisset, hanc verum Deum esse credidissem.* Qua in re, notandi sunt Venantii Honorii Clementiani Fortunati versus, quibus astrorum nitorem fingit Beatae Virginis splendore antecelli [4]:

Ore diem iaculans, radios a fronte sagittas
Luminibus rutilis, lumen honore rotans.
Sidereum speculum, illustris domus Omnipotentis,
Vultibus ex illis fulgura clara ferens.

. . . . . .

Nix premitur candore tuo, sol crinis honore,
Pallescunt radii, Virgo, decore tui.
Lychnites hebes est, cedit tibi Lucifer ardens,
Omnibus officiis lampade maior ades [5].

[1] Serm. II de Annunc. — [2] X, 4. — [3] In Epist. quadam supposititia ad S. Paulum, apud Carthagen., L. II, Hom. 5. Vol. I, Neap., 1857, p. 110. — [4] De Partu Virginis, L. I, vers. 225, seq. Huic auctori debentur, inter alia, hymni *Vexilla Regis prodeunt*, et *Pange lingua, gloriosi*. — [5] Sic, gloriosae Reginae nostrae omnino competit laus Esther olim attributa (II, 15): *Est enim formosa valde, et incredibili pulcritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur.*

Omnes pulcritudines istae fuerunt valde in Virgine benedicta, ait Dionysius Cartusianus [1]. *Primo etenim fuit corpore valde formosa, utpote optime complexionata, atque in omni naturali dono praefulgida. Secundo, fuit in morum venustate speciosissima, in loquendo, eundo, stando, sedendo, operando, ridendo, summe modesta, delectabilis et exemplarissima. Tertio fuit in spirituali et interiori pulcritudine naturali multum praeclara, utpote ingeniosa praecipue, et indolis optimae, fortissimam habens synderesim, et maximam inclinationem ad omnium actus virtutum*, etc.

Citari demum hic opportune possunt verba celebris Card. Pie, qui hunc locum [2]: *Invenerunt puerum cum Maria Matre eius*, commentans, scribit [3]: *Figurez-vous cette tête pudique de Marie, où le péché originel n'avait rien terni, rien dérangé: où reluisaient, par un heureux mélange et dans une merveilleuse harmonie, les joies et les amours de la mère avec les chastes attraits de la vierge. Quels admirables reflets de beauté cette tête modeste de la Vierge ne devait-elle pas envoyer sur la tête auguste du Sauveur, du Verbe fait chair, de celui dont l'humanité sainte fut le chef-d'œuvre du doigt divin, qui épuisa, pour en former les sacrés linéaments et les proportions adorables, toutes les délicatesses de ses touches, toutes les industries et les ressources de son art infini! Comme ces deux figures s'embellissent, se perfectionnent l'une pour l'autre!* ECCE TU PULCHER ES, DILECTE MI, ET DECORUS. ECCE TE PULCRA ES, AMICA MEA.

14. — Beata Virgo in nativitate sua nullam iniuriam intulit matri suae. — Revera, tenendum est Deum sanctae Annae, propter dignitatem et perfectionem Immaculatae Virginis, illudmet concessisse quod mulieri in statu innocentiae concesserat, scilicet ut sine corruptione et dolore pareret; quod quidem in poenam peccati originalis sublatum est [4]. Nec gratis hoc adseritur: nam, ut habet S. Ioannes

[1] In solemn. Assumpt. B. M. V. Sermo I, Tornaci, 1906, T. XXXII, p. 314. — [2] MATTH., II, 11. — [3] LA SAINTE VIERGE D'APRÈS Mgr. PIE, par le R. P. Mercier, S. J., p. 289; Paris, 1881. — [4] Tr. n. DE PRIMA HOMINIS FORMATIONE, Quaest. XCVIII, art. 2.

Damascenus [1], decuit ut ad summum miraculum, qualis fuit conceptio Virginis sine virili consortio, via per miracula sterneretur.

Porro, cum dicimus S. Annam sine integritatis iactura peperisse Deiparam, integritas non debet intelligi quae opponitur apertioni; sic enim etiam in statu innocentiae mulieres non peperissent absque aliqua viscerum apertione, et sola Beatissima Virgo Christum clauso utero miraculose peperit; sed integritatem intelligimus quae, dum excludit omnem violentam carnis fractionem aut laesionem, secumfert tamen naturalem ac facilem viscerum muliebrium apertionem et dilatationem, quae corruptio dici non potest, estque similis naturali apertioni oris aut manus [2]; aliunde Deiparam parentes eius sine libidine concepisse diximus [3].

Pariter, nullum dolorem nativitas Beatae Virginis attulit sanctae Annae; non enim decebat ut nativitas illa quae toti mundo afferebat gaudium, sanctae Annae dolorem causaret, ita quod in hoc casu dici debeat fuisse derogatum poenae a Deo latae [4]: *In dolore paries filios.* Quod confirmatur ex S. Bernardi regula [5]: *Quidquid aliis, licet paucissimis, est concessum, non est credendum gloriosae Virgini fuisse negatum.* Atqui plurium sanctorum matribus partum sine dolore concessum fuisse historia testatur, sicut evenisse traditur respectu sanctae Theresiae, sanctae Ludwinae, necnon sancti Stanislai Kostka. Ergo multo magis hoc privilegium matri gloriosissimae Deiparae concessum fuisse credendum est.

15. — Quaestio I. — *Utrum Beata Virgo Christum lactaverit?*

Resp. *Affirmative*; hoc enim est officium naturae, ut matres lacte alant filios suos, unde a S. Chrysostomo graviter reprehenduntur matres illae quae ab hoc officio se eximunt: *Erubescit fieri nutrix quae facta est mater, et pietatis insignia abscindit superbia* [6]. Beata Virgo autem, legi naturae obtem-

[1] Homil. I in Nativ. B. M. Virg., t. II, p. 842. — [2] Cf. Franc. Sylvium in loc. cit. S. Thom. — [3] Supra, C. I, A. 2, n. 9. — [4] Gen., III, 16. — [5] Ep. ad Can. Lugd. — [6] Homil. X in Psalm. 50.

perans, hoc officium peramanter implevit; unde legitur [1]: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti*; et Ecclesia canit [2]: *Ipsum Regem angelorum sola virgo lactabat ubere de caelo pleno* — Ubi, quod dicitur: *ubere de caelo pleno*, non intelligendum est quasi lac Virgini fuerit caelitus per speciale miraculum immissum, propterea quod virgo a viro incognita lacte careat; nam ex quo divinitus et per miraculum factum est quod Maria, virgo manens, a Spiritu Sancto fuerit fecundata, hoc etiam obtinuit ut, virtute prioris miraculi perdurante, lac in ea pro prolis alimentatione formaretur, quemadmodum purissimus eius sanguis ad locum competentem pro Filii Dei conceptione fuerat adunatus.

16. — **Quaestio II.** — *Utrum Beata Virgo habuerit angelum custodem?*

Resp. *Affirmative*, et quidem altissimum inter angelos hominum custodes, loquendo scilicet tantummodo de custodia extrinseca.

Ad quod rite intelligendum, primo advertatur, ad catholicam veritatem pertinere ut dicatur quod unicuique homini, non exclusis ipsis peccatoribus, deputatur proprius angelus custos [3], quod ita tradit S. Hieronymus [4]: *Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum* [5]. Ergo nulla est ratio Beatam Virginem ab hac praerogativa excludendi; cum etiam primis nostris parentibus huiusmodi beneficium a Deo fuerit collatum [6].

Hunc autem angelum contendimus non tantum in obsequium et famulatum Deiparae fuisse traditum, sed etiam in veram custodiam extrinsecam: nam haec est proprie differentia inter Beatam Virginem et Christum, quod Christus, secundum quod homo, immediate regebatur a Verbo Dei, ideoque non indigebat custodia angelorum [7]; unde angelos habuit non ad custodiam, sed ad obsequium et famulatum.

[1] Luc., XI, 27. — [2] In Offic. Circumc. — [3] Cf. quae scripsimus in tract. de Angelis, Vol. II, Quaest. CXIII, art. 2. — [4] In Cap. XVIII Matth., vv. 10, 11. — [5] Quaest. XXX, inter Opp. S. Iustini martyr., 1747, Append. I, p. 486. — [6] Vide tr. de Angelis, loc. cit., art. 4, et 2 2^{ae}, Quaest. CLXV, art. 1. — [7] Tr. de Angelis, l. c., ad 2^{m}.

At Beata Virgo a Verbo Dei immediate non regebatur: unde angelis indigebat, non quidem ad regimen interius, cum peccati fomite prorsus careret, sed ad exteriorem custodiam, maxime propter daemonum insidias [1]. Unde licet Deiparae, sicut etiam homini in statu innocentiae constituto, omnia interius essent ordinatissima, cum tamen ei immineret periculum ab exteriori propter insidias daemonum, ideo quantum ad hoc indigebat angelorum custodia, licet isti, tanquam dignitate inferiores, ei etiam famulari tenerentur.

Potuit etiam angelus custos Deiparam Virginem intrinsecus illuminare; quia, etsi angelis superior foret quantum ad dignitatem, tamen, secundum statum viae ipsis inferior erat, et ideo ab eis edoceri potuit, non solum externe, sicut in annuntiatione, sed etiam interna illustratione.

Porro dici potest Beatam Virginem habuisse angelum custodem inde a momento suae conceptionis, scilicet propter perfectionem animae rationalis et consequenter corporis eius, cum tunc, ut diximus, coeperit operari intellectualiter. In quo quidem ostenditur illius excellentia super alios homines, qui angelum sibi deputatum solum a nativitate accipiunt, propterea quod puer, quamdiu est in utero materno, potest dici quodammodo aliquid matris suae, sicut et fructus pendens in arbore est aliquid arboris; et sic idem angelus qui custodit matrem, custodit et prolem quae est in ventre eius usque ad tempus nativitatis [2]. Sed in casu Beatae Virginis, altior dispositio agnosci debet; nam, ut habet Fulbertus Carnotensis [3], *quanta putamus provisio fuerit sanctorum angelorum circa tam Deo gratissimos parentes ab initio* (Deiparae) *procreationis et exultatio super tam ingentem sobolem?... Nulli enim fidelium dubium est quod circa eam frequentia caelestium agminum invigilabat.*

Nihil autem prohibet quominus dicatur Mariae, praeter angelum custodem, alium quoque angelum datum fuisse, in quantum, utpote Mater Dei et hominum, altissimum officium gerebat in bonum totius generis humani. Nec repugnat quin

[1] Ibid., n. 4, p. 174. — [2] Ibid., art. 5, ad 3[m] — [3] Serm. in ortu almae V. M. inviolatae.

dicatur hunc secundum angelum fuisse ipsummet Gabrielem archangelum, a quo videlicet Incarnationis mysterium didicit. In quam sententiam adferri possunt haec verba S. Bernardi [1]: (Beata Virgo) *archangelo... servanda ab initio tradita fuisse credenda est.*

Articulus II. — *De passibilitate Beatae Mariae Virginis.*

1. — Ratio articuli. — Cum iam Beatissimae Virginis Mariae corporeae perfectiones expenderimus, pronum est ut de eius defectibus, quos inter primo loco ponenda est passibilitas, sermo instituatur. Ubi non agitur de passione communiter et improprie dicta, quae scilicet contingit secundum quamcumque mutationem, etiam secundum mutationem quae ad naturae perfectionem pertineat, quale est in parte rationali intelligere, in parte sensitiva sentire, in parte vegetativa dormire et alia huiusmodi: hoc enim modo passione accepta, ultro constat Beatissimam Virginem fuisse passibilem, quandoquidem naturalis ordo postulabat ut perficerentur eius intellectus et voluntas, vires quoque sensitivae et vegetativae, quarum virium perfectio in operatione consistit. Quocirca hic expresse agitur de passione proprie accepta, quae scilicet est effectus actionis agentis removentis passum a sua naturali dispositione [2], et hoc sive quoad bona naturalia corporis, sive quoad bona animae.

2. — Passio corporalis et passio animalis. — Porro, alia est passio corporalis et alia passio animalis. Passio *corporalis* habetur per corporis laesionem: nam cum anima sit corporis forma, et ideo unum sit esse animae et corporis, consequenter corpore perturbato per aliquam corpoream passionem, necesse est quod anima quoque per accidens perturbetur, scilicet quantum ad esse quod habet in corpore [3],

[1] Epist. LXXVII ad Mag. Hugonem de S. Victore, t. II, p. 40, r°. Cf. Abulen., in cap. XVIII S. Matth., q. 60. — [2] Quaest. XCVII, art. 2. — [3] 3, Quaest. XV, art. 4.

sicut perturbatur fame, siti, defatigatione, etc. Passio autem *animalis* est animae affectio appetitus sensitivi in apprehensione quidem, quod ad nos modo refert, mali vel praesentis vel futuri: huiusmodi est, verbi gratia, tristitia aut timor.

Quae cum ita sint, ad huius quaestionis ampliorem solutionem duo quaerentur: *primum*, utrum Beata Virgo habuerit debitum subiacendi dolori corporali, *alterum*, qua convenientia ipsa passioni maxime internae subiacuerit, ita quod vere *Martyrum Regina* diceretur et esset.

3. — PROP. I. — α) Beata Virgo non habuit debitum patiendi dolore corporali; β) conveniens tamen fuit ut eidem subiaceret.

4. — Prob. 1ª Pars. — Passio corporalis, proprie dicta, est, non secus ac mors ipsa, sequela naturalis peccati originalis et quaedam ad mortem dispositio. Atqui Beata Virgo nec peccatum originale contraxit, nec debito mortis subeundae subiacuit. Ergo Beata Virgo caruit debito patiendi, sive secundum animam, sive secundum corpus [1]. — Quod Beata Virgo peccato originali caruerit, supra ostensum est; quod autem debito mortis subeundae non subiacuerit, in articulo subsequenti ostendetur.

Quocirca, absolute loquendo, Beata Virgo potuisset, non secus ac Adam in statu innocentiae constitutus, passionem prohibere sicut et mortem, sive per propriam rationem, per quam poterat nociva vitare, sive maxime per divinam Providentiam, quae eam sic tueri poterat, ut nihil ei occurreret a quo laederetur [2]; unde et in parturiendo doloribus caruit, quibus tenentur aliae mulieres lege lata a Deo: *In dolore paries filios* [3]. — *Quaecumque mulier concepit*, ait Angelicus [4], *necesse est quod aerumnas patiatur, et cum dolore pariat, praeter Beatam Virginem, quae sine corruptione concepit et sine dolore peperit, quia eius conceptio non fuit secundum legem naturae a primis parentibus derivatae.*

[1] Cf. 1, Quaest. CXVII, art. 2. — [2] Ibid., ad 4m. — [3] Gen., III, 16. — [4] 2 2ae, Quaest. CLIV, art. 2 ad 3m.

5. — **Prob. 2ª Pars.** — Attamen, licet Beata Virgo debito patiendi non subiacuerit, conveniens tamen fuit ut passioni corporali aliquo modo subiiceretur, id decernente Deo propter finem divinae maternitatis, qui erat ut Christo, quantum fieri posset, conformaretur [1], ipsamet sanctissima Virgine id ultro amplectente, iuxta divinae voluntatis beneplacitum. Unde, quod de Christo statuitur, etiam de eius Matre adseri debet, nempe eam plures defectus corporales habuisse, non tamen omnes, sed qui communiter inveniuntur in omnibus hominibus, ut sunt fames, sitis, frigus, lassitudo, etc., necnon defectus qui perfectioni scientiae et gratiae ipsius haud repugnabant. Quocirca non fuerunt in Maria defectus qui sequuntur ex peccato, puta ex inordinato victu, ut, est, verbi gratia, morbus comitialis, aut ex defectu virtutis formativae, ut lepra, aut ex defectu bonae dispositionis in humoribus, ut febris; isti enim defectus in omnibus hominibus communiter non inveniuntur; sed et longe ablegandae sunt a tanta Virgine ignorantia, pronitas ad malum et difficultas ad bonum, quippe qui defectus gratiae et scientiae perfectioni repugnant [2].

6. — **Quaestio.** — *Quanam necessitate Beatissima Virgo hisce defectibus subiacuit?*

Resp. *Necessitate suppositionis.* Ex quo enim Virgo Beata suo impassibilitatis iuri, conformiter divinae voluntati, nuntium remisit, secuta est in ipsa necessitas quaedam, ex principiis humanae carnis causata, subiacendi huiusmodi defectibus, — talis nempe necessitas, quae consequitur materiam, sicut necessarium est corpus ex contrariis compositum dissolvi. Talis quoque in Christo fuit necessitas, cum ex beneplacito divinae voluntatis, carni eius permissum fuerit agere et pati quae propria. Unde, licet rationali voluntate, quae sequitur rationem deliberantem, Beata Virgo haec omnia libentissime pateretur, tamen secundum naturalem

[1] Recolendum est quod supra dictum est (P. II, c. I, art. 4, n. 6, p. 2, seq.) nempe Deiparam in momento suae conceptionis, superne illustratam, actu se ad Deum toto cordis affectu convertisse. — [2] Cf. tr. DE INCARNATIONE, Vol. I, Quaest. XIV, art. 4.

motum voluntatis, refugiebat corporis nocumenta, et quidquid appetitui sensitivo contrariabatur [1].

7. — **Scholion.** — Nec propterea erat in Beata Virgine voluntatum contrarietas: licet enim voluntas sensualitatis et etiam voluntas ut natura, quae scilicet considerat bonum absolute et sine respectu ad finem, refugerent ab huiusmodi passionibus quas voluntas deliberata amplectebatur, tamen neutra repudiabat rationem propter quam praefatis doloribus libere subiacebat: nam voluntas ut ratio suscipiebat dolores in ordine ad Dei voluntatem et salutem hominum; at voluntas sensualitatis et voluntas ut natura ad tantum se extendere non valebant, ut aliquid vellent in ordine ad aliud: contrarietas autem non potest esse, nisi oppositio attendatur in eodem et secundum idem: sicut si iudex velit latronem suspendi propter bonum publicum, aliquis autem eius consanguineus hoc nolit propter amorem privatum, non est voluntatum contrarietas [2].

Nec ambigendum omnino est Beatissimam Virginem huiusmodi dolores persensisse: ipsi enim erat corpus quod pati poterat, nec deerat laesionis sensus, cum eius anima naturales omnes potentias perfectas haberet: ad veritatem autem sensibilis doloris requiritur et sufficit laesio corporis et laesionis sensus seu apprehensio [3].

Nec obstat summa animae perfectio in Beatissima Virgine; nam, ut ait Angelicus [4], *inferiores vires pertinentes ad sensibilem appetitum naturaliter sunt obedibiles rationi: non autem vires corporales, vel etiam humorum corporalium, vel ipsius animae vegetabilis, ut patet I Ethic.* [5]*; et ideo perfectio virtutis, quae est secundum rationem rectum, non excludit passibilitatem corporis.*

8. — PROP. II. — **Beata Virgo dolores animi vere passa est.**

9. — **Prob.** — Ex quo divinitus decretum fuit ut Virgo benedicta in Matrem Dei eveheretur, simul quoque praefinitum est ut esset in corde particeps omnium Filii Redemptoris passionum, ut quod ille in carne aut in spiritu, ipsa

[1] Ibid., art. 2. — [2] Tr. de Incarn., Vol. II, Quaest., XVIII, art. 6. — [3] Ibid., Quaest. XV, art. 5. — [4] Ibid., art. 2, ad 1[m]. — [5] Cap. ult.

affectu maternae compassionis in animo persentiret. Quod Simeon, Spiritu divino actus, cum puerum in ulnis susciperet, prophetavit, dicens Virgini [1]: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, praenuntians acerbi doloris et summae tristitiae aculeum beatam illius animam transfixurum esse [2].

Quod valde rationabiliter dicitur. Nam, licet passio Christi et eius mors, ratione finis Incarnationis ad quem ordinabantur, scilicet ratione salutis hominum et divinae gloriae, a Beatissima Virgine ultro susciperentur, tamen secundum se consideratae, eius voluntati naturali adversabantur, et summam tristitiam ipsi causabant. Sicut enim *dolor sensibilis est in appetitu sensitivo, ita et tristitia: sed est differentia secundum motivum sive obiectum: nam obiectum et motivum doloris est laesio sensu tactus percepta, sicut cum aliquis vulneratur; obiectum autem et motivum tristitiae est nocivum, seu malum interius apprehensum sive per rationem sive per imaginationem, ut in secundo habitum est: sicut cum aliquis tristatur de amissione gratiae vel pecuniae* [3]. — Porro anima Beatae Virginis plura interius apprehendebat ut nociva, sive quantum ad Christum quem materno affectu diligebat, qualia fuerunt passio eius et mors, sive quantum ad alios, ut peccatum discipulorum Christum deserentium, et Iudaeorum illum occidentium et proinde reprobatorum, sive etiam quantum ad se, sicut animi et etiam corporis afflictiones. — Quanquam longe potissima eius tristitiae causa, et fere unica fuerit ipsa Christi Domini Filii eius passio, unde tristitia Virginis *Compassio* proprio nomine vocatur. Quapropter, quemadmodum in ipsa verus dolor corporis fuit, ita fuit etiam vera et profundissima animi tristitia [4].

[1] Luc., II, 35. — [2] Videndi sunt Origenes, Hom. XVII in Luc., et plures alii Doctores, qui haec verba exponunt de dolore quem Maria experta est in Christi passione. Cf. S. Thom., 3. Quaest. XXVII, art. 4, ad 2[um]. — [3] 3. Quaest. XV, art. 6. — [4] Cf. Ibid. Quam profunde impressus fuerit, in animo Aligherii sensus doloris, quem Beata Virgo sub Cruce Christi experta est, erui potest ex his versibus:

E Beatrice, sospirosa e pia,
Quelle ascoltava sì fatta, che poco
Più alla Croce si cambiò Maria.

(Purg., Cant. XX, vers. 3, seq.).

10. — **Solvitur tacita difficultas**. — Equidem Stoici adserebant tristitiam nullatenus posse cadere in animum viri perfecte sapientis, hac ratione ducti, quod cum reputarent non esse aliquod bonum nisi honestum, et malum nisi inhonestum, ideo tristitiam dicebant esse solummodo de malo morali, scilicet de amissione iustitiae et virtutis, quam amissionem vir sapiens minime patitur. — At in hoc graviter errabant. Quamvis enim *honestum sit principale hominis bonum, et inhonestum principale hominis malum, quia haec pertinent ad ipsam rationem quae est principalis in homine, sunt tamen quaedam secundaria hominis bona quae pertinent ad ipsum corpus, vel ad exteriores res corpori deservientes, et secundum hoc potest in animo sapientis esse tristitia quantum ad appetitum sensitivum, secundum apprehensionem huiusmodi malorum* [1]. Quocirca, non repugnat plenitudini sanctitatis et gratiae Virginis Beatae, ponere in ipsa passionem profundae tristitiae.

11. — **Magnitudo tristitiae Beatae Mariae Virginis**. — Ut autem haec Beatissimae Virginis tristitia rite intelligatur, ponderanda est, secundum quadruplex causarum genus, illius superexcedens magnitudo.

Et primo quidem, profundissima dicenda est Deiparae tristitia propter excellentiam causae *efficientis* illiusmet. Causa autem tristitiae Virginis fuit passio Christi, cui Beata Virgo compassa est; praeterea, quia *quod est causa causae, est causa causati*, ideo magnam tristitiam ipsamet Christi passionis causa Mariae attulit, videlicet ingentia et pene innumera hominum peccata, praevisus suae gentis casus, discipulorum scandalum, necnon perditio tot hominum et pro eis inutilis reddita ipsa meritorum Christi copia [2].

Accedit huic proposito quod aequum est ut ille plus patiatur, pro quo Christus plus passus est. Atqui Christus plus passus est pro Matre sua quam pro reliquis redimendis: non quidem ex qua parte Christi passio fuit satisfactoria aut etiam ordinata ad placandum Deum, cum Beata Virgo

[1] Tr. DE INCARN., Vol. I, Quaest. XV, art. 6, ad 2[um]. — [2] Cf. Ventura, LA MÈRE DE DIEU, MÈRE DES HOMMES, c. IX.

omni prorsus peccato caruerit, sed quia Maria praeservata fuit ab omni originali peccato intuitu meritorum Christi, quorum etiam virtuti ipsiusmet Deiparae merita innituntur. *Quanto quis ad maiorem beatitudinem est electus*, ait Dionysius Cartusianus [1], *tanto amplius videtur Christus pro ipso passus: cum itaque ad excellentissimam felicitatem et gloriam dignissima Virgo electa sit ab aeterno, nonne pro ipsa, pro eius amore, pro eius salute, specialissime crucifixus est Filius eius, et ipsa verissime dicere potuit illud Apostoli* [2]: IN FIDE VIVO FILII DEI, QUI DILEXIT ME, ET TRADIDIT SEMETIPSUM PRO ME?

Pariter, causae *materialis* excellentia optime deducitur ex summa perceptibilitate patientis secundum animam, cuius vires interiores efficacissime apprehendebant omnes et singulas tristitiae causas.

Rursus causae *formalis* praestantia deducitur ex vehementi Mariae in Deum et in Filium amore, necnon ex doloris puritate, scilicet, ex carentia omnis cuiuscumque consolationis, iuxta illud [3]: *Non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius.*

Demum ostenditur magnitudo compassionis Mariae ex *fine* illius, qui fuit ut iustitiae divinae, una cum Christo, satisfaceret, et ut misericordiam Dei provocaret. Siquidem Beatae Virginis dolores, sicut et passio Christi Domini, habuerunt quidem rationem poenae *satisfactoriae*, non autem poenae *simpliciter*. Ratio distinctionis est quod poena satisfactoria ea est, quam quis *secundum voluntatem* subit, sive pro propriis, sive *pro alienis culpis*, in quantum scilicet plures communicatione gratiae uniuntur. Poena autem *simpliciter* est malum inflictum in vindictam *proprii* peccati et *contra subeuntis voluntatem* [4].

12. — Scholion. — Ad quod plenius intelligendum, sciendum est quod dolor est malum quoddam quod habet rationem poenae: poena autem peccato debetur. Porro peccatum est actus inordinatus, in quo est et bonum physicum et ma-

[1] In Cantic., c. IV, art. XIV, 9. — [2] Gal., XI, 20. — [3] Thren., I, 2. — [4] 3, Quaest. LXXXVI, art. 4.

lum morale. Poena e contra est privatio ordinata, et in ipsa est malum physicum et bonum morale. Quocirca poena ordinatur ad reparandum ordinem laesum per peccatum. At laeditur ordo divinus per peccatum, quantum ad iustitiam Dei, in quantum peccator, velut sacrilegi furti reus, constituitur erga Deum debitor; laeditur vero ordo divinus quantum ad misericordiam, in quantum intercipitur fons divinorum beneficiorum. Quocirca summa debuit esse et Christi et Beatissimae Virginis suscepta poena, ut efficaciter redintegrari valerent iustitia et misericordia Dei. Et sicut Christus factus est *Vir dolorum* [1], ut fieret nobis *sapientia a Deo et iustitia et sanctificatio et redemptio* [2], ita Beatissima Virgo *Martyrum Regina* fuit constituta, per quam, tanquam per Filii sociam, copiosior Redemptio, quantum ad iustitiae et misericordiae redintegrationem, proventura nobis erat [3].

13. — Notandum. — Notandum vero hic est, aliquid maius ex hac parte decernendum videri circa Deiparam quam circa Christum; siquidem Dominus Noster tristitiam expertus est in parte sensitiva animae, necnon in ratione inferiori; at ratio superior, quae videlicet intendit aeternis inspiciendis et consulendis [4], ex parte sui obiecti pati non potuit; hoc enim obiectum erat Deus, quem Christus semper vidit facie ad faciem, etiam tempore passionis suae, et ex quo summam delectationem summumque gaudium percipiebat, quemadmodum beati in caelo, cum hac differentia, quod ista beatitudo in Christo continebatur in parte superiori, nec ad inferiores partes redundabat, sicut redundat in beatis; et hoc quia in Christo, ex divina dispensatione, unaquaeque pars agebat et patiebatur quae propria [5]. At aliter dicendum est de Beata Virgine, quae beatifica visione carebat, cuius proinde dolor nulla delectatione temperatus totam eius animam, etiam quoad partem superiorem, occupavit, iuxta illud [6]: *Subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum.*

[1] Is., LIII, 3. — [2] 1 Cor., I, 30 — [3] Cf. Fr. Faber, The Foot of the Cross. The compassion of Mary, c. IX. — [4] S. Aug., l. XII de Trin., cap. 7. — [5] 3, Quaest. XLII, art. 7. — [6] Thren., II, 13.

Quae cum ita sint, iam apparet Beatam Virginem plus passam fuisse quolibet alio sancto, seu, ut ait S. Basilius Seleucensis [1], *universos martyres suo splendore tantum excedit, quantum sol reliqua astra* : unde et *Martyrum Regina* iure meritoque invocatur.

Ad hanc tamen appellationem probe intelligendam, et ut circa hanc rem aequivocationes diluantur, pretium operae erit, antequam Patrum testimonia adducamus, ex theologiae fontibus requirere in quonam martyrii ratio proprie consistat, ut scilicet intelligi possit quonam sensu titulus ille Beatae Virgini decernitur.

14. — **In quonam martyrii ratio consistat.** — *Martyres graece, testes latine dicuntur*, ait S. Isidorus [2]; *quia propter testimonium Christi passiones sustinuerunt, et usque ad mortem pro veritate certaverunt.* Significat igitur martyrium quoddam sanguinis testimonium veritati perhibitum ad salutem spiritualem quae per Christum est; unde secundum cuiuslibet virtutis officium, quo aliquid boni facimus aut alicui malo resistimus propter Christum, potest attendi gratia martyrii [3].

Porro martyrii nomine quandoque significamus ipsam mortem pro Christo toleratam, quandoque vero virtutis actum nempe ipsam voluntariam mortis acceptationem propter Christum. Primo modo etiam parvuli usum rationis non habentes, martyrium pati possunt, ut sunt innocentes, qui *non loquendo, sed non moriendo Christum confessi sunt* [4].

Pertinet autem martyrium ad virtutem fortitudinis formaliter, in quantum nempe quis propter mortis periculum a recta iustitiae ratione non deflectit; imperatur tamen a caritate, ex quo capite est actus maximae perfectionis, quia nullus actus inter actus humanos magis demonstrare potest perfectionem caritatis, quam propriae vitae contemptus propter Deum; unde dicitur [5]: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; quapropter martyrium tanquam singulare Dei donum merito reputatur, iuxta illud [6]: *Vobis donatum est pro Christo non solum*

[1] Orat. de Annunt. — [2] L. VII Etym., c. 11. — [3] 2 2ae, Quaest. CXXIV, art. 5. — [4] Ibid., art. 1. — [5] Io., XV, 13. — [6] Phil., I, 29.

ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini; sicque martyrium supplens vices baptismi totam culpam et poenam remittit, quod ita S. Prosper exprimit [1]:

Fraudati non sunt sacro baptismate Christi
Fons quibus ipsa sui sanguinis unda fuit;
Et quidquid sacri fert mystica forma lavacri,
Id totum implevit gloria martyrii.

Quae cum ita sint, martyribus singulare praemium decernitur, nempe aureola specialis, et pro eis orare iniuriosum reputat Ecclesia [2].

At vero ad martyrii plenam et propriam rationem spectat ut quis revera mortem corporalem sustineat: cum enim christiana fides, cuius martyr dicitur testis, doceat omnia visibilia et temporalia pro invisibilibus et aeternis esse contemnenda, hanc fidem plene et proprie non testatur, nisi qui Deo ipsam vitam corporalem, quae inter omnia visibilia hominis bona primatum tenet, tortoribus tradendo despiciat [3]. Unde qui pro Christo Domino tolerant tormenta, sed non usque ad mortem, etsi quodammodo ad martyrii dignitatem accedant, perfectam tamen et plenam martyrum rationem non participant; tales sunt aliqui sancti, qui etsi tormenta pro Christo sustinuerunt, tamen non in ipsis tormentis obierunt, de quibus propterea Ecclesia non canit, sicut de aliis canere solet: *Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit.* Qui vero magnas afflictiones internas pro Christo sustinuerit, nonnisi per similitudines martyr dici poterit. — Quapropter alii sunt martyres *proprie* et *perfecte*; alii autem *proprie* sed *imperfecte*: alii demum secundum *similitudinem*.

15. — Quid de Deiparae martyrio sit retinendum. — Quae cum ita sint, iam de Deipara conclusio prodit, ipsam quidem non proprie, sed secundum similitudinem dici debere martyrem [4]; attamen hoc sensu martyrii meritum excellentissime habuisse.

[1] Epigram., LXXXVII. — [2] Cf. Supplem. Quaest. XCVI, art. 6. — [3] 2 2ae, Quaest. CXXIV, art. 4. — [4] Loco prox. cit., ad 1m; et Quaest. XCVI, art. 6, ad 4m.

Ad cuius rei evidentiam, singillatim considerandae sunt in martyrio causa impellens sive inclinans, causa finalis, et causa formalis. Causa impellens seu inclinans est caritas, nam *ad actum martyrii inclinat caritas sicut primum et principale motivum, per modum virtutis imperantis* [1]. — Finis autem martyrii est exterior protestatio veritatis fidei, non cuiuscumque, sed eius quae secundum pietatem est, quae scilicet nobis per Christum innotuit; fidem autem quis confiteri potest non solum per verba, sed etiam per facta; unde martyr ille est qui sanguine suo perhibet testimonium non solum veritati in actu signato, sed etiam in actu exercito: ideoque, *ut christianus patitur, non solum qui patitur pro fidei confessione quae fit per verba, sed etiam... pro quocumque bono opere faciendo, vel pro quocumque peccato vitando propter Christum* [2]. — Denique martyrii causa formalis consistit in firmitate, qua quis bonum fidei et iustitiae non deserit propter imminentia mortis pericula, et quidem usque ad hoc quod mortem sustineat propter Christum [3].

Quae cum ita sint, iam pronum est deducere quaenam fuerit excellentia martyrii Deiparae, licet hoc martyrium non proprium, sed secundum similitudinem fuerit. Ad quod intelligendum, convertenda est mentis consideratio ad illud tempus quo, testante Evangelista [4], *stabat iuxta Crucem Iesu Mater eius*. Quo quidem subintelligendum relinquitur, ipsammet Beatam Virginem, cum resciviſset tempus advenisse quo Filius in Golgotha mortem pro nobis esset subiturus, sponte, sicut etiam fert traditio, ad sacrificii locum se contulisse, ut fidei a Christo praedicatae testis invicta prodiret. Et quidem huic actui nihil ad martyrii rationem in Maria defuisse censendum est, nisi quod, cum ita divinitus fuisset provisum, mors corporalis non est secuta: quod ut evidentius fiat, singillatim considerandae sunt, relate ad eamdem Deiparam, tres martyrii causae superius recensitae.

16. — Causae martyrii Beatissimae Virginis Mariae. — Et primo quidem, quantum ad virtutem quae ad martyrium

[1] 2 2ae, Quaest. CXXIV, art. 2, ad 2m. — [2] Ibid., art. 5, ad 1m. — [3] Ibid., et art. 4. — [4] Io., XIX, 25.

impellit, scilicet *caritatem*, ex qua illius perfectio dependet, cum in hoc actu homo maximum praesentis vitae bonum, quod est vita ipsa, propter Deum despiciat [1], nulli ambigendum est eam in Beata Virgine adeo intensam fuisse, cum se mortis discrimini propter Christum exposuit, ut ad ipsam potiori iure spectet illud S. Ioannis [2]: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Pariter, quod attinet ad martyrii *finem*, nihil ex hoc capite defuisse dicendum est perfectioni martyrii Deiparae, cum hoc ipso quod, Iesum ad Calvarium comitata, iuxta Crucem morientis Filii intrepida constiterit, testificata sit se vere esse illius matrem secundum humanitatem; et sic splendidissimum testimonium reddiderit veritati Incarnationis Domini, quod est maximum Dei opus, et fidei Christianae praecipuum mysterium.

Denique, quantum ad speciem ipsius actus martyrii, dicendum quoque est nihil prorsus defuisse martyrio Virginis, prout comparatur ad virtutem proxime elicientem ipsum, scilicet ad *fortitudinem*, licet actus ipse martyrii in ea completus non fuerit.

Revera, martyrium pertinet, ut dictum est, ad virtutem fortitudinis, secundum quod quis *fidem et institiam non deserit propter imminentia pericula mortis, quae etiam in quodam certamine particulari a persecutoribus imminent* [3]. Ad fortitudinem autem spectat voluntatem hominis ita tueri, ut non retrahatur a bono rationis propter timorem mortis corporalis, sive illius mortis quae in bello communiter dicto imminet, sive cuiuscumque alterius mortis, quam quis subire non refugiat propter virtutem: unde fortis dicitur non solum miles qui propter reipublicae defensionem mortis periculo se offert, sed etiam qui non refugit amico infirmanti inservire propter timorem mortiferae infectionis, aut qui, non obstante naufragii aut latronum periculo, iter suscipit ad aliquod pium negotium prosequendum [4].

Quae cum ita sint, dicenda est Deipara actum maximae fortitudinis elicuisse, cum propter timorem mortis

[1] 2 2ae, Quaest. CXXIV, art. 3. — [2] C. XV, 13. — [3] 2 2ae, loco cit., art. 2. — [4] Ibid., Quaest. CXXIII, art. 5.

Christo patienti et morienti adsistere non refugerit. — Quod verum immineret mortis periculum, nulli dubium esse potest parumper consideranti, Iudaeorum odium in Christum usque ad eius Apostolos et potissime ad eius Matrem extendi debuisse; nam, quos diabolus excitaverat ad occidendum Messiam, excitare etiam debuit ad delendos de terra eius Apostolos et praecipue eius secundum carnem Genitricem. At Apostoli, relicto Christo, aufugerunt; Maria autem non aufugit: sed incerta eventus, certa tamen odii diaboli et Iudaeorum, certo se mortis discrimini obtulit, ut Christum morientem confiteretur. Quod autem usque ad sanguinis effusionem martyrium Beatae Virginis non fuerit perductum, hoc citra illius desiderium fuit; sed factum est ex ipsiusmet Verbi dispensatione, cuius divina potestas impedivit ne quisquam ex suis sequacibus violentam mortem in sua passione incurreret [1], ne videlicet aliorum morte unicum crucis sacrificium obfuscaretur [2]; aliunde Mariae praesentia necessaria erat in Ecclesia nascente, post Christi ascensionem, ad discipulorum solamen et aedificationem.

17. — Corollarium. — Quapropter concludendum est, martyrium Beatae Virginis per omnia excellentissimum fuisse, nisi quod ad mortem usque perductum non fuerit: sed hoc nihil eius merito tollit; cum, quantum erat de se, omnia posuerit quae ad martyrii rationem constituendam concurrunt: quinimmo, dicenda est missionem invisibilem Spiritus Sancti, quae attenditur secundum augmentum notabile gratiae, cum quis ex fervore caritatis exponit se martyrio [3], tunc accepisse, quam proinde Ecclesia *Martyrum Reginam* solemniter invocat; unde Bonifacius Papa IV, die 13 Maii 609, Romae consecravit templum Pantheon Beatae Mariae Virgini et Martyribus, quod propterea *S. Maria ad Martyres* est appellatum.

Quapropter Mariam Ecclesia prophetae verbis repraesentat obtestantem [4]: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus*; quinimmo

[1] Io., XVIII, 8. — [2] Cf. Comment. S. Thomae, in h. l. — [3] Tract. de SS.ma Trin., Quaest. XLIII, art. 6. n. 2. p. 464. — [4] Thren., I, 12.

cui illam comparet non invenit [1]: *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, Filia Ierusalem; cui exaequabo te et consolabor te, Virgo Filia Sion? Magna est velut mare contritio tua.*

18. — Notandum. — Ubi hoc unum notari oportet, videlicet Beatissimam Virginem non tantum momento passionis Filii sui, sed toto vitae suae tempore, Christo patienti fuisse compassam. Nam, ut notat Benedictus XIV [2], Beata Virgo *multo antea Filii non modo passionem, sed ipsius etiam passionis circumstantias habebat cognitas, multoque noverat exploratius quam David, Isaias, Daniel et quilibet Prophetarum*; unde concludit S. Ambrosius [3]: *Non ignara* (erat Maria) *mysterii quod genuisset resurrecturum*: quod si resurrecturum, ergo moriturum.

19. Patrum et Doctorum auctoritates. — Nunc vero, quod ad Ecclesiae traditionem attinet, una est illius vox, publice agnoscentis Beatissimam Virginem non modo Martyrem, sed *Martyrum Reginam* exstitisse, non quidem corporea passione vitam ei abripiente, sed animi doloris vehementia illam adeo excruciante, ut quemlibet vel generosissimum martyrem, immo omnes simul martyres doloris pondere necnon in patiendo constantia ac magnanimitate longe superaverit.

Primus audiatur *S. Ephrem* Syrus, qui Beatam Virginem ita loquentem inducit [4]: *O Simeon admirande, ecce iam gladius quo cor meum traiiciendum praedixisti: ecce gladius, ecce vulnus, mi Fili et Deus meus! Mors tua cor meum subiit, disrupta sunt mea viscera, lumen meum obscuratum est, pectusque meum dirus gladius pertransiit.*

Similiter, auctor cuiusdam sermonis *de Assumptione*, qui S. Hieronymo falso attribuitur, dicit [5]: *Praeterea plus doluit* (Maria), *in tantum ut animam eius totam pertransiret et possideret vis doloris, ad testimonium eximiae dilectionis:... nimi-*

[1] Ibid., II, 13. — [2] De Festis B. M. V., c. IV, n. 3. — [3] Lib. de Inst. Virg., c. 7, n. 49, t. IV, col. 329. — [4] Threni gloriosissimae Virginis Matris Mariae, Romae, 1598, t. III, p. 199. — [5] Inter Opp. S. Hieron., t. X, P. II, col. 146.

rum, quod eius dilectio amplius fortis quam mors fuit, quia mortem Christi suam fecit.

Praeclara quoque sunt quae habet *S. Ambrosius* [1]: *Stabat ante crucem Mater, et fugientibus viris stabat intrepida... Stabat non degeneri Mater spectaculo, quae non metuebat peremptorem. Pendebat in cruce Filius. Mater se persecutoribus offerebat* [2].

Nec praetereundus est divus *Ildephonsus*, archiepiscopus Toletanus, quem sua in Deiparam devotio celebrem reddidit. Hic igitur ait [3]: *Venerabilis Virgo... plus quam martyr fuit, quia in animo non minus amoris quam moeroris est intus gladio vulnerata.*

Pariter *Venerabilis Beda*, commentans Lucae caput secundum, ait [4]: *Nulla docet historia, Beatam Mariam ex hac vita gladii occisione migrasse... Unde restat gladium illum, de quo dicitur:* ET GLADIUS EST IN LABIIS EORUM, *hoc est dolorem dominicae passionis eius animam pertransisse.* Et rursus: (Maria), *etsi Christum, utpote Dei Filium, sponte propria mori, mortemque ipsam non dubitaret esse devicturum, ut sua tamen carne procreatum, non sine doloris affectu potuit videre crucifigi.*

Silenda etiam non sunt quae habet *S. Damascenus* [5]: *Beata haec atque beneficiis eiusmodi, quae naturae modum excedant, cumulata, quos in partu dolores effugerat, passionis tempore sustinuit, materno affectu lacerari sibi viscera sentiens, intimisque cogitationibus veluti gladio discerpta, cum illum quem gignendo Deum esse cognoverat, tanquam sceleratum aliquem morte affici cerneret. Sic porro intelligendum illud est:* ET TUAM IPSIUS ANIMAM DOLORIS GLADIUS PERTRANSIBIT. *Ceterum moerorem excepit resurrectionis laetitia, quae Deum esse illum personabat, qui carne mortem obierat.*

Metaphrastes quoque Ecclesiae Graecae fidem repraesentans, ait [6]: *Mortuum itaque videns Filium, eo motu animi*

[1] De Inst. Virg., c. 7, n. 49, col. 329. — [2] Cf. ORAT. IN OBITU VALENTIN., t. V, n. 39, col. 105. — [3] Serm. II DE ASSUMPT., Biblioth. vet. PP., Lugd., 1677, t. XIII, p. 580. — [4] EXPOSIT IN Luc., l. 1, Migne, P. L., t. XCII, col. 346. — [5] L. IV ORTH. FID., c. XIV, t. I, p. 277. — [6] Apud Surium, DE DORMIT. DEIP. c. 35.

est usa, ut oportuit. Quin etiam in eo a Cruce deponendo maternis manibus inserviit, et clavos qui extrahebantur suo sinu accepit, et membra amplexata est, partim ulnis stringens, partim autem suis quoque lacrymis plagas emundans.

Plura similiter habet *Eadmerus*, dum Beatissimae Virginis doloris sensum extollit. Ait enim [1]: *Vere pertransivit animam tuam gladius doloris qui tibi amarior fuit omnibus doloribus cuiusvis* (passionis) *corporeae: quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus martyrum, leve fuit, aut potius nihil, comparatione tuae passionis, quae nimirum sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua tuique benignissimi cordis intima.*

Idipsum testatur *Rupertus* abbas [2]: *Tunc quidem gladius animam meam pertransivit; sed antequam sic pertransiret, longum per me transitum fecit. Prophetissa namque eram et ex quo mater eius facta sum, scivi eum ista passurum.*

Solent etiam citari, tanquam *S. Bernardi*, at immerito, sequentia verba [3]: *Dicat qui potest, cogitet quantum potest..., quae doloris immensitas tunc maternam animam cruciabat. Non credo plene enarrari vel meditari posse dolorem Virginis, nisi tantum fuisse credamus, quantum unquam dolere potuit de tali Filio talis Mater. Verumtamen rectum erat amoris et moeroris continens modum: non desperabat, sed pie et iuste dolebat.*

Guerricus quoque abbas, S. Bernardi discipulus, adserere non dubitat [4]: *Plane iuxta Crucem Iesu stabat, cuius mentem dolor Crucis simul crucifigebat, suamque ipsius animam tam multiplex pertransibat gladius, quantis confossum corpus Filii cernebat vulneribus.*

Praeclara item sunt verba quae habet *B. Albertus Magnus* [5], cum, alludens huic Ioëlis [6]: *Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem*, ait: *Tunc Beata Virgo conversa*

[1] L. DE EXCELL. B. V. M, c. 5, inter Opp. S. Anselmi, t. III, p. 244, Col. 1573. — [2] In CANT., c. I, L. I, Colon. 1566, p. 10. — [3] L. LAMENT. VIRG. MAR. inter Opp. S. Bernardi, t. V, p. 383. Lugd., 1679. B. Card. Bellarminus indignum censet quod S. Bernardo tribuatur hoc opus, quippe quod ineptias plures continet. *De script. Eccl.* — [4] In Serm. IV DE ASSUMPT. B. M. V., inter Opp. S. Bernardi, t. VI, p. 64. — [5] Serm. in 2 DOMIN. ADVENTUS, Lugd., 1651, t. XII, p. 5. — [6] II, 31.

fuit in sanguinem, quando intellexit dulcissimum Filium suum traditum... et ad Crucis martyrium postulatum : tunc vero tota luna facta est ut sanguis, quando adsistens Cruci, vidit Filii caput spinis laceratum.

Egregie pariter Seraphicus S. *Bonaventura* ait [1] : *Sic etiam piissima anima Beatae Virginis dilectissimo Filio suo patienti, quantum sustinere poterat, compatiebatur. Nullo tamen modo est dubitatum, quin virilis eius animus et ratio constantissima vellet etiam Unigenitum tradere pro salute generis humani, ut Mater per omnia conformis esset Patri. Et in hoc miro modo debet laudari et amari, quod placuit ei ut Unigenitus suus pro salute generis humani offerretur, et tantum etiam compassa est, ut si fieri potuisset, omnia tormenta quae Filius pertulit, ipsa multo libentius sustinuisset.*

Nec praetermittendus *Richardus a S. Victore*, qui ait [2] : *Absit ut dicamus vel credamus Beatam Virginem Mariam, propter metum patiendi vel timorem cadendi, mortis desiderio urgeri. De nullo enim sanctorum rectius creditur quam de ipsa, quod parata fuerit semper quantum in ipsa fuit, ad omnia tormentorum genera pro Christi nomine sustinenda. Metu vero cadendi quomodo urgeri potuit, quae in carne, qua Christi carnem genuit, nutrivit, nil contradictionis portavit?* Et rursus [3] : *Illud remansit in Virgine quod erat ad poenam : illud recessit quod erat ad culpam. Vitiositas recessit, poenalitas remansit ; carnalitas tollitur, sed calamitas non amovetur.*

Causas autem dolorum Virginis ita ordinatim enumerat S. Bernardinus Senensis [4] : *Quatuor fuerunt, ex quibus quasi quadam commixtione, causabatur in Beata Virgine maxima amaritudo vel immensa : primo, ea quae vidit in Filio ; secundo, ea quae vidit circa Filium in amicis fugientibus ; tertio, ea quae vidit circa Filium in inimicis persequentibus ; quarto, ea quae considerabat in occurrentibus : quasi fuerunt in ea aspectus commixti : primus, respectu Filii ; secundus, respectu amici ; tertius, respectu inimici ; quartus respectu sui.*

[1] In 1 Sent., Dist. XLVIII, art. 11, Quaest. 2, Dub. 4, t. I, p. 861. — [2] P. 1, DE DIFF. SACRIF. ABRAHAE ET MARIAE, Rothom. 1650, p. 396. — [3] P. I, DE EMMAN., l. II, c. 28, p. 311. — [4] Serm. II de B. M. V., art. 3, ed cit., t. IV, p. 80.

Demum, claudatur Patrum Doctorumque series egregiis S. Francisci Salesii verbis [1]: *Plusieurs amans sacrés furent présents à la mort du Sauveur: entre lesquels, ceux qui eurent le plus d'amour eurent le plus de douleur, car l'amour alhors estait tout détrempé en la douleur, et la douleur en l'amour, et tous ceux qui pour leur Sauveur estoyent passionés d'amour furent amoureux de sa Passion et douleur. Mays la doulce Mère, qui aymoit plus que tous, fut plus que tous outrepercée du glaive de douleur: la douleur du Filz fut alhors une épée tranchante qui passa au travers du coeur de la Mère, d'autant que ce coeur de mère estait collé, joint et uni à son Filz d'une union si parfaite, que rien ne pouvait blesser l'un, qu'il ne navrast aussi vivement l'autre. Or ceite poitrine maternelle estant ainsy blessée d'amour, non seulement ne chercha pas la guérison de sa blesseure, mais ayma sa blesseure plus que toute guérison, gardant chèrement les traitz de douleur qu'elle avait reçus, à cause de l'amour qui les avait éscochés dans son coeur, et désirant continuellement d'en mourir, puisque son Filz en estait mort, qui comme dit toute l'Escriture Sainte, et tous les docteurs, mourut entre les flammes de la charité, holocauste parfait pour tous les péchés du monde.*

Porro, hunc compatientis Virginis doloris sensum Ecclesia ipsa solemniter agnovit, dum et festa in eius honorem institui et mutiplicia privilegia huiusmodi compassionem specialiter colentibus decerni iussit, statutis pretiosis indulgentiis iis qui confraternitatem Septem Dolorum ingrederentur [2].

20. — Verba Leonis XIII. — Hanc teneram a Deipara patienti Filio exhibitam compassionem ita perbelle describit Leo XIII: *Se Dei ancillam, eius dum fit Mater, prompto animo edicit et devovet. Quod autem pollicita sancte est, id alacris sancte praestat, iam tum perpetua cum Iesu Filio ad gaudia, ad lacrymas communione vitae instituta. Sic tale fastigium gloriae, ut nemo alius, nec homo, nec angelus obtinebit, quia cum ipsa nemo erit virtutum pro meritis conferendus; sic eam*

[1] Traité de l'amour de Dieu, l. VII, c. 13. — [2] Vide Manuale del Terzo Ordine dei Servi di Maria. Roma, 1894.

superi et mundani regni manet corona, quod invicta futura sit Regina Martyrum: sic in caelesti Dei civitate per aeternitatem omnem coronata assidebit ad Filium, quod constanter per omnem vitam, constantissime in Calvaria redundantem tristitiae calicem sit cum illo exhaustura [1]. Et rursus: *Caeterum praesente ipsa et spectante, divinum illud sacrificium erat conficiendum, cui victimam de se generosa aluerat; quod in eisdem mysteriis postremum flebilisque obversatur: Stabat iuxta Crucem Iesu Maria Mater eius, quae tacta in nos caritate immensa ut susciperet filios, Filium ipsa suum ultro obtulit iustitiae divinae, cum eo commoriens corde, doloris gladio transfixa* [2].

21. — Scholion. — Porro, Deiparae tristitia, quantumvis ingens et acerba fuerit, illius tamen rationem nullo modo perturbavit, ita ut de ipsa maxime verificetur quod dicitur [3]: *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit*, scilicet perturbando eius rationem [4]. Quocirca, quanquam agnoscatur Beata Virgo tot et tanta perpessa fuisse, nullatenus tamen est eis aut scriptoribus aut pictoribus concedendum, qui eam in syncopem, spasmum, aut animi deliquium collapsam repraesentant. Quippe indecorum fuisset ut Virgo regia, quae affectibus inferioris partis perfectissime dominabatur, ita perturbaretur, ut corporis viribus aut rationis usu privaretur, eo praecipue quod talis virium illapsus meritorum cursum interrupisset, et quidem eo tempore quo plurima merendi occasione donabatur.

Cedro digna sunt hac de re Card. Caietani verba. *Cum enim* (Maria) *fuerit gratia plena*, ait [5], *oportet corporales defectus de ea negare, qui plenitudinem perfectionemque gratiae*

[1] Encyclic. Magnae Dei Matris, 8 sept., 1892. — [2] Encyclica Iucunda semper, 8 sept., 1894. Circa cultum Dolorum B. M. V. qui plura cupit, adeat P. Augustinum Morini, Ord. Serv. B. M. V. Origini del Culto alla Addolorata, Roma 1893, *passim*. Vide etiam egregium opus, Della Vita e del Culto della Madre di Dio, Maria Santissima, da Mgr Agostino Albergotti, vescovo di Arezzo, Siena, 1817, T. II, cc. XIV, seq., nota al c. XXIII. — [3] Prov., XII, 21. — [4] Cf. quod diximus supra, P. II, c. I, art. 2, n. 11. — [5] Opusc. de Spasmo B. M. V., Tract. XIII, T. II, Ven., 1696, p. 181.

impediunt. Constat autem quod dolor extra se personam faciens exercitium rationis impedit pro tunc, et tunc erat tempus maxime actualiter secundum rationem considerandi passionem Christi. Igitur huiusmodi dolor, gratiae perfectionem secundum actualem considerationem rationis turbasset, quod est valde inconveniens; non fuit igitur huiusmodi casus in Beata Virgine. — Et confirmatur, quia gratius erat Deo, quod Beata Virgo compateretur ei secundum rationem, quam secundum partem sensitivam, quia illa pars est nobilior et proprie meritoria et per se grata. Oportuit ergo quod dolor Beatae Virginis ita esset summus, quod tamen tota pars sensitiva regularetur et subderetur rationi eius vigilanti; stante autem rationis exercitio ac dominio actuali super partem inferiorem, non accidit dolor extra se faciens personam et casum. Quare spasmus vulgariter dictus longe a Beata Virgine videtur fuisse.

Advertendum quoque hic est, non recte dici Deiparam, cum tot doloribus in Filii passione premeretur, nonnisi per miraculum in vita fuisse conservatam. Imprimis talis extraordinaria adsistentia, illa veri miraculi conditione caruisset, quae est ut opus sit visibile; sed praecipue adverti debet, ad tantos dolores sustinendos, Deiparae sufficientem fuisse virtutem fortitudinis, quae tanto maior in ea erat, quanto ampliori gratia donabatur. Atqui crescente dolore, crescebat Deiparae meritum, crescebat et gratia; consequenter crescebat virtus fortitudinis, in tantum ut nihil prorsus esset cui ferendo impar existeret generosa Virgo.

22. — **Deiparae in patiendo constantia.** — Quapropter, retinendum est Beatam Virginem viribus semper constantem, ut Matrem Dei decebat, in summo animi moerore, serenam pacem conservasse, iuxta illud [1]: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Hinc S. Antoninus ait [2]: *Stabat verecunda, modesta, lacrymis plena, doloribus immersa; ita tamen divinae voluntati conformis, quod, ut Anselmus ait, si oportuisset, ad implendam secundum rationem voluntatem Dei, ipsa Filium in crucem posuisset atque obtulisset; neque enim minoris fuit obedientiae, addo, et fortitudinis, quam Abraham.*

[1] Is., XXXVIII, 17. — [2] Part. IV, t. XV, c. 41, § 1.

Quinimmo S. Ambrosius Mariam nec flevisse affirmare non diffidit, dum ait [1]: *Stantem illam lego, flentem non lego.* quanquam hoc verius potest affirmari, cum lacrymae naturaliter prorumpant tum ex tristitia, tum ex quadam affectus teneritudine [2], et ipse Dominus Noster pluries in vita mortali illacrymatus esse narretur [3]. Anselmi vero discipulus, Eadmerus [4], cum dixisset omnium martyrum dolores aut leves aut nihil fuisse, si cum Beatae Virginis dolore conferantur, caute tamen observat, non propterea illam quidquam indecori gessisse, faciem crinesve lacerando, aut muliebriter eiulando; sed, ait, corde tristitiam premebat atque stabat

Sed et retinendum est Virginem benedictam, eodem tempore, perfectissimos caritatis actus exercuisse erga Deum et homines. *Stabat iuxta Crucem Iesu Mater eius*, ait Abbas Guerricus [5]. *Plane Mater, quae nec in terrore mortis Filium deserebat; quomodo enim morte terreri poterat, cuius caritas fortis ut mors, imo fortior quam mors erat?* Quinimmo, non sine magno animi gaudio tantum sacrificium offerebat: *Gaudens*, ait S. Mechtildes [6], *Filium suum pro mundi salute voluit immolari.*

Huius autem Deiparae in perferendis doloribus mirabilis constantiae egregia omnino figura habetur in eo quod de Respha, Saulis uxore, Scriptura commemorat, quae cum binos filios per manus Gabaonitarum, ad Deum placandum, in monte coram Domino, crucifigi vidisset, *tollens... cilicium, substravit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de caelo, et non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem* [7]. Sic Beata Virgo ita pendenti Filio fortis et constans adstitit, sacratissimi corporis illius custos effecta, donec divinam nobis clementiam excellentissima hac oblatione impertiret.

Quae cum ita sint, picturae et icones Beatam Virginem spasmo collapsam repraesentantes, iussu Inquisitorum fidei

[1] De Obitu Valentiniani, n. 39. — [2] 2 2ae, Quaest. LXXXII, art. 4, ad 3m. — [3] Cf. Luc., XIX, 41; Io., XI, etc. — [4] L. de Excell. B. Virg. Mar., c. V. — [5] Serm. IV. de Assumpt. Mariae, inter Opp. S. Bern., t. VI, p. 64. Lug., 1679. — [6] L. I Rev., c. 56. — [7] 2 Reg., XXI, 10.

interdictae merito fuerunt [1], et utinam ubique gentium penitus exscindantur!

23. — Scholion. — Hic autem unum addendum esse volumus, scilicet, non satis lugendam segnem plurium incuriam, qua ea quae ad Beatae Virginis martyrium pertinent prosequuntur, quidquid menti subeat palam et absque delectu proferentes; quo fit ut altissimus ille de gloriosa Deipara sensus obfuscetur, et Maria ipsa, quae, sub Cruce Filii consistens, ad summae perfectionis apicem elevata est, ad vilis cuiusdam mulierculae, dolore confectae et veluti deiectae, imbecillitatem deprimatur. Multa quippe sunt quae in liberculis, sic dictis devotionis, continentur, a tantae Dominae excellentia prorsus aliena, quibus non vera quidem, sed ficta, pietati minus proficua, qualiscumque devotio, fovetur.

Sic quippe passim legitur Mariam, sub Cruce Filii, absque miraculo diutius vivere non potuisse, quasi fortitudinis virtus, quae ex immensa gratia qua era ornata, insignis in ipsa prodibat, sufficiens non fuerit, iuxta dulcem Dei providentiam, opportuna necessitatibus auxilia disponentis, illi congrue sustentandae. Sic pariter Maria interdum misera Mater appellatur, quasi misera esse potuerit, quae tot gratiae cumulis tunc afficiebatur, et sua cooperatione mundum salvari videbat. Haud raro etiam a scriptoribus aut a praedicatoribus, ita, ad auditores vel lectores commovendos, describitur Mariae dolor, ut omni prorsus consolatione illa tunc caruisse dicatur, quasi superior illius animae pars ab inferiore, ut in nobis saepe accidit, opprimeretur. Demum a quibusdam edicitur, in eo quod nos Mariae Christus filios dederit, filiorum commutationem locum habuisse, hominibus scilicet Christo succedentibus, quasi Christus desierit aut unquam desinere possit esse Filius Mariae [2].

[1] Cf. Alex. M. Planch., O. S. M., Vita B. M. V., etc., p. 207, seq. — [2] Notum est, inter imagines Virginis Dolorosae arte byzantina depictas, et eiusdem imagines arte occidentali confectas, hoc intercedere discriminis, quod in illis deest intensus ille doloris sensus, qui in istis passim cernitur: quasi artifices graeci significari potius voluerint Deiparae in summa afflictione tranquillam iucundamque pacem.

At, quod adhuc gravius est, nonnulla etiam interdum proponuntur, tamquam a sanctis Patribus dicta, quibus catholicus sensus, ne dicam catholica fides, plurimum offenditur. Omitto plura inepta et risum moventia, quale est illud quod S. Bonaventurae falso tribuitur [1]: *Sicut enim caelum non est ullo modo porosum sed solidum, sic Dei Mater pia nullo modo fuit porosa vel vacua, sed solida.* Ubi tamen, etsi exemplum deficiat, suppetit nihilominus virtutis incentivum. Sed gravius est quod ex pseudo-Bernardo recitatur, ad excitandos compassionis sensus in Deiparam: *Fiebat proinde moeror et luctus ab Angelis ibidem praesentibus, qualis decebat spiritus almos: imo mirarer, si omnes Angeli in illa beatitudine, ubi flere est impossibile, non flevissent. Credo, propter quod et loquor, quia dolebant, si dolere valebant. Sicut enim fuit possibile Deum per assumptum hominem mori, ita forte possibile Angelos bonos dolere de morte Domini Dei sui* [2].

At haec quidem forsan per hypothesim, utique impossibilem, dicta censueris: quo tamen adhuc gravius est quod ex eodem auctore legitur [3]: *In ipsa enim sola* (Maria), *in triduo illo fides Ecclesiae stabat.* Quod si haec benignius forsan intelligi queunt, hoc scilicet sensu quod fides utique in apostolis et discipulis perduraverit, at non ita firma et inconcussa sicut in Maria permansit, quomodo in bonam partem trahi poterunt haec alia, S. Ambrosio falso attributa, quibus S. Iosephus ab Arimathaea, prae Beatissima Virgine extolli videtur [4]: *Non minor gloria est quod tumulus Ioseph suscitaverit Dominum, quam sanctae Mariae uterus procreavit.*

iuxta id quod ex S. Ambrosio modo recitabamus (p. 349): *Stantem lego, flentem non lego* (Vide Garrucci, *Storia dell'Arte Cristiana*, IV, p. 115).

[1] Sermo I de B. Virgine, inter Opp. S. Bonav. Hunc sermonem editores opp. S. Bonav., ad Claras Aquas, ita spurium habuerunt, ut ne recensuerint quidem. — [2] Sermo de Lamentatione B. M. V., inter opp. S. Bernardi. Multa valde inepta ibi continentur. — [3] Vide supra, C. I, art. 6, n. 11. — [4] Sermo LII de Sepulcro D. N. I. C., inter opp. S. Ambros. Hic sermo, una cum pluribus aliis indignis tanto Doctore, a P. A. Ballerini, in nova eius opp. editione, Mediolani, merito praetermissus est.

Sed fortasse quis dicat : Quae comparatio ventris ac tumuli, cum illa ex intimis visceribus ediderit filium, hic autem solummodo locum praestiterit sepulturae ? At ego dico non minorem, ex hoc silicet, Ioseph affectum fuisse, quam Mariae ; siquidem illa utero Dominum, hic corde concepit ; illa Salvatori membrorum suorum secretum praestitit, hic secretum sui corporis non negavit ; illa Dominum pannis involvit, cum natus est, hic linteis, cum recessit ; illa perunxit beatum corpus oleo, hic aromatibus honoravit. Conveniunt ergo sibi obsequia, convenit et affectus : unde necessarium est, et meritum ex hoc saltem convenire, nisi quod Angelus Mariam ad obsequium admonuit, Ioseph autem sola iustitia persuasit.

Sane eruditi rerum patristicarum, luce clarius iamdudum demonstraverunt haec et similia Patrum, quibus tribuuntur, minime esse, sed incertorum auctorum, sub ementito illorummet nomine : nec putamus a vero longe abesse qui censuerint talia desumpta fuisse ex illis piis passionis dominicae, media aetate, in ecclesiis sub nomine mysteriorum, peragi solitis, repraesentationibus : quidquid tandem sint, optandum est et enixe curandum, ut et ab huiusmodi ineptiis recitandis concionatores sese abstineant ; et rerum sacrarum scriptores, maxime vero librorum liturgicorum editores illa, sicubi inveniantur, penitus expungant [1].

Articulus III. — *Utrum Beata Virgo fuerit mortalis.*

I. — Quomodo primus homo fuerit immortalis. — Ad resolutionis quaestionis de mortalitate vel immortalitate Beatae Virginis, quae quidem res inter difficillimas teolo-

[1] Iuvat heic verba referre S. Thomae, qui propositae sibi quaestioni : an ex quo Simeon dixit Beatae Virgini : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, quolibet die naturali usque ad resurrectionem Christi septies illud recoleret pia Virgo cum dolore vehementi, — ita respondet : *Istud eadem facilitate contemnitur qua dicitur, cum nullius auctoritatis robore fulciatur. Nec aestimo huiusmodi frivola esse praedicanda, ubi tanta suppetit copia praedicandi ea quae sunt certissimae veritatis. Neque tamen opertet quod revocetur, si praedicatum fuerit, nisi ex hoc scandalum fuisset exortum.* Opusc. XI, respon. de VI, art. ad Lectorem Vesontin. Opp. Parmae, 1865. T. VI, p. 175.

giae marianae quaestiones merito recensetur, praemittendum est hominem, in statu innocentiae constitutum, fuisse incorruptibilem et immortalem, iuxta illud S. Augustini [1]: *Fides christiana praedicat, et primos homines ita fuisse conditos, ut si non peccassent, nulla morte a suis corporibus solverentur, sed pro meritis obedientiae custoditae, immortalitate donati, cum eis viverent in aeternum, et talia sanctos in resurrectione habituros ea ipsa in quibus hic laboraverunt corpora, ut nec eorum carni aliquid corruptionis vel difficultatis, nec eorum beatitudini aliquid doloris et infelicitatis possit accidere.*

Porro, homo tunc immortalis erat, non quidem sicut angeli, quibus non est materia unde corrumpantur, nec sicut beati, quorum corporibus inhaeret specialis quaedam dispositio ex anima proveniens, per quam totaliter a corruptione prohibentur; sed quia *inerat animae vis quaedam supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione praeservare, quamdiu ipsa Deo subiecta mansisset* [2]. Quocirca immortalitas hominis in innocentia constituti non erat ipsi ex principiis naturae proveniens, cum mortale ponatur in definitione hominis, et hominis natura per peccatum non fuerit mutata, sed erat ex dono et munere gratiae, et ita ex parte causae efficientis debebat repeti huiusmodi immortalitas [3]. *Aliud est*, ait S. Augustinus [4], *non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus, aliud est autem posse non mori; secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei praestabatur de ligno vitae, non de constitutione naturae* [5].

2. — **Praeoccupatur aliqua difficultas.** — Ubi, ad clariorem rei notitiam, sedulo advertendum est ad verba quae habet S. Thomas [6], dum propositam sibi difficultatem, quod materia debet esse proportionata formae ideoque anima intellectiva convenientius uniretur corpori incor-

[1] L. XIII DE CIV. DEI, c. 19. t. VII, col. 340. — [2] 1, Quaest. XCVII, art. 1. — [3] Cf. TR. DE PRIMA HOMINIS FORMATIONE, in h. l. — [4] L. VI DE GEN. ad litt., c. 25, t. III, P. I, col. 210, n. 36. — [5] Differentiam inter immortale et incorruptibile exposuimus in op. L'OPERA DEI SEI GIORNI, vol. II, p. 196. — [6] 1, Quaest. LXXVI, art. 5, ad 1[m].

ruptibili. solvit, his verbis: *Dicendum quod hanc obiectionem aliquis forte vellet evadere per hoc quod diceret corpus hominis ante peccatum incorruptibile fuisse. Sed haec responsio non videtur sufficiens, quia corpus hominis ante peccatum immortale fuit, non per naturam, sed per gratiae divinae donum: alioquin immortalitas eius per peccatum sublata non esset, sicut nec immortalitas daemonis. Et ideo aliter dicendum est quod in materia duplex conditio invenitur: una quae eligitur ad hoc quod sit conveniens formae, alia quae ex necessitate consequitur priorem dispositionem, sicut artifex ad formam serrae eligit materiam ferream aptam ad secandum dura: sed quod dentes serrae hebetari possint et rubiginem contrahere, sequitur ex necessitate materiae. Sic igitur et animae intellectivae debetur corpus quod sit aequalis complexionis; ex hoc autem de necessitate materiae sequitur quod sit corruptibile. Si quis vero dicat quod Deus potuit hanc necessitatem vitare, dicendum est quod in constitutione rerum naturalium, non consideratur quid Deus facere possit, sed quid naturae rerum conveniat, ut Augustinus dicit* [1]. *Providit tamen Deus adhibendo remedium contra mortem per gratiae donum* [2].

3. — Necessitas cibi et ligni vitae in statu innocentiae. — Unde in hoc sensu intelligendum est id quod legitur [3]. *Deus creavit hominem inexterminabilem*, scilicet per donum gratiae superadditum: nam, secundum naturae cursum, etiam in illo innocentiae statu mors obvenire debuisset, tum quia per actionem caloris naturalis paulatim deperditur humidum radicale, tum quia calor ipse naturalis continuo diminuitur per reactionem alimenti, nec humidum radicale aut calor naturalis sufficienter restaurantur ex extrinseco alimento. Quapropter, etiam in statu innocentiae, homo indigebat uti aliquo cibo corporeo, habebat enim corpus animale, id est corpus quod habebat vitam ab anima: primum autem principium vitae in istis inferioribus est anima vegetabilis, cuius opera sunt alimento uti, et generare et augeri [4]: et tantummodo in patria corpus non indigebit ali-

[1] L. II Sup. Gen., ad litt., c. 1. — [2] Cf. in Ep. ad Rom., c. V, l. 3. — [3] Sap., II, 23. — [4] 1, Quaest. XCVII, art. 3.

mentis, quia tunc anima communicabit quodammodo corpori ea quae sunt sibi propria in quantum est spiritus: unde corpus resurget spiritale [1].

Non solum autem cibo, cuius actio erat subvenire homini contra defectum qui oriebatur ex deperditione humidi per actionem caloris naturalis, sed etiam *ligno vitae* homo uti debebat, ne mortem citius incurreret: siquidem, effectus proprius huiusmodi ligni vitae erat praecise subvenire homini contra impossibilitatem convertendi perfecte extraneum cibum in propriam speciem; quandoquidem, sicut aqua coniuncta vino in initio quidem convertitur in saporem vini, deinde, secundum quod magis additur, diminuit vini fortitudinem, usquedum vinum fiat aquosum: ita, in initio, virtus activa hominis adeo fortis est, quod non modo convertit de alimento quantum sufficit ad restaurationem deperditi, sed etiam quod sufficit ad augmentum; postmodum vero convertit solummodo quod sufficit ad restaurationem deperditi; demum in statu senectutis hoc ipsum praestare non potest; unde sequitur decrementum et finaliter dissolutio corporis [2].

Lignum vitae igitur homini in Paradiso constituto aderat, praecise ne senectus eum dissolveret. Non tamen propterea lignum vitae immortalitatem simpliciter conferebat; nam virtus eius erat finita, unde non poterat imprimere effectum durabilem usque in infinitum; sed determinato tempore completo, homo aut fuisset translatus ad spiritualem vitam, aut indiguisset iterum sumere de ligno vitae [3].

Igitur stat quod immortalitas illius primi status non erat secundum aliquam dispositionem corpori inhaerentem, sed secundum vim quamdam *supernaturalem* in anima residentem [4], cui tamen subserviebat *naturaliter*, ex parte corporis, non modo bona dispositio, scilicet perfecta complexio, qua influxum animae plenius recipiebat, sed etiam cibus, necnon lignum vitae, quod tamen lignum, ut diximus, non erat capax mortem de se perpetuo arcendi, sed solummodo ad determinatum tempus.

[1] 1 Cor., XV, 44. — [2] Non aliam, etsi sub implexioribus verbis, tradit de morte hominem necessario invadente recentior ars medica. — [3] S. Thom., l. c., ad 4[m]. — [4] 1, Quaest. XCVII, art. 3, ad 1[m].

4. — Corollarium. — Ex hisce sequitur quod mors potest dici et naturalis et poena peccati. *Naturalis* quidem; si considerentur principia naturalia humani corporis, *poena autem peccati*, si consideretur donum immortalitatis a Deo primo homini gratuito collatum, cuius doni privatio poenae rationem habet. Hinc Adae praevaricatori dixit Deus [1]: *Quia... comedisti de ligno ex quo praeceperam tibi ne comederes,... in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Et in Concilio Arausicano II, in canone secundo [2], mors corporis dicitur esse poena peccati [3]. Pariter Concilium Tridentinum [4] anathema fert in eum qui non confitetur primum hominem, *per offensam praevaricationis, incurrisse mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus* [5]. Et quamvis primus homo *gratiam recuperaverit ad remissionem culpae et ad meritum gloriae, non tamen ad amissae immortalitatis effectum: hoc enim reservabatur Christo, per quem naturae defectus in melius reparandus erat* [6].

Necesse fuit ut diutius immoraremur in exponenda mortalitatis conditione per respectum ad hominem, ne aut diminuatur, aut ultra debitos fines exaggeretur Beatae Virginis privilegium. His igitur declaratis, iam ad propositum accedentes, dicimus

5. — PROP. I. — Certum est Beatam Virginem non fuisse immortalem ex titulo naturae.

6. — Exponitur. — Hic primus immortalitatis modus attenditur ex parte materiae, quatenus aut materia non habetur sicut in angelis, aut non est in potentia ad ulteriorem formam, sicut de corporibus caelestibus opinabantur antiqui. Igitur, Beatae Virginis corpus erat ex contrariis compositum: tale autem necessarium est dissolvi; unde et secundum hanc necessitatem, quae consequitur materiam, et ipsum Christi corpus subiectum fuit necessitati mortis [7]. *Quia in* (Christo),

[1] Gen., III, 17, seq. — [2] Denzinger-B., n. 175. — [3] Vide Mansi, t. VIII, p. 712, col. 2, C. — [4] Sess. V, can. 1. — [5] Cf. Prop. 17, inter 85 Syn. Pist., a Pio VI damnatas. — [6] S. Thom., l. c., art. 1, ad 3[m]. — [7] 3, Quaest. XIV, art. 2.

ait S. Augustinus [1], *erat similitudo carnis peccati, mutationes aetatum perpeti voluit, ab ipsa exorsus infantia, ut ad mortem videatur etiam senescendo illa caro pervenire potuisse, nisi iuvenis fuisset occisus.*

7. — PROP. II. — Nec ex titulo gloriae, immortalitatem habuit Beata Virgo dum adhuc in hac terra degeret.

8. — Expenditur. — Hic modus attenditur ex parte formae, quatenus ex forma derivatur in rem corruptibilem per naturam dispositio quaedam habitualis corruptionem totaliter removens, secundum illam celebrem S. Augustini sententiam [2]: *Tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex eius plenissima beatitudine, quae in fine temporum sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo quae fruentis et intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor.* — Ast, si quando Beata Virgo visione beatifica fruita est in hac vita, hoc fuit transeunter, et non per aliquam formam existentem permanenter in ipsa, ut dictum est [3]; sed et Christus ipse, licet habuerit ab initio suae conceptionis perfectissimam Dei visionem, eam tamen in anima taliter retentam habuit ut, divina Providentia disponente, caro eius ageret et pateretur quae sibi propria erant.

9. — PROP. III. — Beata Virgo immortalis fuit ex titulo gratiae.

10. — Exponitur. — Sibivult haec propositio, Beatam Virginem immortalem fuisse ex speciali dono Dei, tribuentis animae eius vim quamdam supernaturalem per modum habitus, praeservantem corpus a corruptione: ita ut, licet *remote*, id est propter contraria principia unde constabat, corpus eius corruptioni subiaceret [4], *proxime* tamen reddebatur a corruptione immune.

Revera, quod huiusmodi immortalitatis privilegium Adae innocenti primitus concessum non fuerit Beatae Virgini de-

[1] L. II de Pecc. mer. et rem., c. 29 n. 48, t. XII, col. 66. — [2] Ep. CXVIII ad Dioscor., c. 3, n. 14. Al. Ep. XLV, t. II, col. 334. — [3] P. II, C. I, art. 7, n. 4. — [4] S. Th., l. c., art. 3, ad 2m.

negatum, satis innuunt verba Bullae *Ineffabilis*: *Quapropter illam longe ante omnes angelicos spiritus, cunctosque sanctos, caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulcra et perfecta, eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest.* Quibus verbis agnoscitur in augusta Virgine status originalis innocentiae, cum admirabilis praerogativa sanctitatis. Atqui conditio immortalitatis erat adnexa ex gratuito beneficio statui iustitiae originalis: unde, quia *sine poenitentia sunt dona... Dei* [1], hinc nulla est ratio cur Beatissimae Virgini immortalitatis privilegium sit *de iure* denegandum. — Quod etiam ex eo apparet quod angelus Mariam salutavit *gratia plenam*: atque potius dici deberet gratia ex parte carens, si mortis aculeo, qui est effectus peccati, de necessitate subiacuisset. — Accedit quod Deus in initio promisit se inimicitias constituturum inter diabolum et Mariam, et quidem tales inimicitias, quibus Deipara in nullo prorsus a daemonio vinci debuerit; quod quidem non esset, si saltem ex parte mortis, quam ille sua invidia introduxit in orbem terrarum, victoriam in Mariam reportasset [2].

11. — **Corollarium.** — Igitur Beatissima Virgo cum Christo et caeteris hominibus ex parte convenit, et ex parte differt. Cum Christo et caeteris hominibus convenit in eo quod mortale corpus naturaliter habuerit, id est corpus quod ex principiis humanae carnis corruptibile est. Differt autem ab aliis hominibus, eo quod immortalitatem gratiae supra illos habuerit, quam etiam habuit Christus [3]; sed tamen a

[1] Rom., XI, 29. — [2] Scripturae loca, quibus hoc argumento alluditur, non satis expressa sunt, ut rem nostram plene conficiant; licet dici possint sufficientia, et ex ipsis expressa Ecclesiae definitio hauriatur, sicut factum est, in casu Immaculatae Conceptionis: definitionis enim praecise hoc munus est, ut expresse tradat quod implicite in Sacra Scriptura continetur. — [3] Unde sustineri nequit quod tradit Franciscus Macedo (Collationes doctr. S. Thomae et Scoti in II Sent., T. II. Patav. 1673. Collat. VIII, Differ. IV), scilicet Beatam

Christo differt Beata Virgo, eo quod Christus, cum esset etiam comprehensor, immortalitatem gloriae habuisset, nisi permisisset carni agere et pati quae propria. Quapropter novissima Eva in pristino originalis iustitiae statu constituta, sicut Evae veteris innocentiam aequavit, ita et immortalitatem *de iure* est assecuta.

12. — Tacita obiectio. — Nec valet obiici quod gratiam quidem recuperaverit homo ad remissionem culpae et meritum gloriae, non vero ad amissae immortalitatis restitutionem: hoc enim valet pro iis qui in Adam peccaverunt, siquidem ait Apostolus [1]: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Sed nullo modo hoc valet pro Beata Virgine, quae in Adam minime peccavit, et in quam consequenter mors non pertransiit quantum ad causam illius proximam, quae est subtractio iustitiae originalis [2]. Unde sicut Christus, ex eo quod fuit sine peccato, *non contraxit* mortem [3], id est non habuit causam proximam mortis, quae est carentia iustitiae originalis, ita et Maria, quae ab omni originalis peccati labe fuit praeservata immunis, non debet dici *contraxisse* mortem, id est habuisse necessitatem proximam moriendi.

Sed nec obiiciantur superius citata S. Augustini verba [4]: *Quia in* (Christo) *erat similitudo carnis peccati*, etc., ex quibus deducit Angelicus conclusionem, Christum simpliciter necessitatem moriendi habuisse [5]: — nimirum, quod aiunt eximii Doctores, intelligendum est, supposita ipsius Christi voluntate et libera mortis aliorumque defectuum susceptione; quae omnia proportionaliter valent pro incomparabili et gloriosissima Deipara, quam in omnibus, et signanter in praesenti re, dilecto suo Filio simillimam fuisse novimus.

Virgem, secus ac Christum, necessitatem moriendi habuisse, eo quod ipsa, non ille, modo naturae consueto concepta sit, quasi mortis necessitas ex seminali generatione, non proprie ex peccati originalis traductione, inducatur. — [1] Rom., V, 12. — [2] 3, Quaest. XIV, art. 3, ad 2[m]. — [3] Ibid. — [4] P. 357, n. 6. — [5] 3, Dist. XVI, Quaest. I, art. 2.

13. — Adae privilegium immortalitatis in Beata Virgine non fuit revocatum. — Quae cum ita se habeant, contendimus privilegium Adae concessum, cum pro universalitate generis humani in poenam peccati fuerit revocatum, in illa tamen una, quae in Adam non peccavit, adhuc perdurasse. Porro quod in Maria hoc privilegium revera non fuerit revocatum, suadent sequentes rationes. α) Revocatio huius privilegii, quantumvis gratuiti, habet rationem poenae. Atqui poena mortis supponit peccatum, dicente S. Paulo [1]: *Stipendia enim peccati mors.* Ergo privilegium immortalitatis non fuit revocatum pro Beata Virgine quae omnino non peccavit. — β) Privilegium immortalitatis est unum ex illis quae complexive revocata sunt in poenam peccati originalis, ut sunt, verbi gratia, immunitas ab ignorantia et a fomite, a debilitate naturali, a dolore in pariendo filios. Atqui haec omnia privilegia in Beata Virgine revocata non sunt: ergo nec immunitas a morte.

14. — Confirmatur. — I. Ille qui subiacet necessitati mortis, non solum vita privatur, sed etiam subest corruptioni corporis. Atqui talis fuit mors Deiparae, sicuti mox dicemus, ut eius corpus dissolutioni aut putredini nullo modo subiacuerit; quinimmo, statim ad vitam immortalem revocatum est, ita quod potius quam mors, eius transitus dicendus sit placidissimus somnus aut dormitio. Ergo licet Deipara sit mortua, non tamen propterea immortalitatis privilegio de iure frustrata est. — Igitur, Mariam *de iure* fuisse immortalem, liquido evincit ipsa eius assumptio immediate post illius obitum secuta: sicut enim Deus non dedit Christum videre corruptionem [2], ita Immaculatam eius Matrem sepulcri corruptio, quae mortis debitum sequitur, tangere haudquaquam debuit.

II. In propositione septuagesima tertia Michaelis Baii, inter condemnatas a S. Pio V, Gregorio XIII et Urbano VIII,

[1] Rom., VI, 23. Alibi (1 Cor., XV, 56) idem Apostolus dicit: *Stimulus autem mortis peccatum est.* — [2] Ps. XV, 10. Cf. Act., II, 27; XIII, 35. Cf. 3, Quaest. 4, art. 5. Ex hoc deduci debet incorruptionem corporis Christi in sepulcro non fuisse miraculum proprie dict .

legitur [1]: *Nemo praeter Christum est absque peccato originali, hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.* Porro, sensus obvius damnatus in hac propositione non est quidem quod Beata Virgo mortua sit, sed quod mortua sit in poenam peccati originalis, quasi contraxerit peccatum originale, et in eius poenam ipsa debuerit mori sicut caeteri homines. Atqui Beata Virgo peccatum originale non contraxit. Ergo mortis debitum non habuit: unde hucusque, quod ad quaestionem *iuris* attinet, resolvendum est Beatam Virginem morti non subiacuisse, iuxta illa verba superius recitata: *Noli metuere, non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est* [2].

Porro, ex eo quod Beatissima Virgo debitum mortis non contraxerit, ideoque immortalis *iure* fuerit, minime inferri potest illam *de facto* mortuam non fuisse: potuit enim libere petere et obtinere a Deo ut moreretur, praecise ut Filio suo conformior evaderet, iuxta illa S. Ioannis Damasceni [3]: *Quomodo quae pariendo naturae leges excesserat, nunc eius legibus cedit, et corpus immaculatum morti subiicitur? Oportet hoc mortali posito, induere incorruptionem: quandoquidem naturae Dominus mortis periculum facere non recusavit* [4]. Quapropter sit

15. — PROP. IV. — Beatissima Virgo vere mortua fuit.

16. — Opinio reprobanda. — Haec propositio, quae est *theologice certissima*, ponitur contra eos auctores qui Deiparam mortuam fuisse denegant, quos inter, ex antiquis, recenseri potest Franciscus Macedo [5]; ex recentioribus vero emi-

[1] Apud Denzinger-B., n. 1075. — [2] Esth., XV, 12, 13. — [3] Homil. I in Dormit. B. M. Virg., t. II, p. 864. — [4] Esto id quod de circumstantiis mortis Deiparae refert Damascenus ex apocryphis fontibus hausta sint, ideoque fidem non mereantur, tamen quod hic et inferius (art. praes., n. 26), circa *mortem* ipsam ex eo referimus, illius mentem, tanquam unius ex Ecclesiae Doctoribus traditionem catholicam exponentibus, sat expresse repraesentant. — [5] T. I, de Clavibus Petri, l. IV, X, II, de pecc. origin., sect. 3.

nent Dominicus Arnaldi, Protonotarius Apostolicus, olim in almo theologorum collegio, Genuae, Doctor [1], necnon Ioseph Ant. Virdia, Ordinis Minorum Conventualium, Episcopus Cariati, qui, in petitione Leoni XIII directa, sub titulo: *Pro dogmatica definitione integrae ad caelos assumptionis Deiparae Virginis*, scribit [2]: *Me magis magisque delectat, non repellendam esse eorum opinionem, qui propugnant Deiparam Virginem, ratione suae praeservationis et immunitatis ab omni peccati labe, nec communem quidem subiisse mortem, poenam adamitici piaculi.*

17. — Prob. prop. — Christus ex titulo gratiae immunis erat a morte subeunda, et etiam ex titulo gloriae, nisi gloriam animae impedivisset ne usque ad corpus redundaret. Attamen ipse voluit morti ceterisque corporalibus defectibus subiacere; et hoc quidem, ut docet S. Thomas [3], *primo*, ut satisfaceret pro peccato humani generis, assumendo huiusmodi poenalitates in natura nostra, vice nostri; *secundo*, ut adstrueret Incarnationis fidem, ita ostendens se veram carnem habuisse et non phantasticam; *tertio*, ad hoc ut nobis patientiae exemplum praeberet, huiusmodi defectus fortiter tolerando in semetipso.

Atqui, praecise ex hisce tribus capitibus concludendum est et ipsam Beatam Virginem mortem ultro suscepisse. — Nam, *primo* constituebatur socia Christi passionum, et ita in munere Coredemptricis a Salvatore assumebatur: decebat igitur ut et defectus nostros susciperet, ad hoc ut pro nostris peccatis cum Christo satisfaceret, non quidem satisfactione quae esset ex necessitate, sed ex abundantia redemptionis a Deo nobis procuratae [4]. — *Rursus*, si ad fidem Incarnationis adstruendam requirebatur quod Christus moreretur, multo magis ad idem pertinebat quod Beata Virgo, pro conditione carnis, ex hac vita decedendo migraret: secus enim potuisset hominibus suspicio ingeri, non hominem verum esse illum qui de immortali muliere natus fuisset. — *Tandem*, quia, labentibus saeculis, Beata Virgo, iuxta

[1] In op. *Super transitu B. Mariae Virg.*, Mediol., Ghezzi, 1879. — [2] Catanzaro, Typ. Veltri, 1880. — [3] 3, Quaest. XIV, art. 1. — [4] Revera, si Deipara immortalis de facto fuisset, cur non etiam impassibilis?

Ecclesiae magisterium, proponenda erat plebi christianae tanquam exemplar summae in doloribus patientiae et in adversis constantiae, iustum erat ut omnium physicorum malorum summum, mortem videlicet corporis, experiretur [1]. Quapropter certo retinendum est Beatissimam Virginem mortem corporis obiisse: nec contraria adsertio quidquam sanctitatis illi confert, sicut nec Christum adserta immortalitas ullo modo extolleret: quin potius utriusque sanctitudinem libere assumpta mortalitas necnon caritatis fervorem mire commendat.

18. — **Scholion.** — Hoc quidem sensu dici potest Beata Virgo mortua propter peccatum Adae: non quod propter contractum originale peccatum mortua fuerit, sed tum quia nisi adfuisset Adae peccatum, mors in mundum non esset ingressa, tum etiam quia ad delenda hominum peccata, modo sibi congruo Deipara mortua est. Sic sensu catholico intelligi valent verba S. Augustini [2]: *Etenim, ut celerius dicam, Maria ex Adam mortua* (est) *propter peccatum*; *Adam mortuus est propter peccatum, et caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata.*

19. — **Ecclesiae traditio.** — Fatendum tamen suprapositas rationes plurimum roboris accipere, si considerentur universalis de hac re fidelium sensus, necnon Ecclesiae traditio. Et illi quidem unanimiter tenent Beatissimam Virginam, nonnisi media morte corporali ad aethereas sedes, per gloriosam assumptionem, pervenisse. Porro, cum unanimis fidelium sensus in rebus fidei et morum a Spiritu Sancto immediate proveniat, hinc nullo modo catholico viro licet a sententia discedere, qua tenetur Beatissimam Virginem mortem vere obiisse, mox in carne resurrecturam, et in caelum glorioso conscensuram.

Aliunde huic rei suffragium haud leve adiicit ipsiusmet Ecclesiae vox, quae in quadam collecta pro festo Assumptionis, olim in usu habita et a S. Gregorio edita, ita Deum

[1] Cf. I. B. Terrien, La Mère de Dieu, etc. L. VII, c. 1, T. II, pp. 322, seq. — [2] Enarr. In Ps. XXXIV. Sermo II, n. 3, t. IV, col. 240.

exorat : *Veneranda nobis. Domine, huius diei festivitas opem conferat salutarem, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum.* Quinimmo, in oratione secretali pro eodem festo nunc legitur : *Subveniat, Domine, plebi tuae Dei Genitricis oratio, quam etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in caelesti gloria apud te pro nobis intercedere sentiamus :* quae quidem verba dogmatis argumento sunt, cum legem credendi lex statuat supplicandi.

20. — Solvuntur obiectiones — Nec magni faciendae sunt quae in contrarium obiiciuntur rationes.

I. Quarum prima in hoc sita est, quod monumenta quibus innititur traditio circa almae Virginis mortem, omnia sunt apocrypha. Porro ista summatim ad duo reducuntur : scilicet ad librum de *Divinis Nominibus* [1], quem falso adscribunt Dionysio Areopagitae [2], et ad alterum Pseudo-Melitonis de *Transitu B. Mariae V.* [3], ex quibus Damasceni liber de *Dormitione Virginis*, ad quem in facto et circumstantiis facti referendis communiter appellatur, ex toto contexitur.

At facile respondetur, aliud esse factum, aliud vero circumstantias facti mortis Beatae Mariae Virginis ; et has quidem ex apocryphis monumentis desumi ; illud vero ex constanti Ecclesiae traditione, a praefatis monumentis praescindente, derivari [4].

[1] Cap. 3. — [2] Vide Migne, Patr. Graec., T. III, col. 682. — [3] Ibid., col. 1231. Circa citata opera, legendus est Thomas Livius, C. SS. R., The Bl. Virgin in the Fathers of the first six centuries. London, 1893, pp. 357, seq. Ad hunc Pseudo-Melitonis librum qui, sexto saeculo tanquam apocryphus ab Ecclesia Romana fuit condemnatus (Decretum Gelesianum), provocavit Modestus Patriarcha Hierosolymitanus, cum populus aliquid expresse scire volebat circa mortem B. M. V. Patr Gr., LXXXVI, pp. 3279, seq. — [4] *Une chose qui me paraît de grande importance dans la question que nous avons à traiter,* ait I. B. Terrien (La Mère de Dieu, etc., T. II, p. 360), *c'est que le fond du récit dégagé de sa trop luxuense végétation de détails merveilleux peut, non sans fondement, être regardé comme vrai. Il en est de ces petits ouvrages comme des Evangiles apocryphes où sous mille fables vous retrouvez*

II. Obiiciunt pariter Deiparam, si mortua sit, nec Hierosolymis, nec Ephesi, uti communis vox habet, mori debuisse, cum ibi consanguineos non haberet, sed potius in civitate sua Nazareth, ad quam post Filii Ascensionem secessisse censeri potest : nihil autem de sepulcro nazarethano in traditione habetur. — Insuper, quae de Mariae sepulcro referuntur falsa esse deprehenduntur, in primis ex hoc quod aliud Hierosolymis, aliud Ephesi sepulcrum Virginis ostenditur. Tum, aiunt, de sepulcro Hierosolymitano de facili ostenditur, illud ante saeculum V non fuisse cognitum [1]; unde nonnulli ex Patribus illius authenticitatem denegant ; quod confirmatur ex defectu peregrinationum et diuturnae venerationis. Nec validiori ratione defenditur Ephesini sepulcri veritas : Patres quippe Synodi illius urbis, quae est tertium generale concilium, de tali sepulcro nihil habent ; et S. Caelestinus I ad eos rescribens, illos hortatur ut Ioannis documentis firmiter haereant, cuius reliquias praesentes venerantur, nihil dicto de tali Virginis sepulcro.

At hic quoque advertimus, parum aut nihil ad propositum nostrum referre in quanam civitate obierit Deipara : quod autem de sepulcro nonnulli digladiantur, evincit, quod iam innuimus, Deiparam, post suam mortem, mox ita resurrexisse, ut ne in sepulcro quidem fuerit eius gloriosum corpus repositum : quod tamen sepulcrum fidelium imaginationem postea confixisse facile censeri potest [2].

21. — Verba S. Epiphanii. — At vero potissimum sententiae, quam impugnamus, fulcimentum eruitur ex sequentibus S. Epiphanii verbis.

---

les dogmes capitaux de la foi des chrétiens d'alors, la Trinité, la virginité de Marie, l'Incarnation du Verbe, sa divinité, sa mort pour le salut du monde.

[1] Cf. Livius, op. cit., p. 356. — [2] De loco mortis et sepulturae Beatae Virginis, utrum videlicet hic fuerit Ephesi, an Hierosolymae, erudite disserit Petrus Bergamaschi, in opere VITA DELLA B. VERGINE MARIA, Madre di Dio e Madre Nostra, vol. III, Lodi, 1903, pp. 501, ubi rationibus hinc inde discussis, concludit (p. 551) : *Veramente la Vergine morì a Gerusalemme, e... ivi pure, nel Getsemani, venne sepolta. Ecco la nostra conclusione, che crediamo storicamente vera.*

Quaerant vestigia Scripturarum, et invenerint utique neque mortem Mariae, neque an mortua sit, aut non mortua, neque an sepulta sit aut non sepulta... Ego enim non audeo dicere, sed cogitans silentium mihi impero; fortassis enim alicubi etiam vestigia invenerimus sanctae illius ac beatae: sicut neque invenire datur mortem ipsius... Non autem omnino definio hoc, et non dico quod immortalis mansit, sed neque affirmo an mortua sit. Excessit enim Scriptura mentem humanam, et in suspenso reliquit, propter vas preciosum ac excellentissimum, ut ne quis ad suspicionem veniat carnalium de ipsa rerum. Sive igitur mortua est, non novimus: sive sepulta est, non copulata fuit carni, absit [1].

Porro ex hisce verbis, nil prorsus erui posse pro immortalitate Deiparae is facile deprehendet, qui adverterit S. Epiphanii in citato loco intentionem totam fuisse ut unice ex sacris Scripturis argumentum, ut aiunt, *ad hominem*, conficeret contra *antidicomarianitas*, perpetuam Deiparae virginitatem ex iisdem Scripturis tollere nitentes. Siquidem, cum mors peccati et concupiscentiae sit sequela, aliunde de Beatae Virginis morte sacer textus sileat, quidquid circa eius mortem retineatur, hoc unum inde eruitur, quod quidem Epiphanii proposito satis erat, ex Scriptura haudquaquam inferri posse, Deiparam concupiscentiae morsibus subiacuisse [2].

22. — Scholion. — Quod autem penes priscos Patres nil certi circa Beatae Virginis obitum habeatur, huic potissime debetur quod, cum Christi divinitati simulque humanitati adserendae essent potissimum intenti, ea tantum, generaliter loquendo, de Beata Virgine tradere solliciti fuerunt, quae ad hunc finem immediatius pertinent. Accedit narrationem de Deiparae obitu, in apocryphorum libris contentam, multis anilibus et paene haereticalibus fabulis esse admixtam, qui-

[1] HAER. LXXVIII. Colon. Agripp., 1617, p. 247, B. C. — [2] Vide supra cit. Op. THE BL. VIRGIN, etc., ubi auctor hoc argumentum erudite prosecutus, addit (p. 344): *We think it would be unfair to conclude from these words of St. Epiphanius that he himself entertained any serious doubts as to Our Lady's death.* Cf. p. 350.

bus ii nullam esse habendam fidem merito duxerunt. Demum, nondum suborta pelagiana haeresi, adhuc subobscura manebat doctrina de relatione mortis, hinc ad conditionem naturae, illinc vero ad peccatum originale. Caeterum, S. Ambrosius obiter quidem, sed tamen sat clare significat se retinuisse Mariam mortuam fuisse, cum dicit: *Nec littera, nec historia docet ex hac vita Mariam corporalis necis passione migrasse; non enim anima, sed corpus materiali gladio transverberatur* [1].

Praeterea, nec hoc praetermittendum censemus, ipsummet scriptorum silentium de morte Deiparae argumento esse, illam revera mortuam esse: secus enim factum tam singulare de eius a morte exemptione omittere minime debuissent.

Denique advertetur, non omnino certum esse quod tenent aliqui, Beatam Virginem circa duodecimum annum post Christi mortem obiisse, et quidem praesentibus omnibus Apostolis, antequam scilicet illi se per orbem dispergerent [2].

23. — Beata Virgo non diu mortua iacuit. — Pluries iam diximus, haudquaquam sustineri debere, gloriosae Deiparae corpus diu mortuum iacuisse, quod quidem inculcamus, ob apocrypha quaedam scripta, in quibus, ob nimis extensam similitudinem Mariae ad Iesum, contenditur illam triduo mortuam in sepulcro mansisse. At haec ratio nihil valet: etenim potuit corpus Christi mortuum diutius manere cum, ob unionem hypostaticam cum Verbo, non amiserit suam numeralem identitatem [3]; at, cum corpus Beatae Virginis, ab anima separatum, non manserit idem numero quod erat antea [4], nec deceret corpus illud, quod vitam Verbo incarnato dederat, sic mancum et imperfectum permanere, ideo dicimus illud statim post mortem animae iterum fuisse unitum per gloriosam resurrectionem.

24. — Quaestio. — *Quomodo Deipara sit mortua?*

Resp. Circa hanc haud levem quaestionem, imprimis cavendum sedulo est, quominus dicatur mors Virginis ex morbo aut

[1] S. Ambr. Exp. in Luc., l. II, n. 61. Opp. t. III, p. 58. — [2] Cf. Pitra, Analecta Sacra. Paris. 1876. I. p. 527. — [3] 3. Quaest. L. art. 5. — [4] Ibid., Quaest. LI, art. 3.

aegritudine, sive etiam ex senio, accidisse: erat enim illius animae insita vis quaedam ad omnem morbum depellendum, constansque traditio est Deiparam aetate haud grandaevam evolasse. Quapropter, animae illius a corpore separatio, potius quam mors, placidissima fuit dormitio ac velut tranquillus somnus: cum enim eius mens vehementissima in Deum ferretur extasi, anima nexibus corporis soluta evolavit, mox suo corpori coniungenda, ut in caelum tota corporaliter conscenderet, a suo Filio in universi Reginam coronanda: dormitio enim est, aut somnus, a quo quis citius excitatur.

Quod tamen ut rite intelligatur, primo loco supponi debet, quod alibi ostensum est [1], Beatae Virginis in Deum caritatem iugi profectu ita crevisse, ut appropinquante termino eius mortalis vitae a divina Providentia praefixo, gradum attigerit omni humana cogitatione maiorem.

Iamvero, vehementioris amoris effectus est, ut docet Angelicus Doctor [2], amantem, ab eo quod est secundum naturam, in id quod est supra naturam ita elevare, ut illum extra se rapiat: *ex hoc enim ipso quod appetitus ad aliquid vehementer afficitur, potest contingere quod ex violentia affectus homo ab omnibus aliis alienetur*, quod maxime verum est de divino amore; unde etiam Paulus, ex virtute divini amoris extasim faciente, dicebat [3]: *Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus* [4].

Quapropter, Beata Virgo pro immensa caritate qua flagrabat, dicenda est, sub fine vitae suae mortalis, extases et raptus quasi incessanter habuisse, in quibus divinam bonitatem contemplabatur, sive per similitudines quasdam imaginarias, qualis fuit, verbi gratia, excessus mentis qui cecidit supra Petrum [5], sive per intelligibiles effectus, sicut fuit excessus David dicentis [6]: *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax* [7].

Huiusmodi tamen raptus tales sane fuerunt, ut compossi-

[1] P. II, c. I, art. 5, n. 22. — [2] 2 2ae, Quaest. CLXXV, art. 2. — [3] Gal., II, 20. — [4] S. Thom., loc. cit., ad 2m. — [5] Act., 10, X. — [6] Ps. CXV, 11. — [7] S. Thom., loc. cit., art. 3, ad 2m. De differentia contemplationis per similitudines imaginarias et per intelligibiles effectus egimus in tr. DE STABILITATE ET PROGRESSU DOGMATIS, p. 309.

biles essent in Maria cum statu vitae praesentis, cum haec contemplatio non solum non tollat unionem animae ad corpus, sed nec conversionem ad phantasmata excludat. *La très sainte Mère*, ait S. Franciscus Salesius [1], *n'ayant rien en soi qui empêchât l'opération du divin amour de son Fils, elle s'unissoit avec iceluy d'une union incomparable, par des extases douces, paisibles et sans effort; extases esquelles la partie sensible ne laissoit pas de faire ses actions, sans donner pour cela aucune incommodité à l'union de l'esprit, comme réciproquement la parfaite application de son esprit ne donnoit pas fort grand divertissement aux sens.*

Quae cum ita sint, non videtur eis subscribendum, qui ponunt excessum amoris, ex huiusmodi raptu provenientem, Deiparam ita occupasse, ut ab eo veluti occisa manserit: talis enim amor sensitivus, vitae nocivus, inordinatus fuisset, corrigendus propterea a ratione; decebat autem quammaxime ut amor Deiparae in Deum esset ordinatissimus, ideoque in voluntate magis residens, nec in sensum, ultra quod natura ferre posset, redundaret.

Sed nec dici potest Beata Virgo, cum eius immortalitas, sicut immortalitas Adae, quodammodo dependeret ad usu mediorum quae naturaliter ad vitae conservationem a Deo erant ordinata, qualis erat cibi sumptio, ab hisce mediis se abstinuisse, ut sic vis illa supernaturalis, in qua immortalitatis ratio reponebatur, suspenderetur, et sic anima Mariae ad caelum evolaret: sic enim Deipara sibi ipsa mortem intulisset, quod valde inconveniens est.

Dicendum igitur quod, cum Beata Virgo ad tantum contemplationis gradum vi intensissimi amoris antea elevata fuisset, tempore a Deo praestituto, raptu excellentiori ad tertium caelum sublimata est, ut scilicet ipsam divinam Essentiam in seipsa, sine ulla specie, contemplaretur, non quidem per modum passionis transeuntis, sicut alias ipsi obtigerat [2], sed per modum formae permanentis [3].

At recolendum est divinam Essentiam, quia excedit in

[1] *Traité de l'amour de Dieu*, l. VII, c. XIV. Paris, 1862, t. II, p. 194. — [2] Cf. quae diximus P. II, c. I, art. 7, n. 3. — [3] Cf. 2 2^{ae}, Quaest. CLXXV, art. 3.

infinitum non solum omnia corpora, sed etiam omnem intelligibilem creaturam, ideo non posse videri mediantibus phantasmatibus, sed nec mediante quacumque specie intelligibili creata: unde necesse est hominem in statu viae abstrahi seu alienari totaliter a sensibus, ad eam facialiter videndam [1].

Haec autem abstractio, seu alienatio dupliciter fieri potest: *uno modo* sic, ut auferatur ab anima *actualis* conversio ad phantasmata et sensibilia, *alio modo*, ut auferatur ab anima etiam *connaturalis habitudo* ad praedictam conversionem, quod nonnisi per mortem corporalem compleri potest [2]. Quae duo ita complectitur S. Augustinus [3]: *Nemo videns* (Deum) *vivet ista vita, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporis, sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aversus et alienatus a carnalibus sensibus, ut merito nesciat, sicut Apostolus ait, utrum in corpore an extra corpus sit, cum in illam rapitur et subvehitur visionem.*

Porro, ad visionem divinae essentiae per modum passionis transeuntis perficiendam, sufficit prior abstractio, quae quidem mortem de necessitate non inducit, ut dictum est, et miraculose per virtutem divinam completur, sicut si *corpus per violentiam fortioris virtutis elevatur supra locum convenientem sibi secundum speciem suae naturae* [4]; visio autem divinae essentiae quae est per modum formae permanentis, scilicet per lumen gloriae, non potest perfici, nisi habitudo connaturalis animae ad intelligendum per conversionem ad phantasmata radicitus tollatur: radicitus autem nequit tolli, nisi per separationem animae a corpore, ut innuimus: unde huiusmodi visio divinae Essentiae mortem corporis secumfert, iuxta illud [5]: *Non enim videbit me homo et vivet*; et rursus [6]: *Scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.*

Cum igitur tempus advenisset quo Deiparae intensissi-

[1] S. Thom., loc. cit., art. 4. — [2] Ibid., art. 5. — [3] L. XII Sup. Gen. ad litt., c. 27, t. III, pars. I, col. 317. — [4] Ibid., ad 2[m]. — [5] Exod., XXXIII, 20. — [6] 2 Cor., V, 6, seq.

mus amor coronari deberet, ipse se Deus ei conspiciendum exhibuit facie ad faciem, non transeunter, sed permanenter, ex quo de necessitate sequi debuit vinculi mortalis dissolutio; ipsa Deipara in hanc dissolutionem consentiente, et sic culmen suis meritis apponente [1].

25. — Solvitur tacita difficultas. — Equidem Deus, apud quem non est *impossibile omne verbum* [2], potuisset, si ita voluissset, impedire quin haec facialis et permanens visio Mariae concessa, illius animam a corpore separaret, et sic illam potuisset in caelum, quin mortem gustaret, transferre, quemadmodum Adam de paradiso terrestri ad caelum transtulisset, si ille minime peccasset: at talem translationem, quae, utpote supra naturae leges, fuisset verum miraculum, Deus in casu Mariae complere noluit.

Cum enim Deus decrevisset ut Mater Verbi Incarnati similis eidem fieret per omnia quantum possibile sit, et cum inter mysteria Christi proprie emineat illius mors pro nobis libere suscepta, ideo, quo etiam hac in re Mater Filio conformior existeret, mortis cursum miraculose impedire noluit, ut scilicet etiam ex hoc capite Deiparae gratia augeretur, nobisque exemplum subministraretur perfectae conformitatis cum divina Voluntate in mortis sententia subeunda.

Re quidem vera, etsi Deipara esset de iure immortalis per gratiam, tamen ex quo mortem actu libere suscepit, exemptio ab hoc ordine miraculum fuisset: ex quo etiam argumentum potest desumi ad confirmationem facti de illius morte reali. Siquidem miracula Deus non patrat, nisi ut sua attributa hominibus manifestet; atqui Deiparae exemptio a morte non est hominibus nota, cum nullo sufficiente testimonio innitatur. Ergo Deipara reapse mortua est.

At non morte hominum communi Maria mortua est, sed tali morte, quae maximum illi triumphum paravit: scilicet

[1] Quod mors sanctorum sit veluti corona eorum caritatis, potissime datur cernendum in obitu S. Iulianae Falconeriae, tertii ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis fundatricis, quae in amplexu Christi in Eucharistia existentis expiravit, sacra hostia sui signum in eius carne imprimente. — [2] Luc., I, 37.

introducta est Sponsa in cellariam divinam et in suavissimo et prorsus ineffabili amplexu summi et infiniti Boni, separata est a corpore beatissima eius anima, quae tamen eidem incorrupto statim fuit iterum unita, ut diximus [1]; unde integra et omnibus beatorum dotibus ornata ad superos evolavit sanctissima Dei Mater, a Filio coronanda Regina angelorum et hominum.

26. — Verba S. Francisci Salesii et Bossuetii. — His expositis, apparet quonam sensu dici possit Maria ex amore mortua fuisse, quod quidem egregie exponit S. Franciscus Salesius [2]: *La Vierge Mère ayant assemblé en son esprit, par une très vive et continuelle mémoire, tous les plus aymables mystères de la vie et mort de son Filz, et recevant tous-jours à droit fil parmy cela les plus ardentes inspirations que son Filz, soleil de justice, jettast sur les humains au plus fort du midy de sa charité, puis d'ailleurs faysant aussi de son costé un perpétuel mouvement de contemplation, en fin le feu sacré de ce divin amour la consuma toute, comme un holocauste de suavité; de sorte qu'elle en mourut, son âme estant toute ravie et transportée entre les bras de la dilection de son Filz. O mort amoureusement vitale, o amour vitalement mortel!* Et rursus [3]: *Bien que cette sainte âme aymast extrêmement son très-saint, très-pur, et très-aymable corps, si le quitta-t-elle néanmoins sans peine ni résistance quelconque, comme la chaste Judith, quoyqu'elle aymast grandement les habitz de pénitence et de viduité, les quitta néanmoins et s'en despouilla avec playsir pour se revestir de ses habitz nuptiaux, quand elle alla se rendre victorieuse d'Holophernes; ou comme Jonathas, quand, pour l'amour de David, il se despouilla de ses vestements. L'amour avoit donné près de la Croix à cette divine Espouse les suprêmes douleurs de la mort; certes, il estoit raysonnable qu'enfin la mort luy donnast les souveraines délices de l'amour.*

Doctrinam hanc Bossuetius quoque eleganter exponit [4]:

[1] N. 23, p. 367. — [2] *Traité de l'amour de Dieu*, l. VII, c. XIII. — [3] Ibid., c. XIV. — [4] 2me *Sermon sur l'Assomption de la Sainte Vierge.* 2me Point *Œuvres*, etc., t. II, p. 805.

Si vous n'en croyez, saintes âmes, vous ne chercherez point d'autres causes de la mort de la sainte Vierge: son amour étant si ardent, si fort et si enflammé, il ne poussait pas un soupir qui ne dût rompre tous les liens de ce corps mortel: il ne formait pas un regret qui n'en dût dissoudre toute l'harmonie: il n'envoyait pas un désir au ciel qui ne dût tirer après soi l'âme tout entière. Je vous ai dit, chrétiens, que sa mort est miraculeuse: je suis contraint de changer d'avis: la mort n'est pas le miracle, c'en est plutôt la cessation. Le miracle continuel, c'était que Marie pût vivre séparée de son Bien-Aimé... Ainsi point d'autre cause de la mort de Marie, que la vivacité de son amour.

Quae cum ita sint, fingere possumus Deiparam ferventius longe quam Davidem exclamasse [1]: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* Cui Deus respondebat [2]: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni* [3].

Quamobrem, cum S. Ioanne Damasceno, gloriosam Virginem alloquemur [4], *sacrum transitum tuum minime mortem appellabimus, sed somnum et migrationem, vel ut aptiori voce utar, praesentiam ad Deum* (κοίμησιν, ἢ ἐκδημίαν, ἢ ἐνδημίαν): *excedens enim e corpore, praesens existi ad potiora.*

27. — Scholion. — Quocirca, nec Virginis corpus diu ab anima desertum remansit, nec corruptionis aut dissolutionis detrimento subiacuit: non enim decebat ut maternum corpus, ex quo desumpta fuerat immaculata caro illius Sancti, quem non dederat Deus videre corruptionem [5], putredo mortis detineret.

Hoc sensu, Dionysius Cartusianus, commentans verba illa [6]: *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina*, ait: *Per domos istas possunt intelligi corpus vir-*

[1] Ps. XLI, 2, 3. — [2] Cant., II, 10. — [3] Vide Sedlmayr, Theol. Mariana, Pars III, art. 4. Augustae-Vindel., 1758, pp. 808, seq. — [4] Homil. 1. in Dormit. B. M. V., t. II, p. 865. — [5] Act., II, 27. Cf. 3, Quaest. LI, art. 3, — [6] In Cant., c. I, Vers. 16.

gineum Matris sanctae et corpus salvificum Unigeniti eius.... Siquidem caro Christi non vidit corruptionem; nec ambigitur quin Filius ille omnipotens, naturaliter bonus et pius, amantissimam ac fidelissimam Matrem suam cum corpore et anima assumpserit in gloriam. Et pius quidam auctor scribit [1]: *Illud ergo sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit.... escam vermibus traditum, quia sentire non valeo, dicere pertimesco, communi sorte putredinis et futuri de vermibus pulveris.*

Quapropter gloriosae Deiparae, Dominae nostrae, applicari verissime potest id quod S. Leo Magnus de Christo edisserit [2]: *Tam velox incorruptae carnis vivificatio fuit, ut maior ibi esset similitudo soporis quam mortis.* Qua in re, dignus est qui audiatur S. Gregorius Nareghensis (951-1003), qui fidem Ecclesiae Armenae referens, ait [3]: (Virgo) *non habens passionis simul nobiscum natae pondus naturaliter ferendum* (scilicet sequens ex peccato originali), *ad excelsa caelorum sublata pervenisti, velut incapax corruptionis et solutionis per mortem.*

Denique, huc pertinet nomen quo Graeci festum Assumptionis Beatae Virginis designant, scilicet *pausatio*, παῦσις, *ad significandum breve tempus quo Maria in sepulcro iacuit, antequam ad caelum evolaret* [4].

28. — Verba S. Ioannis Damasceni. — Nobis hac in re solemnia sint verba quae habet S. Ioannes Damascescenus [5]: *Hodie Virgo immaculata, quae nihil terrenarum affectionum admisit, sed caelestibus enutrita cogitationibus, non in terram reversa est; at, cum vere caelum esset animatum, in caelestibus tabernaculis collocatur.... Nam quae veram vitam cunctis protulit, qui tandem morti subdita fuisset? Sed cedit legi latae ab eo quem genuit; et ut filia veteris Adam, paternam sententiam*

[1] Lib. De Assumpt. B. M. V, c. 6. Inter Opp. S. August. App., t. VI, col. 252. — [2] In Serm. I de Resurrect. Domini, c. II, p. 69. — [3] Discorso panegirico alla B. V. M., scritto da S. Greg. da Naregh. Venezia, S. Lazzaro, 1904, p. 26, ad sensum. — [4] Bened. XIV, de festis D. N. I. C. et B. V., t. II, c. VII, § III. — [5] Homil. II In Dormit. B. M. V., t. II, p. 869, 870.

subit. Nam et eius Filius, qui vita ipsa est, eam non recusavit; ut autem Dei viventis Mater, ad ipsum merito transfertur... Eva, quae serpentis nuntio aures praebuit hostisque suggestionem auscultavit,... moeroris et tristitiae sententiam retulit, ut dolores partus sustineret et una cum Adamo morte condemnata, in imis inferni recessibus collocatur. Hanc autem vere beatissimam, quae Dei verbo aures submisit, et Spiritus Sancti operatione impleta est, atque Archangelo sequestro, de complacito Patris praegnans effecta, quaeque sine voluptate ac viri congressu, Dei Verbi personam, cuius omnia plena sunt, concepit, ac pro eo, ut decebat, sine doloribus peperit, quaeque totam se cum Deo copulavit, quomodo mors devoraret? Quomodo inferi susciperent? Quomodo corruptio corpus illud invaderet, a quo vita suscepta est [1]?

29. — Corollarium. — Ex quibus omnibus iam libet deducere cunctos homines, nullo prorsus excepto, legi mortis aliquando subiacere: nam, si qua exceptio videretur facienda, haec certe esset relate ad Christum aut ad Beatissimam eius Matrem: hi autem legi mortis ultro cesserunt. Nec satis probanda videtur eorum sententia qui putant illos, quos Apostolus Paulus describit simul rapiendos obviam Christo in aera [2], mortem non esse gustaturos: nam, ut notat Cornelius a Lapide [3], *debili fundamento nititur haec exceptio a lege mortis plane universali. Unde postea, re melius discussa, retractans suam sententiam S. Augustinus* [4] *docet omnes omnino homines morituros et resurrecturos* [5].

[1] Cf. quae diximus supra, P. II, c. I, num. 2. — [2] 1 Thess., IV, 16. — [3] Comm. in h. l. — [4] L. XX de Civ. Dei, c. 20, t. VII, col. 599. — [5] Cf. S. Thom., 1 2ae, Quaest. LXXXI, art. 3, ad 1um; et Estius, in 4, Dist. XLIII, § 7. — Circa hunc textum S. Pauli (1 Cor., XV, 51): *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, et differentiam lectionis graecae a nostra Vulgata, necnon diversas huius loci explicationes, vide quae scripsimus in tract. de Novissimis, Quaest. I, art. 1, n. 10, p. 19. — Quod autem S. Ioannem attinet, retinendum est illum quoque mortuum esse, non obstantibus Christi verbis (Io., XXI, 22): *Sic eum volo manere*, etc.; licet pie credatur, ut ait S. Thomas (in Symb. Apost. Opusc. VII, art. 5. Ed. Parm.), illum speciali privilegio iamdiu resurrexisse, quod quidem tenera eius in Deiparam devotio sat probabile facit. Cf. Livius, op. cit., p. 346, in nota. Rem verbis concludere

30. — Figura obitus Beatae Mariae Virginis. — Potest beatissimi transitus gloriosae Virginis figura quaedam deprehendi in historia Esther, cum illa se Assuero praesensentavit, gloria refulgentem, et regio habitu circumamictam, innixam super unam famularum, altera eam sequente, quae eius indumenta, in humum defluentia sustentabat. Stetit igitur regina contra regem, auro et lapidibus pretiosis ornatum, aspectu terribilem; quem cum vidit, corruit, rege in occursum eius festinante eamque ulnis suis sustentante, ac amice protestante: *Noli metuere: non morieris; non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est* [1]. Tum, rege illam interpellante, Esther respondit : *Vidi te, Domine, quasi Angelum Dei et conturbatum est cor meum prae timore gloriae tuae. Valde enim mirabilis es, Domine, et facies tua plena est gratiarum* [2]. Tunc rursus corruit regina et pene exanimata est [3].

Hanc igitur pulcherrimam historiam facile poterit pia mens proposito transitus inclitae Deiparae applicare, in qua, cum ad divinae Essentiae contemplationem, omnibus fulgens virtutibus, propius accederet, ipso divinae maiestatis fulgore velut perculsa, carnis vincula disrupta sunt, ad Dei vero vocem mox restituta.

31. — Quaestio. — *Utrum aliquis homo mortalis fuerit testis resurrectionis et assumptionis Beatae Virginis?*

Resp. Negative quoad resurrectionem: id enim dici debet de resurrectione Beatae Virginis, quod de Christi resurrectione decernitur; nempe, quia Deipara resurgens non redibat ad vitam communiter notam hominibus mortalibus, sed ad quamdam vitam immortalem et Deo conformem, secundum illud [4]: *Quod enim vivit, vivit Deo*, ideo eius resurrectio non debuit immediate ab hominibus mortalibus vi-

---

possumus Benedicti XIV (De Servorum Dei beatific., in synopsim redacta, ab Emm de Azevedo, t. I, c. 14, p. 13, Ven., 1777): *Ipsam vero* (Mariam) *quidquid scripserit S. Epiphanius, et sanctum Ioannem Evangelistam, quidquid Graeci post schisma aliique senserint, obiisse, semper existimavit Ecclesia, et testatur Tertullianus* (lib. de an., c. 50).

[1] Esther., XV, 13. — [2] Ibid., 16, 17. — [3] Ibid., 18. — [4] Rom., VI, 10.

deri; in quo quidem differt eius resurrectio a resurrectione Lazari, quem videntibus discipulis Dominus suscitavit [1], quia ille resuscitatus est ut rediret ad vitam qualem prius habuerat, quae communem hominum notitiam non trascendit [2].

Assumptionem autem eiusdem Deiparae potuit aliquis testificari, quemadmodum etiam Christi gloriosa ascensio testes discipulos habuit [3]: nam, ad tramitem eius quod habet Angelicus, dum loquitur de Christi ascensione [4], ita possumus argumentari: Assumptio Beatae Virginis, quantum ad terminum *a quo*, non transcendebat hominum communem notitiam, sed solum quantum ad terminum *ad quem*; et ideo homines potuerunt videre eius assumptionem quantum ad terminum *a quo*, id est secundum quod elevabatur a terra, non autem illam viderunt quantum ad terminum *ad quem*, quia non viderunt quomodo Maria reciperetur in caelum. At eius resurrectio transcendit communem notitiam, et quantum ad terminum *a quo*, secundum quod anima ad corpus rediit, et quantum ad terminum *ad quem*, secundum quod Beata Virgo adepta est vitam gloriosam; et ideo non dubuit eius resurrectio fieri sic, quod ab homine videretur, licet eius assumptio quodammodo visa fuerit.

Et haec, ut censemus, assignari potest ratio cur explicitior fides habeatur, inde a priscis temporibus, de assumptione Beatae Virginis, quam de eius morte ac resurrectione [5].

32. — Notandum. — Ultimo monendum censemus, ne dicatur Deipara immediate post acceptam sacram eucharistiam sic evolasse, ut species eucharisticae in eius pectore incorruptae perseveraverint, cum quibus mox in caelum fuerit translata, praedictas species in aeternum in seipsa ab angelis sanctisque adorandas reservatura.

Esto quippe, absolute loquendo, impossibile non sit Dei-

[1] Io., XI, 44. — [2] Cf. 3, Quaest. LV, art. 2, ad 3[m]. — [3] Act., I, 9. — [4] Loco cit., ad 2[m]. — [5] De glorioso transitu Beatissimae Virginis plura habet collatu digna Aloisius Vaccari, monacus Cassinensis, in op. *de Corporea Deiparae assumptione in caelum*; ubi quaestionem ex professo agitat, *An dogmatico decreto definiri possit?* Romae, 1869.

param sic obiisse, et sacramentales species in caelo sic conservari, tamen cum lex sit, sacramenta esse propter homines viatores, ideo non est ponenda Eucharistia nisi in terra, et quidem quamdiu homines aderunt sanctificandi. Sane, minime repugnat dicere Mariam pane caelesti ante obitum pastam fuisse, ex quo quidem notabile gratiae augmentum percepit, sicque disposita fuit ad illum amoris excessum quem supra descripsimus; at cavendum est ne dicatur animam illius ante migrasse, quam species illae consumptae fuerint [1].

33. — Conclusio. — Et haec dicta sint ad laudem gloriosae ac Immaculatae Dei Parentis, quae utique per se mortis debito non subiacuit; ex hoc tamen quod divinae voluntati perfectissime conformis extitit in morte modo explicato subeunda, hoc ipsa sibi promeruit, ut fidelibus servis suis in illo momento adsistat, quod quidem, historia teste, benignissima semper praestitit [2], et ut pio lectori

[1] Sententia quam hic reprobamus tangitur a P. Gulielmo Faber, Congr. Orat. in Opere *Il Santo Sacramento*. p. 430, Taurini 1881. quin tamen illam expresse approbet. Defenditur autem multis argumentis a P. Benedicto da Alatri, Ord. Cap., in Op. *L'Eucarestia e la Vergine* (Romae. 1902), ubi revelationem B. Magdalenae Martinengo hac super re auctor ille commentatur. At lex est. ea quae sub nomine revelationum sanctorum circumferuntur, caute esse accipienda, etiamsi ab Ecclesia sancita videantur: hoc enim iudicium negativum est potius quam positivum. et constat huius generis revelationibus spiritum proprium interdum misceri. Caeterum plura sunt in illo libro reprehensione digna: verbi gratia. quod dicatur corpus B. Virginis assumptum fuisse in caelum virtute Eucharistiae (p. 74). cum. e contra. vi dotis agilitatis. quae propria est animae glorificatae. id acciderit; pariter quod Christus, Maria et Eucharistia ponantur constituere trinitatem humanam (p. 104), quasi Christus ipse ab Eucharistia distingui realiter debeat. etc. Sane, hisce gratuitis positionibus. populi christiani fides potius quatitur quam aedificetur. inimicis vero Ecclesiae Catholicae ansa praebetur religionis nostrae mysteria deridendi. cum tam peregrina eis misceri deprehendant. — [2] Cf. opusc. n. La protection de Marie à l'heure de la mort. Rome, 1913.

supplicique scriptori usque praestet enixe rogamus, cum aliquo illius devoto cliente exclamantes:

O Maria, stella maris,
Dignitate singularis,
Super omnes ordinaris
Ordines caelestium.

In supremo sita poli,
Nos assigna tuae proli,
Ne terrores sive doli
Nos supplantent hostium.

In procinctu constituti
Te tuente simus tuti;
Pervicacis et versuti
Tuae cedat vis virtuti,
Dolus providentiae [1].

[1] Adamus a S. Victore, in Sequentia *Salve Mater Salvatoris.* — Insigne exemplum protectionis Beatae Virginis, in morte, erga clientes suos, suppeditatur in historia sanctorum septem Fundatorum Ord. Servorum eiusdem Beatae Virginis, quorum omnium obitus laetum quemque imitatus est triumphum. — Temperare nobis ipsi non possumus quin elegantissimos hos versus Boccacii, cui parcat benignus Deus, ad laudem Reginae nostrae hic recitemus:

O Regina degli angioli, o Maria,
Che adorni il Ciel co' tuoi lieti sembianti
E, stella in mar, dirizzi i naviganti
Al porto, o segno di diritta via;
Per la gloria ove sei, Vergine pia,
Ti prego guardi a' miei miseri pianti;
Increscati di me, tômmi d'avanti
L'insidie di colui che mi travia.
Io spero in Te, ed ho sempre sperato:
Vagliami il lungo amore, e riverente,
Il qual ti porto, ed ho sempre portato.
Drizza il mio cammin, fammi possente
Di divenire ancor dal destro lato
Del tuo Figliuol, fra la beata gente.

CAPUT III.

De Virginitate et Matrimonio Beatae Mariae Matris Dei.

PROLOGUS.

1. — **Ratio capitis.** — Post expensas tractationes de perfectionibus animae necnon de qualitatibus atque defectibus corporis Beatissimae Virginis Mariae, sequitur ut de eo peragatur, quod ad utrumque quodammodo pertinet, scilicet de virginitate et matrimonio eiusdem Dei parentis. Consistit enim virginitas in corporis integritate, matrimonium vero in mutua sponsorum corporis traditione; at nec illa nec istud sine eo quod ad mentem spectat perficitur: siquidem, nisi corporis integritati mentis propositum accedat, illa proprie hominis perfectio non est; et rursus possunt sibi vir et mulier corpora mutuo tradere citra, imo contra, virtutis honestatem. Quocirca ea nunc ratione agendum assumitur de virginitate ac matrimonio Deiparae, quatenus et animi et corporis perfectionem ista sequuntur; imo ostendetur, quod quidem unicum in mundo est, haec duo, sibi prima facie pugnantia, in Virgine gloriosa ita adunata fuisse, ut virginitas exornaverit fecunditatem, et fecunditas non minuerit virginitatem.

2. — **Ordo capitis.** — Igitur duae hic distinctae proponentur quaestiones: altera de virginitate (art. 1-2), altera de matrimonio (art. 3) Beatae Virginis. Sed, ut patet, quaestio de virginitate proprie expendi nequit, nisi, praeter id quod ad corporis integritatem spectat (art. 1), tradatur etiam doctrina de eo quod pertinet ad dispositionem animi, in quo quidem formalis boni ratio consistit (art. 2). Quaestio vero de Beatae Virginis desponsatione et matrimo-

nio expendenda erit tum ex Sacrae Scripturae Patrumque documentis, tum ex proprio theologiae penu [1].

Hinc, in hoc capite tria quaeruntur:

Primo. Utrum Mater Dei fuerit virgo.

Secundo. Utrum Beata Virgo votum virginitatis emiserit.

Tertio. De desponsatione et matrimonio Beatae Mariae Virginis cum sancto Ioseph.

Articulus I. — *Utrum Mater Dei fuerit virgo.*

1. — Quid sit virginitas. — Virginitas pars est castitatis, ad quam pertinet, *ut secundum iudicium rationis et electionem voluntatis, aliquis moderate utatur corporalibus membris* [2]. Revera, delectationes venereorum, quas moderatur castitas, specialem quamdam vehementiam habent, unde speciali castigatione et refraenatione indigent, secus miserabiliter virtutem mentis deiiciunt [3].

At virginitas non solum vetat ut quis delectationis modum praetergrediatur, verum etiam facit ut homo immunem se conservet ab omni experimento venereae voluptatis; unde quamdam excellentiam supra castitatem habet, sicut magnificentia, quae est circa magnos sumptus, specialem excellentiam habet supra liberalitatem, quae communiter se habet circa omnem pecuniarum usum [4].

Quapropter virginitas specialis quaedam virtus est, cuius formale et completivum est propositum perpetuo abstinendi a delectatione venerea etiam licita; materiale autem huius virtutis est integritas carnis absque omni experimento venereae delectationis [5]. At, quoniam omnis res specificatur a fine, ideo propositum illud a delectatione venerea abstinendi

[1] Quae hoc loci, in prioribus huius operis editionibus, compendio de glorioso sponso Beatae Virginis disseruerámus, nunc ampliori et accuratiori methodo pertractata speciali volumine comprehenduntur, cui titulus *Tractatus de S. Ioseph, Sponso B. M. V.* Parisiis, Lethielleux. — [2] 2 2^{ae}, Quaest. CLI, art. 1, ad 1^{m}. — [3] Ibid., art. 3, ad 2^{m}. — [4] Ibid., Quaest. CLII, art. 3. — [5] Ibid.

non est laudabile. nisi in quantum fiat ad vacandum rebus divinis, ut scilicet quis contemplationi divinae liberius vacet, iuxta illud Apostoli [1]: *Mulier inupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu: quae autem nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro* [2].

Hic autem advertendum est, aliud esse virginitatem communiter dictam, aliud vero virginitatem specialiter et secundum supremam perfectionem consideratam. Ad virginitatem enim communiter dictam sufficit propositum perpetuae integritatis, quin hoc sit voto firmatum; nam, ut ait S. Thomas [3]. *virginitas secundum hoc ad genus virtutis pertinet, secundum quod perpetua incorruptio mentis et corporis sub electione cadit.* At virginitas in supremo gradu consistere nequit, nisi voto obfirmetur; quo voto constituitur in virtute religionis, dum citra hoc votum, secundum propriam materiam, spectat ad virtutem temperantiae. Unde virginitatem voto firmatam violans non modo stuprum, sed etiam sacrilegium committit [4].

2. — **Ratio articuli.** — Quae cum ita de virginitate communiter constiterint, gratissima modo suscipitur quaestio de hac dote quae in Maria singularissime refulget, propter quam per antonomasiam *Virgo* praedicatur [5], quasi hoc sit propriissimum illius appellativum; quae quidem virginitas voto obfirmata, naturae legibus posthabitis, imo longe superatis, nec veri matrimonii rationem exclusit, ut postea ostendetur, nec perfecta fecunditate caruit.

Porro, in hoc articulo id tantum quod ad integritatem corporalem spectat, expendemus; illud in altero tradituri, quod ad virtutem animi pertinet, scilicet propositum virginitatis servandae voto obfirmatum.

[1] 1 Cor., VII, 34. — [2] S. Thom., l. c., art. 2. — [3] 4, Dist. XLV, Quaest. V, art. 3. — [4] Hoc sensu intelligendum est quod habet S. Thomas (2 2ae, Quaest. CLII, art. 3. ad 4um): *Virginitas, secundum quod est virtus, importat propositum voto firmatum integritatis perpetuo servandae:* ibi enim agit S. Doctor de supremo virginitatis gradu. — [5] Varios huius appellationis modos a Patribus passim usurpatos, require in Opere Card. Vives: *Dictionarium Marianum*, voc. Virgo. Romae, 1901.

3. — Errores. — Porro, triplicis progeniei haeretici, prioribus Ecclesiae saeculis, impetere ausi sunt sanctae Mariae gloriosam virginitatem. α) *Cerinthus* enim et cum eo Carpocrates et Ebionitarum secta, Mariae virginitatem in concipiendo sustulerunt : nam cum illi Christum purum hominem esse dicerent, eum putaverunt de utroque sexu generatum, ideoque ex semine Ioseph conceptum. β) *Iovinianus* vero, licet agnosceret Beatam Mariam in concipiendo mansisse virginem, eam tamen ponebat in partu fuisse corruptam. *Ante paucos annos*, ait S. Augustinus [1], *haereticus novus* (Iovinianus) *virginitatem sanctae Mariae destruebat, et virginitati sacrae nuptias fidelium coaequabat* [2]. γ) Demum *Helvidius* non erubuit asserere Matrem Christi post partum a Ioseph fuisse carnaliter cognitam et alios genuisse filios; qua de re ita loquitur S. Hieronymus [3]: *Quantas molestias habeant nuptiae, et quot sollicitudinibus vinciantur, in eo libro quem adversum Helvidium de Beatae Mariae perpetua virginitate edidimus, puto breviter expressum.* — Nec silendi novatores saeculi decimi sexti, qui hoc Matris Dei privilegium uno alterove, aut etiam omnibus modis, labefactare conati sunt : signanter vero Calvinus inficiatus est Deiparam votum virginitatis emisisse, ne inde probanda ipsi viderentur vota monastica.

4. — PROP. — α) Mater Christi, toto vitae suae decursu, integritatem corporis servavit; β) ideoque virgo fuit I. in concipiendo, II. in partu, III. post partum.

5. — Exponitur. — Prima pars, quae generali modo secundam etiam partem comprehendit, de fide est, ut patet ex damnatione praedictarum haereseon, necnon ex eo quod in Apostolorum symbolo legitur : *Natus ex Maria Virgine*, ubi id quod dicitur *Virgo*, intelligendum est in sensu Ecclesiae et fidelium, nempe pro omni tempore vitae Mariae, et non pro tempore usque ad nativitatem Verbi tantum, ut volunt aliqui inter haereticos; nam falsum esset Christum natum fuisse de Virgine, si haec corrupta fuisset etiam post illius

[1] L. I Contra 2 Ep. Pelag., c. II, n. 4, t. X, col. 413. — [2] Cf. Haeres. LXXXVII, t. VIII, col. 24; et l. I Contra Iulian., c. 2, t. X, col. 499. — [3] Ep. XXII ad Eustoch., n. 22, t. I, col. 105.

nativitatem. — Caeterum, quod hic sit Ecclesiae sensus apparet evidenter ex liturgia, verbi gratia, ubi legitur: *Hodie concepta est Virgo Maria.* Omnes quippe parvuli concipiuntur virgines, unde inutiliter hoc diceretur, nisi illud *Virgo* ad totum tempus vitae Deiparae referretur.

Probatur autem enunciata propositio tum auctoritate Sacrae Scripturae, tum Ecclesiae traditione.

6. — **Prob. 1. Pars. — I. Auctoritas S. Scripturae.** — Imprimis adducendus est celeberrimus Isaiae locus [1], ubi Virgo praedicitur conceptura et paritura filium, in quo quidem loco constans Ecclesiae traditio Deiparam agnovit. Nimirum, cum Rasin, rex Syriae, et Phacee rex Israel, contra Hierusalem incederent ut illa urbe potirentur, rex vero Iudae Achaz, habito nuntio futurae victoriae, necdum securus existeret, iussit illi propheta ut signum a Deo peteret, quo de prospero futuro eventu certior redderetur. Eo autem sub specie falsae pietatis renuente, Deus protestatur se ipsum signum daturum: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* hebraice הִנֵּה הָעַלְמָה הָרָה וְיֹלֶדֶת בֵּן וְקָרָאת שְׁמוֹ עִמָּנוּ אֵל: -- quod sic apud Septuaginta legitur: ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται υἱόν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ.

S. Hieronymus, et cum eo antiquiores commentatores nomen istud עַלְמָה (*almah*), a radice עָלַם (*alam*), *occultavit, abscondit*, derivant, ita ut significet puellam, seu virginem innuptam, ideoque domi adhuc latitantem, secundum hebraeorum morem, penes quos virgines innuptae aut nunquam aut raro foras procedebant. Contradicunt autem recentiorum plurimi, contendentes vocem illam, derivatam a radice araba *alimah*, significare simpliciter puellam in aetate nubili constitutam, sive haec sit nupta sive innupta.

At, quidquid sit de etymologia huius vocis, constans usus Sacrae Scripturae eius sensum defixisse videtur pro designanda puella virgine [2]; unde iamdiu S. Hieronymus fate-

[1] VII, 14. — [2] Cf. Gen., XXIV, 43; Exod, II, 8; Ps., LXVII, 28; et maxime Cant., I, 2; VI, 7, 8; Prov., XXX, 19.

batur se nunquam invenisse in Sacra Scriptura huiusmodi vocem in sensu mulieris nuptae, sed tantummodo in sensu puellae virginis [1].

Sed et ipse vaticinii contextus hunc sensum postulat, cum in textu originali voces *concipiet* et *pariet* participio praesenti exprimantur, quasi dicatur conceptura et paritura actu virgo permanens, scilicet in sensu composito, non quod vigo concipiet in sensu diviso, id est, cum iam desierit esse virgo. Quod et exigit signi (אוֹת), seu prodigii promissi ratio: non enim prodigium esse potest quod mulier nupta pariat. Quocirca recte designatur virgo illa hebraice per

[1] Iuverit ex S. Hieronymo sequentia referre, ubi ille vocis עַלְמָה indolem ex hebraeo fonte derivat, dum commentans illud Geneseos (XXIV, 43): *Virgo quae egredietur ad hauriendam aquam*, scribit: *Pro adolescentula* (sic ille hebraeum עַלְמָה vertit), *quae graeco sermone νεᾶνις dicitur, ibi legimus* ALMA, *quod quidem et in Isaia habetur. Nam in eo loco ubi in nostris codicibus scriptum est* (Is., VII, 14): ECCE VIRGO CONCIPIET ET PARIET, *Aquila transtulit:* ECCE ADOLESCENTULA CONCIPIET ET PARIET; *in hebraeo legitur:* ECCE ALMA CONCIPIET, ET PARIET. *Notandum ergo quod verbum* ALMA, *numquam nisi de Virgine scribitur et habet etymologiam.* ἀπόκρυφος, *id est* ABSCONDITA. *Scriptum siquidem est in Iob* (XXVIII, 21): SAPIENTIA UNDE INVENIETUR? ET QUIS LOCUS INTELLECTUS? ET ABSCONDETUR AB OCULIS OMNIS VIVENTIS. *Ubi nunc diximus* ABSCONDETUR, *in hebraeo propter declinationem verbi aliter figuratum.* NAALMA *dicitur. Huic quid simile, licet masculino genere declinetur, et in Regnorum libris scriptum est, ex persona Elisaei loquentis ad Giezi* (4 Reg., IV, 27): ET DOMINUS ABSCONDIT A ME. *Ergo* ALMA, *quod interpretatur abscondita, id est virgo, nimia diligentia custodita, maioris mihi videtur laudis esse, quam virgo. Virgo quippe iuxta Apostolum potest esse corpore et non spiritu. Abscondita vero, quae virgo est,* ἐπίτασιν *virginitatis habet, ut et virgo sit, et abscondita. Et quae abscondita est, iuxta idioma linguae hebraeae, consequenter et virgo est: quae autem virgo, non statim sequitur ut abscondita sit. Hoc idem verbum et in Exodo de Maria sorore Moysi virgine legimus* (Exod., II, 8). *Ostendant igitur Iudaei in Scripturis alicubi positum* ALMA, *ubi adolescentulam tantum, et non virginem sonet: et concedimus eis illud quod in Isaia apud nos dicitur:* ECCE VIRGO CONCIPIET ET PARIET, *non absconditam virginem, sed adolescentulam significare iam nuptam.* L. Quaest. hebraic. in Gen. Opp., t. III, P. I, p. 341.

suffixum ־ָהּ. graece vero per articulum ἡ, tanquam singularissima mulier extitura, et mater Emmanuel cui omnes characteres regis messianici attribuuntur.

Quod etiam *confirmat* adverbium demonstrativum, *ecce*. — *quod dicitur*, ait S. Thomas [1], *primo, propter eminentiam singularem, quia supra mulieres propter virginitatem, unde dicit*: ECCE VIRGO; *secundo, supra virgines propter fecunditatem, unde dicit*: CONCIPIET; *tertio, supra angelos omnes propter fructus dignitatem, unde dicit*: PARITER FILIUM.

7. — Confirmatur autem sensus iste oraculi Isaiae, — I. interpretatione authentica quam habet S. Matthaeus qui, postquam Angeli nuntium ad sanctum Ioseph retulisset [2], mox addit [3]: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem*: ECCE VIRGO IN UTERO HABEBIT ET PARIET FILIUM, etc. Sed et angelus annuntians Beatissimae Virgini quod in ipsa perficiendum erat, evidenter alludebat ad Isaiae vaticinium [4]: *Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum*. ita ut eadem Beata Virgo, cui notissimae erant divinae Scripturae, post angeli declarationem de Spiritu Sancto in se superventuro, facili negotio intelligere potuerit seipsam fore illammet Virginem puellam, עַלְמָה. ab Isaia olim praenuntiatam, quae Deum erat paritura [5].

II. Eiusdem quoque veritatis aperta confirmatio ex pluri-

[1] COMMENT. IN h. l. ISAIAE. — [2] C. I, 20, 21. — [3] Vers. 22, 23. — [4] LUC., I, 31. — [5] Superius (p. 51) solvimus difficultatem ex verbis ipsius Mariae depromptam: *Quomodo fiet istud*, etc., quibus videretur inferendum eamdem nomen hoc *virgo* non intellexisse de puella innupta, secus non adduxisset ipsum suum virginalem statum tanquam obstaculum adimpletioni annuntiationis: nimirum, licet hoc nomen, Scripturae usu, certo significet puellam innuptam, haec tamen significatio non adeo clara ex ipsamet Scriptura veteris Testament eruitur, ut necessario Beata Virgo credere debuerit, ante Angeli explicationem, Matrem Messiae futuram esse virginem: aliud enim est hanc significationem in illo nomine reapse contineri, aliud vero hanc significationem liquido tunc vel ab ipsa futura Deipara cognitam fuisse: cum nonnisi temporis decursu plenam illa Scripturarum intelligentiam acceptura esset.

bus aliis Novi Testamenti locis ita facile eruitur, ut nonnisi sophismatum ope eludi queat. Revera, apud S. Matthaeum legimus [1]: *Maria... inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*, et rursus [2]: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Pariter, apud Lucam scribitur [3]: *Missus est angelus Gabriel... ad Virginem... Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, — quae verba non solum veritatem catholicam de virginali Mariae partu scripturaliter fundant, verum etiam traditionali interpretationi de vaticinio Isaiae singulare robur adiiciunt, quatenus illius adimpletionem indubitanter ostendunt.

8. — Corollarium. — Quocirca reiicienda est, tanquam prorsus improbabilis, illa quorumdam explicatio, qua evincere conantur, sub nomine עַלְמָה designari aut ipsam Isaiae sponsam, aut uxorem Achaz: neutra enim virgo erat, neutra Emmanuelis mater extitura. — Multo minus עַלְמָה designat virginem quamdam imaginariam ibi introductam per modum hypothesis, eo scilicet sensu quod, si quidem puella quaedam tunc concepisset, filius eius vocari potuisset Emmanuel, eo quod brevi intervallo hostes deiiciendi essent: est enim hic sermo de persona singularissima et quidem reali, domui Iudae specialem decorem allatura, et quae suo tempore virgo manens concipiet et pariet. Quae res, tanquam insigne miraculum proponitur in confirmationem praesentis auxilii a Deo praestandi: quod miraculum, licet longe adhuc futurum esset, nonnisi enim post septingentos quinquaginta annos complendum erat, sufficienter tamen visibile iam tunc reddebatur per revelationem a Deo factam, et ita cognoscibile per fidem, ideoque aptum natum ad erigendam spem in domo David: agebatur siquidem de illius futuro adventu qui, utpote Messias a Deo promissus, venturus erat ad salvandum populum suum de manibus inimici.

Quocirca tota Ecclesiae traditio in Virgine paritura ab Isaia praenuntiata constanter agnovit Beatissimam Virginem Mariam quae, Spiritu Sancto operante, *enixa est*

[1] I, 18. — [2] Vers. 20. — [3] I, 26, 27, 34, 35.

puerpera regem, qui caelum terramque tenet per saecula. et quae

Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa est, nec habere sequentem [1].

Unde cum, sub fine saeculi decimi octavi, Isenbiel docuisset prophetiam Isaiae ad Messiam non referri, sive in sensu litterali, sive etiam in sensu spirituali, sed S. Matthaei citationem non esse nisi accommodationem historicam aut simplicem allusionem, Summus Pontifex Pius VI, Brevi *Divina Christi voce*, diei 20 septembris 1779, huiusmodi sententiam proscripsit [2].

9. — Prob. — II. Ex Ecclesiae traditione. — Veritatem de perpetua Beatae Mariae virginitate, ita definivit S. Martinus in Concilio Lateranensi (A. D. 649) [3]: *Sic quis, secundum sanctos Patres, non confitetur proprie et secundum veritatem Dei Genitricem sanctam semperque Virginem et Immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia saecula natus est, in ultimis saeculorum, absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, et incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente et post partum eiusdem virginitate, condemnatus sit.* Eadem veritas passim in aliis Conciliis expressa invenitur, maxime in Ephesina et Chalcedonensi, ubi scilicet de mysterio Incarnationis sermo recurrit [4].

Praeclara sunt S. Ambrosii verba [5]: *Porta igitur Maria*, ait, *per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, et genitalia virginitatis claustra non solvit. Mansit intemeratum septum pudoris, et inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex Virgine, cuius altitudinem mundus sustinere non posset.* Solemniter quoque

[1] Sedulius Coelius, CARMEN PASCHALE, in Gallando, T. IX, p. 153, A. — [2] Vide DICTIONNAIRE DE LA BIBLE, publié par Vigouroux, Paris, 1902, ad articulum *Almah* a Mangenot erudite conscriptum. Cf. S. Thom. COMMENT. IN ISA., in h. l. — [3] Const. V, can. 3, Mansi, t. X, col. 1151, D. — [4] Cf. Denzinger-B., n. 113; 148. — [5] L. DE INSTITUT. VIRG., c. 8, n. 52, t. IV, col. 330.

S. Hieronymus [1]: *Habeant nuptae suum tempus et titulum: mihi virginitas in Maria dedicatur et Christo;* qui praeterea non timet comparare fecunditatem Mariae fecunditati Dei [2]: *Virgo Mater est Domini, simplex, pura, sincera, nullo extrinsecus germine cohaerente, et ad similitudinem Dei unione fecunda.* Huius autem perfectissimae virginitatis Deiparae praemium non dubitat idem Dalmata Doctor summum praedicare cum, recensita castitate coniugatorum et viduarum, asserit [3]: *Beatissima Virgo, quae sine labore ad summum praemium* (potest) *pervenire.* Pariter S. Augustinus [4]: *Ipsa virtus* (Dei) *per inviolatae Matris virginea viscera, membra infantis eduxit, quae postea per clausa ostia membra invenis introduxit.*

Nec ab re erit verba referre incerti cuiusdam auctoris, qui commentans illud Ezechielis [5]: *Porta haec clausa erit et non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam,* sequentia egregie edisserit [6]: *O mirabilis prophetae visio, sed mirabilior prophetiae adimpletio! Quid est,* PORTA IN DOMO DOMINI CLAUSA, *nisi quod Maria Virgo semper erit intacta? Et quid est,* HOMO NON TRANSIET PER EAM, *nisi Ioseph non cognoscet eam? Et quid est,* DOMINUS SOLUS INTRABIT ET EGREDIETUR PER EAM, *nisi Spiritus Sanctus impraegnabit eam, et angelorum Dominus nascetur per eam? Et quid est,* CLAUSA ERIT IN AETERNUM, *nisi quia erit Maria virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum?* Et iterum [7]: *Crevit in eius partu integritas corporis potius quam decrevit, et virginitas ampliata est, potius quam fugata.*

Consonat graecorum Patrum unanimis sententia. Ita S. Gregorius Nyssenus [8]: *A* (Virgine) *deitatis lux, assumpta carne, illuxit hominibus, eamque omni modo incorruptam ser-*

[1] Ep. XXII AD EUSTOCH., n. 18, t. I, col. 101. — [2] Ibid., n. 19, t. I, col. 102. — [3] Comm. in Ep. 1 ad Cor., c. VII. in fine, t. XI, P. III, col. 246. — [4] Ep. CXXXVIII AD VOLUS., c. 2, n. 8, t. II, col. 405. — [5] XLIV, 2. — [6] Sermo CXCV, Append. ad t. V Opp. S. August., col. 324, n. 1; olim XVIII de Sanctis. — [7] Serm. CXIII, Append. ad t. V Opp. S. Aug., col. 224, n. 1; olim XV. de Temp. — [8] In VITA MOYSIS, Paris., 1605, col. 123.

vavit, virginitatis viriditate nullo pacto commutata. Pariter S. Ephrem Syrus ait [1]: *Sola mulier absque viro genuit, nam corruptionis expers erat qui generabatur: virgoque peperit propter eum qui castitatis et puritatis fons erat.* Et S. Epiphanius, commentans illud [2]: *Mulier, ecce Filius tuus,* ait [3]: *Si Maria liberos habuisset, aut superstes vir eius fuisset, cur illam Ioanni, Ioannem illi commendaret? Verum, cur non Petro potius, vel Andreae, vel Matthaeo Bartholomaeove commendat? Nimirum Ioanni propter virginitatem.*

Quapropter concludit Bernardus [4]: *Unum est in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore. Optimam partem elegit sibi Maria, optimam plane; quia bona fecunditas coniugalis, melior autem castitas virginalis: prorsus autem optima est fecunditas virginea, seu fecunda virginitas. Mariae privilegium est, non dabitur alteri, quia non auferetur ab ea.* Quocirca Ecclesia, adversus quoscumque impugnatores virginitatis Deiparae, in illius officio, hanc veritatem solemniter proclamat [5]: *Beata es, Virgo Maria, quae omnium portasti Creatorem; genuisti qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo.* Et rursus [6]: *Post partum, Virgo, inviolata permansisti.*

10. — Prob. — III. Ex figuris. — Huc faciunt insignes illae figurae quibus Patres interdum utuntur ad declarandum istud benedictae Matris privilegium. Interdum enim utuntur exemplo sideris, quod absque sui laesione radium emittit, et cui radius non adimit claritatem, ut significetur quod Deipara, absque sui corruptione, peperit Filium, qui ipsi integritatem non abstulit. Congrua quoque est figura lucis, vitrum absque violatione penetrantis ac pervadentis, ab eoque subtiliter egredientis, immo vitri, quod irradiat, colorem induentis, quo modo Verbum incarnatum, quod erat *splendor gloriae et figura substantiae* Patris [7], Virginis claustra inviolata ingressum est, eaque sua divinitate perfudit,

[1] De Margar. pret. — [2] Io., XIX, 26. — [3] T. II, l. 3. Contra Antidicomarian., haer. LXXVIII, p. 1042. Cf. supra, c. II, a. 3, n. 20. — [4] Serm. IV de Assumpt. Virg., t. II, p. 120, Lugdun., 1679. — [5] 3ᵐ Resp. Ad Matutin. — [6] 9ᵃ Antiph. ad Matutin. — [7] Hebr., I, 3.

ex quibus intactis egressum est, ipsa humana Matris natura indutum. Rursus comparant puritatem Virginis Deiparae puritati speculi, quod nec radiorum cuspide frangitur, nec lucis repercussione maculatur; partum vero illius assimilant fructui maturo ex arbore ultro elabenti, quin vellicari et quasi obstetricari debeat: partus enim virgineus obstetricis manu non indiguit [1].

11. — **Scholion I.** — Virgineus tum conceptus tum partus sunt vera et proprie dicta miracula, imo tanquam talia et habentur ab Ecclesia et a Patribus celebrantur. — Revera, cum ad rationem miraculi, quod secundum vim nominis significat rem admiratione plenam, requiratur ut causa eius sit penitus ignota, et ut sit in re aliquid unde videretur quod aliter esse debuerit [2], profecto ista duo formaliter reperire est in Virginis conceptu et in eius partu: tales enim effectus illi sunt, quorum causa nobis simpliciter est ignota scilicet Deus, cuius essentia et virtus nos latent; sed et est in rebus ipsis aliquid unde videretur quod aliter esse debuerit: scilicet concipientem et parturientem suae virginitatis detrimentum, etiam in statu innocentiae, pati necesse erat.

Quocirca huius rei altitudinem Patres uno ore extollunt. *Homo de Virgine procreatus*, ait S. Augustinus [3]: *potentius fortasse opus est quam mundus*. Pariter S. Ambrosius [4]: *Et utique minus erat homines resurrexisse, quam virginem parturisse*. Similiter Origenes [5]: *Quomodo ista, quae non concubuit cum viro, praegnans est? Debet iste conceptus esse divinus, debet aliquid humana natura esse sublimius*. Sanctus quoque Petrus Damianus ait [6]: *Maria, in solo partu quem edidit, omnium proculdubio sanctorum virtutes ac signa praecellit.*

[1] Cf. P. Alex. M. Planch, Ord. Serv. Mar., Vita Mariae V., p. 127. Eniponte, 1762. — [2] De Pot., Quaest. VI, art. 2, et 2. Dist. XVIII, Quaest. 1, art. 3. — [3] Ep. CXXXVII, ad Volus., c. 4, n. 14, t. II, col. 407. — [4] L. de Institut. Virg., c. 5, t. IV, col. 326, n. 39. — [5] In Luc., Hom. VI; et Migne, t. III, col. 1191. — [6] In Vita sancti Dominici Loricati.

Porro, cum miraculorum alia sint *contra* naturam, alia *praeter* naturam, et alia *supra* naturam, secundum quod subiectum aut habeat dispositionem contrariam ad suscipiendam formam, aut habeat quidem dispositionem ad formam suscipiendam sed in aliis conditionibus, aut denique nullam habeat dispositionem ad istam formam [1], virginalis conceptus et partus Mariae recensendi sunt inter prioris generis miracula, cum in tali subiecto esset dispositio contraria ad formam suscipiendam, conceptio enim aut partus nequeunt secundum naturae cursum compleri absque virginalis claustri reseratione [2].

12. — Scholion II. — Quantum ad partum virgineum, specialiter animadvertendum est, minime probari eorum sententiam qui dicunt Christum per clausa ostia Matris in sua nativitate pertransiisse in vi et virtute dotis subtilitatis, quam dotem illum censent assumpsisse in nativitate, sicut dicunt illum assumpsisse dotem agilitatis quando super mare siccis pedibus ambulavit; unde virgineus partus miraculosus esse desineret, cum non esset contra naturam corporis Christi, sed potius conformis doti seu qualitati permanenter in ipso Christo existenti. — Haec, inquam, sententia minime probatur. Nam imprimis falsum est corpus gloriosum hoc habere ratione subtilitatis, ut possit esse in eodem loco cum alio corpore [3]. Praeterea, notandum est quod dotes corporum gloriosorum proveniunt ex redundantia gloriae animae ad corpus. Ergo quamdiu gloria animae non perducitur naturali cursu usque ad corpus, tamdiu manifestatio dotum huiusmodi inter miracula recensenda est. Atqui Christus, ante passionem, licet gloriam animae, ut comprehensor, habuerit, permittebat tamen carni suae agere et pati quae propria, nec fiebat talis redundantia gloriae naturali cursu ab anima ad corpus; unde quod Christus sit ex illaeso virginis utero egressus, est factum miraculose per virtutem divinam, sicut et quod super aquas ambulaverit. *Moli cor-*

[1] S. Thom., loc. cit., ad 3m. — [2] Vide opus nostrum Del Miracolo, cap. VI, § III, pp. 93, seq. — [3] Supplem., Quaest. LXXXIII, art. 2.

poris, ait S. Augustinus [1], *ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente, virginitas Matris inviolata permansit* [2].

13. — **Prob. 2ª Pars.** — Hisce generaliter explicatis circa Deiparae virginitatem, nunc singillatim aggredimur probationem, rationibus ex sancto Thoma depromptis [3], eorum trium quae in secunda parte propositae theseos continentur. Ubi argumenta rationis tantummodo proferemus: quae enim in Scriptura et Traditione habentur, satis hucusque explicata sunt, et pro unaquaque sequentium propositionum faciunt, dum universaliter concludunt nullum unquam suae virginitatis detrimentum Beatissimam Virginem passam fuisse.

14. — **I.** Imprimis, quod **Deipara fuerit virgo in concipiendo**, quatuor potissime suadent rationes desumptae — *prima* ex parte Patris mittentis, *altera* ex parte Filii missi; *tertia* ex parte humanitatis Christi, *quarta* demum ex parte finis Incarnationis.

Primo. Fide docemur Christum esse verum ac naturalem Dei Filium, ita ut primae personae proprietas et veluti dignitas sit esse Patrem. At non conveniebat ut ista dignitas et proprietas per respectum ad Christum alicui communicaretur, sicut contigisset, si Christus ex non virgine conceptus patrem in terris habuisset.

Secundo. Filii, seu secundae personae quae mittitur, proprietas est ut sit Verbum Dei. Atqui verbum absque omni corruptione cordis ita concipitur, ut e contra cordis corruptio perfecti verbi conceptionem non patiatur. Ergo non fuit conveniens ut illa caro, quae sic fuit a Verbo Dei assumpta, ut esset vere et proprie caro Verbi Dei, cum corruptione Matris conciperetur.

Tertio. Christus per suam humanitatem peccatum mundi tollere volebat: ergo non fuit conveniens ut illa humanitas

[1] Tract. CXXI sup. Io., t. III, par. II, col. 808, n. 4. — [2] Cf. 3, Quaest. XXVIII, art. 2, ad 3m. — [3] Ibid., art. 1, 2, 3.

peccato inficeretur. Atqui caro quae in natura corrupta ex concubitu nascitur, lege naturae debito peccati originalis tenetur; unde de matrimonio Mariae et Ioseph dicit S. Augustinus [1]: *Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis pudenda concupiscentia quae accidit ex peccato, sine qua concipi voluit qui futurus erat sine peccato.*

Quarto. Finis Incarnationis fuit ut homines renascerentur in filios Dei, non ex voluntate carnis aut viri, sed ex Deo, id est ex Dei virtute, cuius rei exemplar apparere debuit in ipsa Christi conceptione, unde idem S. Augustinus ait [2]: *Oportebat caput nostrum propter insigne miraculum secundum carnem nasci de Virgine, quo significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura* [3].

15. — Difficultates. — Christus in Evangelio patrem habere dicitur [4]: *Erat pater eius et mater mirantes super his quae dicebantur de illo*: et iterum Mater eius dicit [5]: *Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.* Ergo Christus non est conceptus ex Virgine Matre.

Resp. Duplex patet huic difficultati responsio: prima, ut dicatur S. Ioseph patrem Iesu nominari, non secundum rei veritatem, sed secundum vulgi aestimationem, Deo sic disponente ad conservandam Mariae famam. Ita Ven. Beda, qui ait [6]: *Pater Salvatoris appellatur Ioseph, non quod vere iuxta photinianos pater fuerit ei, sed quod ad famam Mariae conservandam, pater sit ab omnibus aestimatus.* — Alia responsio est quam tradit S. Augustinus, scilicet sanctum Ioseph ideo dici patrem Christi, quia Mariae, Christi Matris, vir existebat. *Neque enim*, ait [7], *propterea non erat appellandus Ioseph pater Christi, quia non cum concumbendo genuerat, quandoquidem recte pater esset etiam eius, quem non ex sua coniuge procreatum aliunde adoptasset...* Qui etiam addit: *Unde*

[1] L. I DE NUPTIIS ET CONCUP., c. 12, n. 13, t. X, col. 287. — [2] L. DE SANCTA VIRGINITATE, c. 6, t. VI, col. 343. — [3] Cf. 3, Quaest. XXVIII, art. 1. — [4] LUC., II, 33. — [5] IBID., 48. — [6] SUPER LUCAM, lib. I, c. 7. — [7] L. II DE CONSENSU EVANGELIST., c. 1, nn. 2, 3, t. III, col. 27, 28.

eum patrem eius appellat (Lucas), *nisi quia et virum Mariae recte intelligimus sine commixtione carnis, ipsa copulatione coniugii; et ob hoc etiam Christi patrem multo coniunctius, qui ex eius coniuge natus sit, quam si esset aliunde adoptatus* [1]?

INSTABIS. — In Evangeliis Matthaei [2] et Lucae [3], Christus probatur fuisse filius Abrahae et David per hoc quod Ioseph ex David descenderit, quod profecto supponit sanctum Ioseph Christi patrem secundum carnem exstitisse, ideoque Matrem eius non fuisse virginem in concipiendo.

Respondet S. Hieronymus [4], *non esse consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur: deinde ex una tribu fuisse Ioseph et Mariam; unde ex lege eam accipere cogebatur ut propinquam;* insuper, ut S. Augustinus dicit [5], *series generationum... usque ad Ioseph, potius sicut factum est, fuerat perducenda, ne in illo coniugio virili sexui, utique potiori, fieret iniuria, cum veritati nihil periret, quia ex semine David... et Ioseph erat et Maria* [6].

DICES. — Maria in divinis Scripturis *mulier* vocatur, sicut in hoc loco [7]: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Atqui consueto modo loquendi mulier dicitur quae est a viro cognita. Ergo Christus non fuit conceptus ex Virgine Matre.

Responsionem praebet S. Augustinus [8]: *Mulierem scilicet, more locutionis hebraicae, feminam appellans; usus enim hebraeae locutionis mulieres dicit non virginitate corruptas, sed feminas* [9]. Qui etiam ait [10]: *Prima femina quam fecit Deus sumptam de latere viri, antequam cum viro concumberet, quod posteaquam de paradiso exierunt scribitur factum, tamen mulier iam vocabatur, dicente Scriptura* [11]: FORMAVIT EAM IN MULIEREM.

[1] 3. Quaest. XXVIII, art. 1, ad 1[m]. — [2] Cap. I. — [3] Cap. III. — [4] SUP. MATTH., c. I, super illud: *Christi autem generatio sic erat*, v. 18, t. VII, P. I, col. 12. — [5] L. I DE NUPTIIS ET CONCUPISC., c. 11, t. X, col. 287. — [6] Cf. S. Thom., l. c., ad 2[m]. — [7] GAL., IV, 4. — [8] L. XXIII CONTRA FAUSTUM, c. 7, t. VIII, col. 425. — [9] Cf. 3. Quaest. XXVIII, art. 1, ad 3[m]. — [10] Sermo VI de Concord. Matth. et Luc., c. XI, n. 18, t. V, col. 292. — [11] Gen., II, 22.

16. - **II. Matrem Dei fuisse virginem in partu,** quod in quodam Ephesini Concilii sermone ita exprimitur [1]: *Natura post partum nescit ulterius virginem, gratia vero et parientem ostendit et matrem fecit, et virginitati non nocuit,* — ex triplici potissimum ratione evincitur, quarum *prima* ex proprietate Verbi, *altera* ex effectu Incarnationis, *tertia* ex honore Matri Dei debito deducitur.

Primo. Cum verbum non solum in corde absque corruptione concipiatur, sed etiam absque corruptione ex corde procedat, ut ostenderetur quod ille qui nascebatur erat ipsummet Verbum Dei, conveniens fuit ut de incorrupto virginis utero nasceretur; unde in citato Concilii Ephesini sermone legitur [2]: *Quae parit carnem puram a virginitate cessat; sed quia natum est in carne Verbum Dei, custodit virginitatem, seipsum per hoc ostendens Verbum; neque enim nostrum verbum, cum paritur, corrumpit mentem, neque Deus Verbum substantiale partum eligens, peremit virginitatem.* — Huc reduci potest quod legitur in Concilio Toletano XI [3]: *Partus* (Virginis) *nec ratione colligitur, nec exemplo monstratur. Quod si ratione colligitur, non potest esse mirabile, si exemplo, non erit singulare.*

Secundo. Ad hoc venit Christus, ut nostram corruptionem tolleret, unde conveniens non fuit ut virginitatem Matris nascendo corrumperet. Quocirca pius quidam auctor ait [4]: *Fas enim erat, ut Domino ex Virgine secundum carnem nascente, meritum cresceret castitatis, ne per eius adventum violarentur integra, qui veniebat sanare corrupta.* Praeterea, ita volebat Christus sui corporis veritatem demonstrare, quod etiam eius divinitas declararetur; unde permiscuit mira humilibus; et ideo, ut corpus eius verum ostenderetur, natus est ex femina: ut autem ostenderetur eius divinitas, natus est ex virgine: *talis* enim *decet partus Deum*, ut S. Ambrosius dicit [5].

[1] Sc. Theodori Ancyrani, Conc., part. III, c. 9. — [2] L. cit. — [3] Mansi, t. XI, col. 135. — [4] Serm., CXXI, in Nat. Dom., V. Inter Opp. S. August., App. ad t. V, col. 222. — [5] In Hymno Nativ., qui est 5 (alias 24), nec est nunc in usu, t. V, col. 670. Cr. S. Thomas, ibid., art. 2, ad 2m.

Tertio. Cum Christus parentes praeceperit honorari, conveniens fuit ut nascendo Matris suae honorem non diminueret, immo augeret, creato novo super terram, videlicet muliere, quae contra legem naturae, perfecte conservata carnis integritate, hominem perfectum paritura erat [1].

17. — Difficultas. — Adapertio vulvae virginitatem excludit. Atqui, fatente S. Ambrosio, Christus nascens Matris vulvam aperuit, ait enim [2]: *Qui vulvam sanctificavit alienam ut nasceretur propheta, hic est qui aperuit matri suae vulvam ut immaculatus exiret.* Ergo Mater Christi non fuit virgo in partu.

Resp. Illa adapertio non significat reserationem communem claustri pudoris virginei, sed solum exitum prolis de utero matris: aliunde illud Evangelistae [3]: *Omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur*, ad quod exponendum S. Ambrosius verba superius relata scribebat, intelligendum est de nativitate quae fit consueto more, *non quod Dominus sacri ventris hospitium, quod ingressus sanctificarat, egressus devirginasse credendus sit*, ut Ven. Beda dicit [4].

18. — Corollarium. — Quocirca quod Beatissima Virgo legi purificationis se subiecerit, non fuit ut se ab aliqua immunditia sive animae sive corporis purgaret, sed tantummodo ad adimplendum legis praeceptum, cui tamen obnoxia non tenebatur. Nam, sicut Christus, licet non esset legi obnoxius, voluit tamen circumcisionem et alia legis onera subire, ad humilitatis et obedientiae exempla praebenda, necnon ut ostenderet se legem probare, et ut tolleret Iudaeis calumniae occasionem; ita Beata eius Mater, in quam plenitudo gratiae a Christo derivabatur, ut Filio conformaretur, legis praecepto propter allatas rationes se subiecit; unde signanter Evangelista dicit [5] quod *impleti sunt dies purga-*

[1] Quomodo integritas corporalis, quae sola hic attenditur, per accidens se habeat in virginitate, dilucide exponit Angelicus Doctor, in 2 2ae, Quaest. CLII, art. 1. — [2] Exposit. super illud Luc., *Omne masculinum*, l. II, t. II, col. 56. — [3] Luc., II, 23. — [4] L. I in Luc., c. 6. Cf. 3, Quaest. XXVIII, art. 2, ad 1m. — [5] Luc., II, 22.

tionis eius secundum legem Moysi. — Quod autem Maria purgatione non indigeret, constat, non enim pepererat suscepto semine; lex autem haec erat [1]: *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus.* Ubi ly *semen*, non, sicut saepe habetur in Scripturis, *prolem* significat, sed proprie *sperma*, ut est in textu hebraico, et ut exigit contextus: ponitur enim semen causa contractae immunditiae et purificationis subeundae [2]. Unde S. Bernardus ait [3]: *Lex ista Matrem Domini non includit, quae non suscepto semine Filium peperit.* Pariter, Guerricus Abbas [4]: *Beata Virgo* (purgationis legem) *non ex necessitate, sed ex humilitate implerit. Abstinuit ab introitu templi quadraginta diebus, non necesse habens purgari, quae sine omni delectatione, salvo virginitatis sigillo, de Spiritu Sancto concepit.*

19. — III. Quod Deipara debuerit permanere virgo post partum, quadruplex ratio evincit, desumpta — *prima*, ex Christi perfectione; *secunda*, ex dignitate Spiritus Sancti: *tertia*, ex sanctitate ipsius Deiparae; *quarta*, ex sanctitate Ioseph eius sponsi.

Primo. Cum, secundum divinam naturam, Christus sit unigenitus Patris, utpote qui generatur perfectus Filius eius per omnia, decuit ut etiam unigenitus Matris, tanquam perfectissimum germen eius, existeret; ideoque eius perfectioni derogaretur, si alios filios Maria genuisset. Unde Christus proprie dicitur unigenitus Matris, sicut dicitur unigenitus Patris; licet etiam dicatur primogenitus Matris [1], more Scripturarum, quae primogenitum vocant non modo eum quem fratres sequuntur, sed etiam cum qui primus natus sit, sive alii sequantur, sive non.

Secundo. Error dicentium Deiparam post partum divinitus acceptum, fuisse a Ioseph cognitam atque alios filios procreasse, iniuriam facit Spiritui Sancto, cuius sacrarium fuit Virginis uterus, in quo ille carnem Christi formavit. Nimirum, minime decebat quod Virgo a Deo tam singulariter honorata de caetero violaretur per commixtionem virilem.

[1] Levit., XII, 2. — [2] Cf. 3, Quaest. XXXVII, art. 4. — [3] Sermo III, *In Purificatione B. M.*, t. II, p. 50. — [4] Sermo V de Purificatione B. M., inter Opp. S. Bern., t. VI. p. 26. — Matth., 1, 25.

Tertio. Talis blasphemia derogat etiam dignitati et sanctitati Matris Dei, quae profecto ingratissimam se prodidisset, si tanto Filio contenta non fuisset, et si virginitatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, per carnis concubitum, sponte perdere consensisset.

Quarto denique, esset ipsi sancto Ioseph maximae praesumptioni vertendum, si polluere attentasset eam quam, angelo revelante, cognoverat concepisse Deum de Spiritu Sancto [1].

Quocirca concludit S. Augustinus [2]: (A Maria) *coepit dignitas virginum. Illa femina mater esse potuit, mulier esse non potuit*; et S. Hieronymus [3]: *Quando natus est* (Iesus), *virgo permansit aeterna, ad confundendos eos qui arbitrantur eam, post nativitatem Salvatoris habuisse de Ioseph filios.*

20. — Difficultates ordine exponit et abundantissime solvit S. Thomas [4], quem hic pedetentim prosequemur.

I. — Apud S. Matthaeum dicitur [5]: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto:* ergo postea convenerunt, non enim dicitur de aliquo non praesuro: antequam praenderet.

Helvidio, qui hanc difficultatem urgebat, respondet S. Hieronymus [6], hoc ita intelligendum esse quod praepositio ANTE, *licet saepe consequentiam indicet, tamen nonnunquam ea tantum quae prius cogitabantur, ostendat. Unde nec necesse sit ut cogitata fiant, cum aliud ideo intervenerit, ne ea quae cogitata sunt fierent.* Cuius rei exemplum idem Hieronymus antea attulerat: *Quasi si quis dixerit: antequam in portu prandierem, ad Africam navigavi, non possit stare sententia, nisi ei in portu prandendum quandoque sit. Aut si velimus dicere: Paulus Apostolus antequam ad Hispanias pergeret, Romae in vincula coniectus est. Aut certe illud: Helvidius antequam poenitentiam ageret, morte praeventus est,-statim aut Paulo post vincula ad Hispanias sit eundum, aut Helvidio poenitentia agenda post mortem, cum Scriptura dicat:* IN

[1] 3, Quaest. XXVIII, art. 3. — [2] Tract. X in Io., n. 2, Opp., t. III, P. II, col. 368. — [3] L. XIII in Ezech., in c. XIV. — [4] IBID. — [5] I, 18. — [6] L. CONTRA HELVIDIUM, c. 1, n. 4, t. II, P. I, col. 207, 208.

INFERNO AUTEM QUIS CONFITEBITUR TIBI? Sic igitur verba allata non significant quod postea convenerint Maria et Ioseph; sed quia, cum in aestimatione hominum conventuri viderentur, praevenit conceptio per Spirtum Sanctum, ex quo factum est ut minime convenirent [1].

II. — Apud eumdem Matthaeum angelus loquens ad Ioseph, dicit [2]: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam;* atqui coniugium consummatur per copulam carnalem. Et iterum subditur [3]: *Et accepit coniugem suam;* et: *Non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum.* Atqui adverbium *donec* consuevit signare determinatum tempus, quo impleto, fit illud quod usque ad illud tempus non fiebat. Ergo Deipara non remansit virgo post partum.

Resp. Ad *primum.* valet illud S. Augustini [4]: *Coniux* (Ioseph) *vocatur* (Mater Dei) *ex prima fide desponsationis, quam concubitu non cognoverat, nec fuerat cogniturus;* nam, ut S. Ambroius dicit [5], *non virginitatis ereptio, sed coniugii testificatio nuptiarum celebratio declaratur.*

Ad *secundum* autem datur triplex responsio. *Prima* est, ut verbum illud: *non cognoscebat,* intelligatur de cognitione notitiae: quo in sensu ait S. Chrysostomus [6] quod *non cognovit eam Ioseph, antequam pararet, cuius fuerit dignitatis; sed postquam peperit, tunc cognovit eam, quia per ipsius prolem speciosior et dignior facta fuerat quam totus mundus, quia quem totus mundus capere non poterat, in angusto cubiculo uteri sui sola suscepit.*

Altera interpretatio est eorum qui volunt verbum illud referri ad notitiam visus: ut sicut Moysis cum Deo colloquentis glorificata est facies, ita ut intendere in eum filii Israel non possent, sic Maria, claritate virtutis Altissimi obumbrata, cognosci non potuerit a Ioseph, donec pareret; post partum autem a Ioseph agnita fuit specie faciei, non libidinis tactu [7].

Tertia est ut concedatur verbum illud intelligi quidem

[1] 3, Quaest. XXVIII, art. 3, ad 1m. — [2] I, 20. — [3] 3, IBID., 24, 25. — [4] L. DE NUPT. ET CONCUP., c. 11, t. X, col. 286. — [5] Exposit. sup. illud LUC., c. I: *Et nomen Virginis Maria.* l. II, t. III, col. 36. — [6] Hom. I IN OP. IMPERF. — [7] Cf. S. Epiphan., HAERES. LXXVIII.

de cognitione coitus, eo sensu quo dicitur [1]: *Adam vero cognovit uxorem suam Hevam*, sic tamen ut particula *donec* sumatur non ad designandum certum tempus seu terminative, sicut quando dicitur [2]: *Propter transgressiones posita est* (lex), *donec veniret semen cui promiserat*, sed ad signandum tempus infinitum, seu ut sumatur indefinite, quo sensu dicitur [3]: *Noe... dimisit corvum qui egrediebatur, et non revertebatur, donec siccarentur aquae super terram*, et [4]: *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri*. Unde, sicut corvus de facto nunquam reversus est, et similiter post impetratam misericordiam oculi nostri non avertuntur a Deo, ita, post partum, Ioseph non cognovit uxorem suam, quemadmodum etiam ante partum illam non cognoverat, ut sic significentur ea de quibus dubitari posset si scripta non fuissent, cetera vero nostrae intelligentiae relinquantur: dubitari enim posset Mariam parturientem a viro praecognitam fuisse, ut naturae lex exigebat [5].

Quid de iis quos sub nomine fratrum Domini Scriptura passim commemorat, sit tenendum, in speciali tractatu, quem de sancto Ioseph inscripsimus [6], fuse declaratur [7].

Articulus II. — *Utrum Beata Virgo votum virginitatis emiserit.*

1. — Ratio articuli. Haud satis fuisset, ad gloriam Deiparae adstruendam, ostendisse eam corporis integritatem perpetuo servasse, nisi illud etiam in ea agnosceretur quod ad animi virtutem pertinet: sicut enim potest, violato corpore, virginitas integra permanere et quodammodo ad coronam duplicari [8], ita etiam sola corporalis incorruptio haud sufficit ut quis virginitatis merita possideat. Quapro-

[1] Gen., IV, 1. — [2] Gal., III, 19. — [3] Gen., VIII, 6, 7. — [4] Ps. CXXII, 2. — [5] 3. Quaest. XXVIII, art. 3, ad 2um et 3um. — [6] P. II, 7. — [7] Circa perpetuam virginitatem Deiparae, vide Iul. Ant. Roboredo, Ord. Serv. B. M. V. Dissertationes, etc. Florentiae, 1715, pp. 290, seq. — [8] In off. S. Luciae, 13 Dec., lect. 6.

pter de eo nunc inquirendum venit, quod ad animi dispositionem in Beata Virgine spectat relate ad illius virginitatem: ubi non solum ostendendum erit, Deiparam possedisse id quod virtutis est, verum etiam, quod maius est, eamdem virginitatis servandae propositum voto irrevocabili obfirmasse.

2. — Solvitur tacita obiectio. — Ubi tamen statim subit dubitatio ex eo mota, quod, cum Beata Virgo peccati fomitem non habuerit, immo in innocentiae statu constituta fuerit, in quo homo viribus sensitivis perfecte dominabatur [1], et vis concupiscibilis non immoderate se effundebat supra delectiones sensibiles, sed naturaliter continebatur intra ordinem et mensuram rationis, — ideo non apparet quare Deipara propositum elicere debuerit abstinendi ab omni carnali commercio: eo vel magis quod, ut Angelicus dicit [2], *continentia in statu innocentiae non fuisset laudabilis, quae in tempore isto laudatur, non propter defectum fecunditatis, sed propter remotionem inordinatae libidinis; tunc autem fuisset fecunditas absque libidine.*

Ad quod solvendum, imprimis quod ad Christum spectat, advertendum est illum culpam originalem contrahere debuisse, si ex carnali commercio genitus fuisset. Quod autem Beatam Virginem attinet, licet omni prorsus originalis culpae labe caruerit, non fuit tamen simpliciter et quantum ad omnia in statu originalis iustitiae. Si enim filios procreasset, hi fuissent infecti originali peccato, et consequenter miseriis huius vitae obnoxii: unde specialis Mariae cura incubuisset, tum quantum ad moralem eorumdem educationem, tum etiam quantum ad eorum victum et vestitum procuranda, quae omnia eam impedissent ne toto mentis conatu rebus divinis vacaret [3].

At praeterea dici etiam debet virginitatem non modo in praesenti statu, verum etiam in statu innocentiae virtutem fuisse: siquidem in illo quoque statu poterat homo

[1] 1, Quaest. XCVI, art. 2. — [2] Ibid., Quaest. XCVIII, art. 2, ad 3[m]. — [3] Cf. tr. DE PRIMA HOMINIS FORMATIONE, Quaest. XCVIII, art. 2, n. 7, p. 250.

laudabiliter abstinere ab omni venerea delectatione, propter maius divinae contemplationis bonum. Esto enim quod delectatio, quam in actu concumbendi expertus esset in illo statu, immoderata haud fuisset, ideoque de se rationem non obtenebrasset, sicut nunc obtenebrare solet, maiori tamen facilitate mens Deo adhaesisset maiorique caritatis aestu illum dilexisset, quae illius amore ab omni prorsus carnis delectatione fuisset expedita. Licet enim id quod dictum est [1]: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam*, ad hominem originali peccato infectum proprie pertineat, ea tamen est hominis naturalis conditio, ut dum uni rei intendit, alteri minus dispositus inveniatur. Unde etiam in statu innocentiae fuissent diversi meriti gradus [2], ex eo provenientes quod aliqui non solum rebus aliunde licitis Dei causa valedixissent, sed etiam ferventiori mentis aestu Deo inhaesissent [3].

Quod autem ad S. Thomam pertinet, dicendum est illum minime negare in statu innocentiae futuram fuisse virginitatem: sed, hypothesi facta quod in illo statu homines, iuxta divinae Providentiae ordinationem, generationi, ad praedestinatorum numerum complendum, vacassent, eorum continentiam eatenus negat laudabilem extituram fuisse, quatenus quis illam consideret tanquam concupiscentiae compescendae gratia susceptam: deficiente enim pravo libidinis motu, praedicta continentia solam infecunditatem de se induxisset; quod si Deus aliter ordinasset, virginitatem homo laudabiliter observasset, non solum propter Dei voluntatem, sed etiam propter intrinsecum huius virtutis bonum, ut scilicet hac voluptate libere se propter Deum abdicando, perfectius divinis rebus vacare potuisset.

3. — PROP. I. — **Deipara votum virginitatis emisit.**

4. — **Prob.** — I. Ex **auctoritate S. Scripturae,** scilicet ex verbis quibus Deipara angelo nuntianti quod Christum con-

[1] Sap., IX, 15. — [2] Cf. modo cit. tr., Quaest. XCVI, art. 3, p. 213. — [3] Huc revocari debet bonum caelibatus catholici, in quo magna Ecclesiae catholicae laus sita est, et quod utique dici potest auspicium habuisse in sanctis coniugibus Maria et Ioseph.

ciperet et pareret, fidens respondit [1]: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ex quibus verbis ita arguere licet: Maria hic obstaculum proponebat quominus angeli propositioni obtemperaret, quod obstaculum profecto oriri non poterat sive ex mero facto eousque servatae, sive ex simplici proposito in futurum servandae virginitatis: non enim prohibetur virgo virum ducere et ex eo prolem suscipere; aliunde Dei beneplacitum angeli voce manifestatum simplici et nudo Mariae proposito erat profecto praeferendum. Ergo obstaculum illud oriri debuit ex tali proposito, cuius violatio fidelitati Deo debitae repugnabat.

Praeterea, ex iisdem verbis ita arguere licet: Beata Virgo, contra angeli propositum, allegare haud potuit impotentiam α) *naturalem*, qualis nempe ante pubertatis annos in omni muliere reperitur, cum nubilis tunc fuisse rite censeatur, aut β) *legalem*, nulla enim lege vetabatur quin virum in matrimonio cognosceret: ergo non aliam impotentiam adduxisse dicenda est, nisi γ) quae *ex voti religione* oriatur [2]. — Notandum vero, id quod dicitur: *Virum non cognosco*, more Hebraeorum dictum fuisse, praesens aut melius praeteritum tempus pro futuro tempore usurpantium, quemadmodum et Pharao Israelitis dicebat [3]: *Non do vobis paleas*: secus verba Beatae Virginis, ut sonant, angeli proposito impedimento non fuissent: nam quae modo virum non cognoscebat, in futurum utique cognoscere poterat [4].

5. — II. Ex Patribus. - Quocirca sancti Patres ex huiusmodi verbis eruunt Beatam Virginem votum virginitatis emisisse. Sic S. Augustinus [5]: *Hoc indicant verba, quod sibi fetum annuntianti angelo Maria reddidit*: QUOMODO, *inquit*, FIET ISTUD, QUONIAM VIRUM NON COGNOSCO? *Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset.* Similiter S. Gre-

[1] Luc., I, 34. — [2] Vide Maldonat., in praef. loc. Lucae. — [3] Exod., V, 10. — [4] Cf. Bardenhewer, Zur Geschichte der Auslegung der Worte: *Wie soll dies geschehen, da ich keinen Mann erkenne?* Compte-rendu du 4me Congrès scientifique internat. des catholiques tenu à Fribourg. 2me Sect. Sciences exégétiques, p. 13, seq. — [5] Lib. de sancta Virginitate, c. 4, t. VI, col. 342.

gorius Nyssenus dicit [1]: *Quoniam, Deo dicatam et consecratam carnem, veluti sanctum quoddam donarium, intactam servari oportebat, propterea, etiamsi angelus sis, inquit, ac de caelo veneris, etiamsi supra hominem sit id quod apparet, attamen ut virum cognoscam, fieri non potest. Quî mater ero absque viro? Iosephum enim sponsum quidem novi, virum autem non cognosco.* Egregie pariter S. Bernardus [2]: QUOMODO FIET ISTUD QUONIAM VIRUM NON COGNOSCO? *Immobile propositum virginitatis, quod nec angelo filium promittente aliquatenus titubavit. Quomodo, inquit, fiet istud? Neque enim eo modo quo fieri solet in caeteris: virum penitus non cognosco, nec filii desiderio, nec spe prolis.*

Quocirca scite conludit doctissimus Benedictus XIV [3]; *Nulli profecto dubium esse potest, quin Maria Virgo vovorit virginitatem. Cum monita fuerit ab angelo, filium se parituram, respondit:* QUOMODO FIET ISTUD, QUONIAM VIRUM NON COGNOSCO? *Quae quidem responsio abunde probat eam perpetuae virginitatis votum fecisse.*

6. — III. Ex rat. theol. — Nec deest ratio theologica, qua haec veritas suadeatur, quae sic in forma potest proponi. — Perfectionis opera sunt magis laudabilia magisque meritoria, si ex voto celebrentur. Atqui virginitas Matris Dei excellentissima esse debuit. Ergo Mater Dei virginitatem ex emisso voto consecratam coluit [4].

Maior ex triplici capite evincitur. *Primo*, quia id quod fit ex voto, fit ex virtute religionis, quae omnium virtutum moralium praestantissima est; opus autem ex praestantiori virtute procedens laudabilius et magis meritorium est, quam opus quod ex inferiori virtute procedit. *Secundo*, quia per votum, homo semetipsum Deo magis offert eique magis se subiicit, cum non tantum fructum, sed etiam arborem det Deo, ut advertit S. Anselmus [5]; atqui profecto maiori laude maiorique merito dignus est qui Deo se magis offert et subii-

[1] Oratio in diem Nativ. CHRISTI, Opp., col. 688. — [2] Serm. IV DE ASSUMPT. B. M. V., t. II, p. 120. — [3] DE FESTIS B. M. V., cap. I, n. 8. — [4] Cf. 3, Quaest. XXVIII, art. 4. — [5] Lib. DE SIMILIT., cap. 84, t. III, p. 170.

cit. *Tertio*, quia votum hominem ab inconstantia praeservat, eumque magis immobilem reddit in bono complendo. Atqui, sicut peccare ex voluntate in malo obstinata peccatum aggravat, ita facere bonum ex voluntate in bono firmata perfectioris virtutis est, maiorisque meriti causa. — *Minor* ex duplici ratione ostenditur: *primo*, quia Beata Virgo non solum futura erat Verbi habitaculum, sed etiam quia ipsi materiam sui sanguinis ministrare debebat; *secundo*, quia eius virginitas aliis hominibus tanquam virginitatis exemplar erat proponenda [1].

7. — Refelluntur falsae sententiae. — Quae cum ita sint, minime subscribendum iis esse ducimus, qui dicunt Beatam Virginem ea de causa virginitatis votum emisisse, ut coaevorum suorum altam de se opinionem destrueret, sentientium illam, quam tot virtutibus ornatam videbant, promissi Messiae Matrem exstituram fore. Tanta enim erat Mariae humilitas, et tam intus in anima defixa virtus, ut nihil cogat dicere ad illam concives suos specialiter advertisse; quod etiam si fecissent, haud sufficiens haec ratio fuisset tam excellentis operis. Aliunde, ex cognita Isaiae prophetia, suspicio saltem quorumdam mentibus subire poterat Messiae Matrem futuram esse virginem.

Nec magis probanda videtur eorum sententia qui, cum Salmeron [2], contendunt Deiparam virginitatem vovisse, ut Matris Messiae ancilla et pedissequa liberior existeret: ut quid enim nuptias postea contraxerit?

Igitur ab exposita doctrina recedendum non est, videlicet Beatam Virginem ideo virginitatis voto se obstrinxisse, ut potioris laudis, maiorisque meriti opus perficeret. In quo profecto et eius superexcellens scientia commendatur, cum tantum opus nonnisi intus docente et afflante Spiritu Sancto praestare potuerit. *O virgo prudens, o virgo devota*, exclamat S. Bernardus [3], *quis te docuit Deo placere virginitatem? Quae lex, quae institia, quae pagina Veteris Testa-*

[1] Cf. C. Bonav., 4 Sent., Dist. XXX, Quaest. II, t. IV, p. 709. — [2] Tract. VII sup. illud: *Quomodo fiet istud?* — [3] Hom. III super *Missus est*, t. II, p. 15.

menti vel praecipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere, et in terris angelicam ducere vitam? Ubi legeras, Beata Virgo, SAPIENTIA CARNIS MORS EST [1]; *et,* CURAM CARNIS NE PERFECERITIS IN DESIDERIO [2]? *Ubi legeras:* DE VIRGINIBUS... PRAECEPTUM DOMINI NON HABEO, CONSILIUM AUTEM DO [3]? *Tu vero, non dicam praeceptum, sed nec consilium, nec exemplum, nisi quod unctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei vivus et efficax, ante tibi factus est magister quam Filius: prius instruxerit mentem, quam induerit carnem.*

8. — PROP. II. — **Beatissima Virgo votum virginitatis prima omnium, α) et tempore, et β) perfectione nuncupavit.**

Cum iam compertum habeamus Beatam Virginem votum emisisse virginitatis, non inutile ducimus et hanc propositionem adiicere, ut, cum noverimus plures homines in virginitate servanda Beatam Virginem tempore praecessisse, haec tamen ostendatur in huius virtutis voto nuncupando nulli secundam exstitisse, sive tempore, sive excellentia.

9. — **Prob. 1ª pars. — I. Auctoritate.** — Et prima quidem pars communiter a sanctis Doctoribus defenditur, quam sic exponit Bernardus [4]: *Propositum virginitatis, et ipsius quoque propositi novitas virginitatem carnis* (in Maria) *illustrat quod videlicet in libertate Spiritus, legis mosaicae decreta transcendens, illibatam Deo corporis et spiritus sanctimoniam vovit.* Idipsum iamdiu S. Hieronymus edixerat, his verbis [5]: *Habeant nuptae suum tempus et titulum: mihi virginitas in Maria dedicatur et Christo*; et alibi [6]: *Christus Virgo, Virgo Maria utrique sexui virginitatis dedicavere principia.* Eamdem quoque sententiam tradit S. Ildephonsus [7]: *Sicut de altera Maria dictum est:* ISTA OPTIMAM PARTEM ELEGIT, *quia prima omnium feminarum virginitatem obtulit, et idcirco promeruit ut Dei Filius, angelo nuntiante, ex ea corpus nostrae redem-*

[1] ROM., VIII, 7. — [2] IBID., XIII, 14. — [3] COR., VII, 25. — [4] SERM. DE VIRG., in haec Apoc. verba: *Signum magnum apparuit in caelo*, t. II, p. 125. — [5] EP. XXII AD EUSTOCH., n. 18, t. I, col. 101. — EP. XLVIII (al. L) AD PAMMACHIUM, n. 21, t. I, col. 233. — [7] SERM. V DE ASSUMPT., ut supra.

ptionis susciperet. Nec aliter sentit Venerabilis Beda, dum ait [1]: *Vere etenim gratia erat plena, cui divino munere collatum est, ut prima inter feminas gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret.* Audiatur et S. Bernardinus Senensis: (Maria), inquit [2], *prima vitiis bellum indixit; prima contra carnis insultus virtutum acies ordinavit, dum et virginitatem elegit, et eam humilitatis custodia communivit; per quod et diabolo terrorem incussit et sanctis sponsa facta est et suavis.* Denique, hanc esse Patrum graecorum et latinorum sententiam testatur Baronius [3], *a qua*, addit, *scio neminem dissentire, nisi stolidissimorum haereticorum factionem et satellitium, qui ad impugnanda sacra vota virginitatis et continentiae egregiam diabolo navant operam.*

10. — II. Rat. theol. — Cum virginitas tam alta res sit, ut huius consilii promulgationem ad tempus Legis gratiae Deus reservaverit, hinc quanquam nonnulli, etiam sub Lege Veteri, Spiritu tamen gratiae moti, hanc virtutem coluerint, perfecta tamen in hac virtute exercenda stabilitas et constantia nonnisi illi concessa fuisse censenda est, quae auctoris legis gratiae Mater exstitura, exuberantibus illius gratiae fontibus statim a sua conceptione perfusa est. Igitur Beata Virgo, quia, licet sub Legis Veteris nocte orta, tamen Legis Novae aurora exstitit, ideo fixo mentis proposito illud potuit Deo promittere, voti religione addita, cuius quidem Veteris Testamenti imperfectio, etiam relate ad sanctos viros, impar erat: ideoque Maria prima omnium tempore exstitit, quae huiusmodi votum Deo nuncupaverit, quod quidem valde conveniens fuit, cum aliqua consiliorum inchoatio in Christi Matre incipere debuerit [4].

11.— Difficultates. — Hanc autem primam propositionis enunciatae partem quidam infirmare contendunt ex hoc quod — I. censent aliqui Ieremiam et Eliam votum hoc

[1] Hom. hiem. de Sanctis. in Festo Annunt. — [2] Sermo III de B. M. V., art. 3, c. 4, Lugd., 1650, p. 84. — [3] In apparatu ad Annal., § LVII. — [4] Cf. S. Thom., 4, Dist. XXX, Quaest. II, art. 1, ad 1[m] et 2[m].

olim emisisse; II. de filia Iephte erui videtur illam Deo virginitatem suam voto consecrasse [1]; III. in historia profana Vestales traduntur virginitatis statum amplexae fuisse.

Verum, quod ad *primum* attinet, dici possunt Ieremias et Elias divino quidem instinctu abstinuisse a commixtione carnis, *cum eorum coniugia non legantur* [2]; sed hoc ex simplici proposito, non ex voti religione fecisse, sicut fecit Maria, quae, ait B. Albertus Magnus [3], *initium fuit beatitudinis, et virginitatis; et sic est virgo virginum, quae sine consilio, sine exemplo, gloriosum munus virginitatis Deo obtulit, et per sui imitationem omnes virgines Deo Virgo germinavit.*

Secundo, nec magis ea quae de filia Iephte referuntur argumentum nostrum infirmant. Imprimis, dato etiam quod illa reapse tale votum emiserit, id non libere et ex religione in Deum, sed tantummodo patris vi coacta praestitit, dum e contra Beatissima Virgo ultro se Deo ac virginitatem suam voto dedicavit. — At verius dicitur Iephte filiam suam non mystice, per virginitatis votum, sed realiter mactasse, ut ex sacro Textu sub luce diversarum versionum facile eruitur. Id evincit nedum filiae luctus, verum etiam patris ipsius dolor; qui, praeterea, in terra aliena educatus, de mystica consecratione per virginitatem vix cogitare poterat, dum e contra vicinarum gentium mores probe cognoscebat, filios ac filias diis immolare consuetarum; fors quoque ipsius menti aderat Abrahae exemplum, qui propterea quod Dei iussu filium immolare paratus extiterit, laudem a Deo promeruit. Unde, communis est et antiqua sententia, ab omnibus fere Patribus defensa, Iephte filiam suam in sacrificium mactasse; quocirca, concludit Sylvius [4]: *Non debemus ab eis* (Patribus) *propter recentiorum aliquas rationes discedere: praesertim cum ex antiquis orthodoxis nullus producatur qui contrarium asseruerit.* Sic, ut unum promamus, S. Ambrosius, ait [5]: *Dura promissio, acerbior solutio: quam necesse habuit lugere etiam ipse qui fecit.*

[1] Iudic., XI, 29, 30. — [2] Cf. S. Thom., Ibid., Dist. XLIX, Quaest. V, art. 3, ad 3[m]. Circa Ieremiae virginitatem, de qua legitur, Ier. XVI, 2, vide S. Hieronym., c. XXIII, t. IV, col. 951. — [3] In Mariali, quaest. XII; Lugduni 1651, t. XXI, p. 14. — [4] In 2 2[ae], Quaest. LXXXVIII, art. 2. — [5] Offic., L. III, c. 12, n. 78, t. IV, 167.

Tertio, de Vestalibus id tuto decerni potest, eas virginitatem non vovisse, sed tantummodo servasse, idque ad tempus, nempe quamdiu in ministerio perdurabant; quo elapso tempore, nuptias contrahere poterant [1].

12. — **Secunda propositionis pars** facile ostenditur: — I. ex *intensitate caritatis* qua votum istud Beatissima Virgo nuncupavit, ex quo consecutum est ut firmissima voluntate proposuerit se illud servaturam; — II. ex *modo* quo illud votum adimplevit; cum nedum nihil unquam contra hoc votum commiserit, sed etiam nullo, vel levissimo motu, ad contrarios actus fuerit pertracta; — III. ex *diuturnitate temporis* vitae quo illud servavit, cum votum iuniori aetate nuncupatum usque ad vitae mortalis terminum, etiam in matrimonii statu, perfectissime custodierit.

13. — **Quaestio.** — *Quonam vitae suae tempore Maria votum virginitatis nuncupavit?*

Resp. Tuto dici potest Mariam iuniori aetate hoc votum nuncupasse; at circa tempus determinandum quo id Maria praestiterit, non satis constat inter doctores. — Sane, quod perfectius est, Deiparae tribuendum est; non tamen propterea dici debet, ut volunt aliqui, illam conceptionis momento hoc votum emisisse, cum usum rationis tunc solum habuerit ut se ad Deum libere converteret: unde satis est dicere eam aetate competenti illud nuncupasse, puta cum rationis usum iam adepta, Deo se in templo perfecte consecravit. *Ducta Hierosolymis*, ait Fulbertus episcopus Carnotensis [2], (Beata Virgo), *in templo Domini conservata est usque ad quartum decimum annum, ieiuniis et orationibus serviens die ac nocte, et virginitatem suam vovens, quod ante virgo alla non fecerat.*

Idipsum erui potest, etsi non tam clare, ex sequentibus S. Ioannis Damasceni verbis [3]: *Nascitur autem in domo probaticae Ioachim, atque ad templum adducitur: tunc deinde in*

[1] Vide hac super re egregiam elucubrationem P. Alexii M. Planch, Ord. Serv. B. M. V. Vita B. M. V. — [2] Serm. II de Nativ. V. M., et V, in ord. Migne, P. L., V. 141, p. 324. — [3] L. IV Orthod. Fid., c. 14, t. I, p. 275.

domo Dei plantata, et per Spiritum saginata, instar olivae frugiferae, virtutum omnium domicilium instruitur: ut quae abstracta mente ab omni saeculi carnisque cupiditate, animum una cum corpore virginem conservasset, veluti decebat illam quae sinu suo conceptura Deum erat.

14. – **Corollarium.** — Quapropter Deipara omnibus longe virginibus ita perfectione antecelluit, ut rite universaliter, quasi instinctu divino, per antonomasiam, VIRGO vocitetur, VIRGINUMQUE REGINA, quasi omnem cuiuslibet virginis excellentiam illa una complexa sit. *Quis ullo unquam tempore extitit*, ait S. Epiphanius [1], *qui sanctae Mariae Nomen appellare auderet, et non rogatus virginis vocabulum adiiceret?* Hinc praeclarissima quaeque epitheta, quibus sancti Patres illam passim decorare decertant: sic idem sanctus Epiphanius illam vocat [2], *principem virginitatis*: S. Ephrem [3], *coronam virginum*: S. Ambrosius [4], *virginum vexilliferam, virginitatisque magistram*: S. Isidorus [5], *caput virginum*: S. Damascenus [6], *virginitatis uberrimam plantam*: S. Anselmus [7], *matrem virginitatis*: pius auctor sub nomine S. Bernardi [8], *virginum primiceriam*: demum S. Bonaventura [9], *totius virginitatis exemplum.*

Huius autem sanctissimae Deiparae, post Christum, efficaci operationi tribuendum est quidquid purum, quidquid pulcrum, quidquid corruptione integrum in isto mundo tantis maculato sordibus reperire est; ipsa enim non solum exemplo suo servos suos incitat ad carnis spurcitias immaculato calle transeundas, verum etiam inspiratione auctrix est, quod tot homines, inter tentationum spinas aut deliciarum illecebras, vitam ducant in carne mortali caelestem; ipsa quoque sollicito auxilio lilia servat inter spinas crescentia,

[1] HAERES. LXXVIII, t. II, p. 1038. — [2] IBID., passim. — [3] Sermo DE SS.MAE GENITR. V. M. LAUDIBUS. — [4] L. DE INST. VIRG., c. 5, t. IV, col. 324, n. 35. — [5] L. DE OFF. ECCL. — [6] ORAT. I IN NATIV. B. M. V., n. 11, t. II, 849. — [7] DE EXCELLENTIA BEATAE VIRG. MAR., c. IX, t. III, p. 247, col. 1573. — [8] TRACT. DE PASS. DOM., inter opera S. Bernardi, c. XXXI, n. 125, t. V, p. 125. — [9] L. IV SENT., Dist. XXX, art. unic., quaest. II, t. IV, p. 709.

et in angelica militia pugnantibus vires adiicit, virtutem roborat, et acris certaminis finem facit gloriosum. Cuius rei nobilissimum profecto exemplum angelicus iuvenis Aloysius suppeditat, qui ante aram Virginis ab angelo salutatae in Basilica Servorum Beatae Mariae Virginis, Florentiae, virginitatis votum emisit, quod, opitulante Deipara, ad mortem usque fidelissime custodivit.

15. — **Solvitur tacita obiectio.** — Obiicienti vero, a Beata Virgine nonnisi votum simplex castitatis fuisse emissum, unde videretur non tanti faciendum, quanti fit votum quod religiosi nuncupant, quod est solemne, — *respondetur*, per se loquendo, votum solemne non esse perfectius quam votum simplex, sed tantummodo aliquid accidentale huic addere, nempe formalem Ecclesiae acceptationem per manus alicuius ex illius ministris. Atqui in veteri Lege non poterat haberi haec voti virginitatis, ex parte synagogae, acceptatio, utpote quae, cum esset umbra et figura Ecclesiae, tantam perfectionem non capiebat, nec filios suos hortabatur ut abstinerent a generationis actu, maxime propter spem Messiae. *Virginitas*, ait Angelicus [1], *quamvis in se optima, tamen pro tempore illo ei matrimonium praeferebatur, propter exspectationem benedicti seminis per viam generationis venturi.*

Caeterum, nec defuisse censenda est gloriosae Deiparae illa, quaecumque demum sit, perfectio, quam solemnitas voti adducit: cum enim haec non sit introducta nisi ad constabiliendam voventis inconstantiam, hinc cum Beata Virgo animum fixum et immobilem, propter gratiam qua pollebat, in bono habuerit, ideo non solum hac solemnitate non indiguit, verum etiam in praeparatione animi supplevit quidquid ista externa solemnitas in aliis causare utcumque potest.

16. — **Quaestio I.** — Hic autem quaeri debet utrum votum istud fuerit a Deipara absolute emissum ante eius cum sancto Ioseph matrimonium, vel tantummodo conditionate, scilicet *nisi Deus aliter ordinaret*, nuncupatura postea votum absolutum, scilicet inito iam matrimonio. — Nam certum

[1] Sent. Dist. XXX, Quaest. II, art. 1, q. 2, ad 3[m].

esse debet, ante Annuntiationem, Mariam absolute emisisse virginitatis votum; secus dicere non potuisset angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

Quaestionem Angelicus resolvit [1], dicens quod Mater Dei non creditur virginitatem absolute vovisse antequam desponsaretur Ioseph, eo quod, ut censet, tempore legis oportebat generationi insistere tam mulieres quam viros, quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur: quod evinci videtur ex illis verbis [2]: *Non erit apud te sterilis utriusque sexus*: quapropter tunc, addit S. Doctor, virginitatem vovit Dei Genitrix, sed sub conditione, nempe si Deo placeret suum desiderium de virginitate committens divino arbitrio. Ast, pergit ille, postquam accepit sponsum secundum quod mores illius temporis exigebant, et innotuit et hoc esse Deo acceptum, quod scilicet virginitatem voveret, tunc simul cum sponso votum illud emisit. *Nec istam conditionem apposuit*, tradit idem Angelicus [3], *ut dubitaret an vellet virgo manere, sed an deberet: et hoc est quod Augustinus in littera dicit, quod proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ordinaret.*

S. Thomam sequuntur Benedictus XIV, aliique; ipse vero Angelicus Doctor videtur Magistro Sententiarum adhaerere voluisse. Alii tamen, nempe S. Bonaventura [4], Scotus [5], Vasquez [6], Suarez [7], etc., aliam tenent sententiam, quos secuti, statuimus

17. — PROP. III. — **Mater Dei votum virginitatis absolute emisit ante contractum matrimonium.**

18. — **Exponitur.** — Haec sententia, quam Sylvius vocat verisimiliorem [8], et Billuart [9], *hodie, ut videtur, communiorem*, revera ut certior et verior sequenti ratione suadetur.

[1] 3, Quaest. XXVIII, art. 4. — [2] Deut., VII, 14. — [3] 4 Sent., Dist. XXX, Quaest. II, art. 1, Quaestiunc. III, sol. 1. — [4] In 4 Sent., Dist. XXX, Quaest. II. — [5] 4 Sent., Dist. XXX, Quaest. II. — [6] Comment. in 3^m Partem S. Thomae, Quaest. XXVIII, art. 4, Disp. 124, c. 4. — [7] In 3 P., Quaest. XXVIII, art. 4, sect. 2. — [8] In 3, Quaest. XXVIII, art. 4. — [9] Tract. de myst. vitae Christi, Diss. I, art. 4, *His tamen non obstantibus.*

Novimus agnoscendam esse in Beata Virgine talem tantamque scientiam, ut concipi vix valeat quomodo ipsa aperte non cognoverit virginitatem simpliciter Deo magis placere quam nuptias, et ideo perfectius esse virginitatem absolute vovere quam conditionate. — Accedit quod Deipara prima omnium, ut modo dictum est, votum illud emiserit; unde et virginibus proponenda erat in exemplum virginitatis; primum autem in unoquoque genere est quodammodo causa eorum quae sunt illo genere; igitur non conditionate, sed absolute, Deipara vovisse dicenda est, cum prima omnium votum illud nuncupaverit. Hanc autem perfectionem consistere in ratione cuiusdam primi principii in genere voventium virginitatem, ita exponit ipsemet Angelicus [1]: *Sicut gratiae plenitudo perfecte quidem fuit in Christo, et tamen aliqua eius inchoatio praecessit in Matre, ita etiam observatio consiliorum quae per gratiam Dei fit, perfecte quidem incipit in Christo sed aliquo modo fuit inchoata in Virgine Matre eius.*

Quocirca Beata Virgo, angelorum aemula, quantocius decrevit illud per voluntariam promissionem habere, quod illis per naturam obtingit.

19. — **Solvuntur difficultates.** — I. Porro, pro solutione difficultatis petitae ex superiori textu Deuteronomii, advertendum est, allegatum legis iudaicae praeceptum vacandi generationi, aut nullum fuisse, aut saltem non spectasse nisi ad communitatem, minime vero ad singulos, nisi urgente necessitate, ut constat de pluribus sanctis viris, qui legis tempore caelibes permanserunt, ut sunt Iosue, Elias, Eliseus, etc.

II. Ulterius, contra haereticorum instantias, volentium in veteri Lege, ex adducto Deuteronomii loco, probari quod verum praeceptum extiterit vacandi generationi, observetur sterilitatem aut fecunditatem non posse esse materiam praecepti, cum in hominis potestate non sit: aliunde, eadem verba referri ad pecora, quae sane praecepti capacia non sunt; nam post allegata verba, haec alia habentur: *Tam in*

[1] 3. Quaest. XXVIII, art. 4, ad 2[m].

hominibus, quam in gregibus tuis. Verba quoque Geneseos [1]: *Crescite et multiplicamini et replete terram.* non praecipientis Dei sunt, sed benedicentis et fecunditatem promittentis [2]. — Cum hoc tamen stat quod virginitas et consequens sterilitas probro haberentur penes populum Hebraeorum, apud quem infirmior erat spiritualis sensus: sed hoc laudi Virgini inclytae vertendum est, quod, cum tantum bonum, quod *Israëlitarum mores adhuc recusabant*, ut ait S. Augustinus [3], ipsa omnium prima, ut dictum est, divinitus edocta, voti religione interposita, ultro amplexa sit.

III. Demum, contra illos qui contendunt matrimonium a Beatissima Virgine, iuxta mores illius populi, aliquando contrahendum cum sancto Ioseph, obstitisse quominus ipsa virginitatem voveret, adverti de facili poterit Beatissimam Virginem non latuisse, matrimonii essentiam, quod quidem theologi tradunt, minime consistere in ipso usu copulae, sed in mutuo iure ad copulam, quae duo utique separabilia sunt: quocirca votum absolutum virginitatis non obstat matrimonii essentiae et validitati, cum non repugnet iuri mutuo ad copulam, ut in sequenti articulo fusius tradetur.

20. — Cur S. Thomas sententiam de voto conditionato tenuerit. — Quae cum ita se habeant, non inutile videbitur, post Serrium [4], advertisse, S. Thomam sententiam voti conditionati tenuisse, delusum forsan supposititio testimonio S. Augustini, relato a Magistro Sententiarum [5], quem quidem Angelicus absque suspicione legisse videtur, necnon a Gratiano [6], qui tamen testimonium hoc paulo diverse refert. Verba a Petro Lombardo relata sic leguntur: *Beata Virgo proposuit se servaturam votum virginitatis in corde, sed ipsum votum non expressit in ore. Subiecit se divinae dispositioni; proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ei revelaret. Committens ergo virginitatem suam divinae dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo.*

[1] I, 28. — [2] Cf. quae scripsimus in tr. DE MATRIMONIO. Quaest. I. art. 3. et tr. DE ORDINE. Appendix DE CAELIBATU ECCL. — [3] L. DE SANCTA VIRG., c. 4. t. VI, col. 343. — [4] Exercit. XXI, n. 8. p. 147. — [5] 4. DIST. XXX. — [6] CAN. SUFFICIAT. Causa 27, Q. II, c. 3.

sed divinae inspirationi in utroque obediendo. Postea vero simul cum viro labiis expressit, et uterque in virginitate permansit. Ex quo testimonio, S. Thomas scribit [1]: *Et hoc est quod Augustinus in littera dicit, quod proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ordinaret.*

Iamvero, testimonium illud nullibi prostat apud Hipponensem praesulem: nec enim in libro de *Nuptiis et Concupiscentia*, a Magistro Sententiarum allegato, nec in alio de *sancta Virginitate*, a Gratiano citato, quid simile reperitur. Quinimmo, in hoc ultimo libro [2], haec habet: *Desponsata est* (Maria) *viro iusto, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro quod illa iam voverat.* Quibus similia habet S. Gregorius Nyssenus, dum scribit [3], non liberorum causa, Iosepho Mariam nupsisse, quinimmo nefas illi fuisse agnoscere virum: quod profecto non fuisset, si votum tantummodo conditionatum illa emisisset.

Suarezio tamen [4] magis placet ut conditio, quam S. Thomas confingit, intelligatur, *non quae vim obligationem suspendat, sed quae illi veluti terminum ponat, donec de contraria Dei voluntate constet, ita ut sensus sit: Ego voveo et me obligo ad servandam virginitatem, quamdiu mihi Deus non revelaverit aliud sibi placere; qui modus vovendi... indicat animum perfecte subditum Deo:... quo fit ut votum, hoc modo conditionatum, in re ipsa parum differat a voto absoluto.*

21. — Confirmatur. — Potest et sententia de voto absoluto a Beatissima Virgine ante suum cum sancto Ioseph matrimonium nuncupato, confirmari eleganti eiusdem Suarezii argumentatione : *Talis modus vovendi* (scilicet conditionaliter), *videtur esse quoddam genus tentandi Deum, et nimis curiose inquirendi voluntatem eius... Quod si fortasse dicant Beatam Virginem vovisse illo modo ex speciali Spiritus Sancti instinctu seu revelatione, et quia ex magna familiaritate cum Deo assueta erat his revelationibus divinis, et se a Deo singulariter regi fere in rebus omnibus experiebatur, —*

[1] In 4 Sent., loc. cit. — [2] C. 4, loco prox. cit. — [3] Serm. in Natali Christi, t. I, col. 688, ad sensum. — [4] In 3 P., Quaest. XXVIII, art. 4, sect. 2. — [5] Loco prox. cit.

si hoc, inquam, dicatur, cum nullo firmo fundamento, sed coniectura tantum dici possit, convenientius sane diceretur, ab eodem Spiritu Sancto didicisse Virginem a principio suam virginitatem illi placere, et ideo statim voto illam consecrasse.

22. — Quaestio II. — Ultimo loco, et velut coronidis instar, non inutile videbitur et aliam quaestionem, a theologis passim agitatam, solvere, utrum nempe, collatis inter se virginitate et divina maternitate, hanc Maria pluris fecisset quam illam, si scilicet optio ipsi data fuisset alterutram eligendi.

Ad huius dubii solutionem, praemittendum est non hic quaestionem moveri de maternitate adaequate spectata, prout scilicet in praesenti oeconomia actu invenitur, circumdata omnibus bonis quibus Maria condecorata est, non exclusa ipsamet virginitate: unde comparatio inter virginitatem et maternitatem divinam non potest fieri ex aequo, sed ista duo bona se habent inter se sicut includens cum excessu et inclusum.

Quocirca quaestio est tantum de possibili in alio ordine: puta, si Deus disposuisset dare Mariae aut divinam Maternitatem nude inspectam, ideoque consideratam sine virginitate ceterisque donis, aut solam virginitatem, quamnam Maria electura fuisset. — Sed nec est quaestio de eligenda divina maternitate in casu quo Deiparae consensus, ex Dei ordinatione, necessarius fuisset ad Incarnationem necnon ad humani generis salutem: quemadmodum enim *bonum gentis divinius et eminentius est quam bonum unius* [1], ita Regis aeterni Filia potius virginitatem amittere debuisset, matrimonium contrahendo, ut Salvator mundo daretur, quam, servata virginitate, humanum genus tanto Salvatore frustrare.

Secluso igitur hoc casu, probabilior eorum videtur sententia, qui contendunt Mariam potius virginitatem electuram fuisse quam maternitatem divinam. Quorum ratio est, quia caritas magis inclinat ad dandum quam ad accipiendum, secundum illud S. Pauli [2]: *Beatius est magis dare quam accipere*: quod probatur ex eo quod magni sancti interdum

[1] Arist., in I Ethic., c. 2. — [2] Act., XX, 35.

exoptant magis Deum amare quam ab ipso gratificari, pro illo quoque potius eligunt pati, quam per beatificam visionem eodem statim frui. Atqui licet divina maternitas maius et praestantius bonum fuerit quam virginitas, haec enim non est nisi una ex virtutibus moralibus, illa vero ad ordinem unionis hypostaticae per affinitatem reducitur, tamen maternitatem Maria tanquam donum a Deo accipiebat sibi gratis collatum, dum per virginitatem semetipsam Deo offerebat. Ergo in ficto casu, Maria pluris fecisset virginitatem quam maternitatem, et disposita fuisset ad huius potius quam illius iacturam ferendam; quo sensu intelligenda sunt verba quibus sancti Patres et pii concionatores interdum utuntur, ad hanc insignem Beatae Mariae praerogativam extollendam [1].

23. — Confirmatur autem haec sententia ex Evangelio [2], ubi dicitur Beata Virgo turbata fuisse in sermone angeli illam salutantis. Siquidem, haec turbatio non oriebatur praecise ex introitu angeli ad eam sub specie viri, ut S. Ambrosio visum est [3], nec ex eo quod nesciret utrum angelus qui apparebat esset bonus vel malus, ut volunt alii: non enim dicitur Maria turbata in *ingressu*, sed in *sermone* angeli, nec cogitabat qualis esset *iste* qui apparebat, sed potius qualis esset *salutatio* ista. Sed nec praecise ex sublimitate mysterii oriebatur ista turbatio: subsequentia enim angeli verba [4]: *Spiritus Sanctus superveniet in te*, etc., potius auxissent quam

[1] Nec obstat quod nobis obiiciebat Exc. Dom. L. Janssens (Sum. Theol. Div. Aq., T. V, p. 362), nempe ideo Beatam Virginem divinam potius maternitatem eligere debuisse, praecise quia sic Filio Dei poterat dare vel subministrare corpus ipsi necessarium ad missionem complendam: siquidem huiusmodi subministratio nullum secumferebat ex parte Virginis sacrificium, sicut sacrificium secumfert virginitas: porro, quando dicimus caritatem magis inclinare hominem ad dandum quam ad accipiendum, intendimus loqui de datione quae cum aliquo sacrificio fiat. Accedit huic proposito, Beatam Virginem profunda sua humilitate praepeditam fuisse quominus tam sublimem dignitatem, qualis est divina maternitas, sibi unquam eligendam esse reputaret. — [2] Luc., I, 29. — [3] L. II de Abraham, c. 9, col. 434. — [4] Luc., ibid., 35.

sedassent hanc turbationem. Unde probabilius videtur Mariam turbatam fuisse ex eo quod, cum nondum esset conscia de modo divinae maternitatis in se complendae, timuerit ne emissum virginitatis votum frangere cogeretur. Cum enim verba: *Benedicta tu in mulieribus*, ab angelo prolata, iuxta modum loquendi in Veteri Testamento usurpatum, fecunditatis sensum ingerant, timere potuit Virgo prudentissima quin virginitatis voti iacturam pati deberet, unde statim subdidit [1]: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

24. — Scholion. — Diximus Mariam divinae maternitatis in se complendae adhuc insciam mansisse, ut indicant mox citata verba. Nec incongruit perfectioni scientiae Virginis hoc asserere: nam, licet et Incarnationis mysterium et consequenter divinam maternitatem, tum ex divinarum Scripturarum lectione, tum etiam ex Spiritus Sancti instinctu apprime edocta esset, Deo tamen ita ordinante, ignorare potuit, et, humilitate praeeunte, ipsamet nec suspicari quidem debuit, se esse illam singularem mulierem a Deo ad tantum munus aeternaliter praedestinatam: unde et necessarium fuit ut per annuntiationem ea perciperet, quae in se Deus aliquando complere decreverat. *Bene quaesivit*, ait S. Ambrosius [2], *quomodo fieret. Legerat enim quia virgo generaret; sed non legerat quemadmodum generaret. Legerat, ut dixi:* ECCE VIRGO IN UTERO ACCIPIET; *quomodo autem acciperet, in Evangelio primum angelus est locutus.*

ARTICULUS III. — *De desponsatione et matrimonio Beatae Mariae Virginis cum sancto Ioseph* [3].

1. — Ratio articuli. — Postquam de gloriosae Deiparae virginitate actum fuerit, sequitur ut de illius desponsatione et matrimonio cum sancto Ioseph pertractetur; quandoqui-

[1] LUC., I, 34. — [2] Exposit. Ev. sec. LUC., l. III. Super illud: *Quomodo fiet*, n. 18, t. III, col. 41, 42. — [3] Cum de hoc ipso argumento egerimus in tractatu de sancto Ioseph (P. I, art. 4), scilicet pro quanto pertinet ad sanctum Patriarcham, ad hunc locum lectorem remittimus qui plura de hac re attingere cupiat.

dem prima fronte inter se pugnare videretur sponsa virginitas cum veri connubii vinculo, quae tamen duo in una Beatissima Virgine amico foedere consociata virescere conspecta sunt.

Eo autem sedulius erit nobis argumentum istud pertractandum, quod inde plura in rem theologicam derivari noverimus. Cum enim constiterit, apud hanc sacram Familiam, quae omnis familiae typus existit, castitatem et fecunditatem actu simul cultas fuisse, nostra tum de tanta Deipara, tum etiam de castissimo eius sponso sancto Ioseph, existimatio haud modicum augescet. Siquidem, ostenso quod verum extiterit inter Beatam Virginem et sanctum Ioseph matrimonium, et illa quidem, cum virginitatis flore, etiam matrimonii fidem, viduitatis fructibus postea auctam, cumulasse deprehendetur; hic vero non solum habendus erit tanquam Deiparae integerrimus custos, sed etiam tanquam proprius eius coniux, ideoque non solum tanquam Christi pater putativus aut nutritius, sed iure altiori, tanquam illius verus, licet non secundum carnis procreationem, pater, cum ad maritum pertineat quidquid uxoris est. Denique, nec deerit ex demonstranda veritate, etiam pro Incarnationis mysterio penitius cognoscendo, utilitas, dum deprehendetur ad hoc videlicet divinitus ordinatum fuisse verum inter Deiparam et S. Ioseph matrimonium, ut divinae prolis honori et custodiae consuleretur, ne Christus tanquam illegitimus a Iudaeis habitus, efficacia praedicationis suae frustraretur.

2. — Errores. — I. Verum validumque intercessisse Mariam inter et sanctum Ioseph connubium, primus inficiatus est Iulianus Pelagianus, hac ratione ductus, quod nulla inter eos exstiterit copula carnalis, in quo quidem matrimonii essentiam ille reponebat. Quem acriter perstrinxit S. Augustinus [1]: *Iamvero de Ioseph, cuius Mariam, teste Evangelio, coniugem dixi, multa diu disputas contra sententiam meam, et conaris ostendere, quia concubitus defuit, nullo modo fuisse coniugium; ac per hoc, secundum te, cum desiterint concumbere coniuges, iam non erunt coniuges, et divortium*

[1] Lib. V Contra Iulian., c. 12, n. 46, t. X, 651.

erit illa cessatio. Quod ne contingat, agunt, sicut possunt, decrepiti quod iuvenes agebant, et ab hoc opere... nec effoetis aetate corporibus parcunt. Huic haeretico suffragatus est Ioannes Wicleffus qui, matrimonium definiens, *viri ac mulieris legitimam copulationem qua, secundum Dei legem, licet eis sine crimine filios procreare* [1], conclusit tanquam nulla et irrita illa habenda esse connubia, in quibus aut prolis procreatio, aut carnalis copula desideratur.

Ab hac sententia haud longe distat id quod tradiderunt Gratianus necnon Michael de Medina; quorum ille, deficiente quocumque modo, post initum iam matrimonium, coeundi potentia, illud nullum prorsus fuisse tradit [2]; hic vero ostendere nititur matrimonium absque carnali copula haudquaquam subsistere posse [3].

Cum his consentiunt Petrus Martyr et Centuriatores qui, ex eo quod Evangelistae tradunt Mariam Iosepho in coniugem fuisse desponsatam, utrumque deducunt ita fuisse affectum ut, aliorum coniugum more, emisso voto non obstante, stato tempore, commisceri et filios procreare statuerint.

II. Alios itidem movet ad reiiciendam veritatem coniugii Beatae Virginis cum sancto Ioseph, sedula ipsius Deiparae cura promissam virginitatem servandi; quasi ipsa, cum aliunde stante voto utique valide nubere potuisset, id tamen facere recusaverit, ne frangendi voti sibi occasio daretur; unde sanctum Ioseph sponsum quidem accepit, sic tamen, ut ista *coniunctio ultra sponsalia non fuerit progressa* [4]. At quam demisse de Deipara, imo quam indigne de ipsa Dei Providentia isti sentiant, ex infra tradendis manifestabitur.

Contra quos communissima inter Doctores, et tanquam theologice certissima, retinenda est sequens

[1] Apud Thom. Waldens. T. II, DE SACRAM., c. 130. — [2] C. XXVII, q. 2, can. 29. — [3] Lib. V DE SACR. HOMINUM CONTIN., c. 61. — [4] Haec sententia legitur in quadam oratione *in diem Natalem D. N. I. C.*, inter opp. S. GREGORII NYSSENI, t. I, p. 688. Attamen verba citata intelligi posse de exclusione carnalis commercii, non autem veri matrimonii, suaderi videtur iis quae sequuntur, ubi introducitur Maria dicens: *Ioseph enim Sponsum novi, sed virum non cognosco.*

3. — PROP. I. — Deiparam inter et sanctum Ioseph verum intercessit matrimonium.

4. — Natura huius prop. — Conclusionem hanc ab omnibus theologis de fide doceri ait Suarezius [1]; at Benedicto XIV [2] satius placet edicendum, illam adeo veram esse, ut opposita sententia nota saltem temeritatis digna sit habenda. Quae quidem nota Cardinali Raymundo Capisucchio († 1691) ex eo oriri videtur [3], quod constet totam theologorum scholam cum Angelico Doctore in hanc veritatem conspirare, sanctosque Patres omnes, dummodo rite perpendantur, idipsum docere. Quapropter, minus blande sentire dicendi erunt, qui cum S. Petro Canisio [4], quaestionem hanc inter controversas et libere utrinque in scholis agitatas amandant.

5. — Prob. I. Ex modo loquendi S. Scripturae generaliter. — Saepius in S. Scriptura Ioseph Mariae *vir* (ἀνήρ), Maria autem vicissim Iosephi *coniux* aut *uxor* (γυνή) appellatur. Sic, ut pauca seligamus, apud S. Matthaeum legitur [5]: *Ioseph autem vir eius* (Mariae), *cum esset iustus;* item [6]: *Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam:* pariter, apud S. Lucam legimus [7]: *Ascendit autem et Ioseph,... ut profiteretur cum Maria, desponsata sibi uxore praegnante.* Atqui nomina ista, *vir*, *uxor*, *coniux*, secundum proprium ac litteralem sensum, personas designant vero matrimonii vinculo ad invicem unitas. Igitur ex modo loquendi Sacrae Scripturae licet inferre Mariam Iosepho non solum in matrimonium promissam fuisse, seu illius sponsam exstitisse, sed etiam proprie illi tanquam veram uxorem indissolubili matrimonii vinculo iunctam fuisse.

6. — Praefatae locutiones propriae sunt. — Porro ne cui suspicio in mentem subeat Iosephum Mariae *virum*, Mariam vero Iosephi *uxorem* in citatis locis improprie tantum voci-

[1] In 3 P., Quaest. XXIX, art. 2, sect. 1. — [2] De Festis B. M. V., l. II, c. 2, n. 2. — [3] Controv. XIV, § 9. pag. 346. Romae, 1677. — [4] De S. Maria Deipara, l. I, c. 5, § *Iam vero.* — [5] I, 19. — [6] Ibid., 20. — [7] II, 4. 5.

tari, sicut cum Christus filius Ioseph, scilicet secundum vulgi existimationem, appellatur, advertendum sedulo erit — α) imprimis, iuxta regulam a sanctis Basilio [1] et Augustino [2] traditam, verba Sacrae Scripturae in sensu proprio et litterali esse accipienda, quotiescumque aliquid absurdi aut fidei moribusque contrarii non sequatur. Atqui nil tale ex agnita veritate matrimonii Ioseph inter et Mariam rite deduci potest, imo potius magna relate ad finem Incarnationis adest convenientia, ut infra patebit.

β) Accedit differentia inter appellativum *pater* Christi, Ioseph attributum, et appellativum *Mariae vir*, eidem Ioseph, aut vicissim *uxor Ioseph*, Mariae collatum. Non solum enim illud raro tantum, istud vero constanter in Sacra Scriptura reperitur, verum, quod potissime attendendum est, appellativum illud *pater Christi*, Iosepho collatum, Scriptura limitare curat, ostendens illum tantummodo fuisse Christi putativum patrem [3]: *ut putabatur filius Ioseph*, nempe secundum vulgi aestimationem. At vero Ioseph et Maria non putativi, sed simpliciter coniuges passim exhibentur, et signanter cum angelus Iosephum singulariter alloquitur, ubi profecto nullum alium loquendi modum, quam quem rei ipsiusmet veritas patiebatur, vulgi existimatio suasisset. *Hoc putemus*, ait S. Augustinus [4], *Evangelistam facere potuisse, cum vel sua, vel cuiuslibet alterius hominis verba narraret, ut secundum opinionem hominum loqueretur. Numquid et angelus loquens unus ad unum contra conscientiam et suam et ipsius cui loquebatur, secundum opinionem potius, quam secundum veritatem, fuerat locuturus, qui ei dixit:* NOLI TIMERE ACCIPERE MARIAM CONIUGEM TUAM?

γ) Sed et singulare robur accipit haec veritas, qua scilicet ostendere nitimur, in Scriptura, Mariam et Ioseph coniuges in proprio litteralique sensu appellari, ex eo quod Matthaeus Evangelista Christi genealogiam per progenitores sancti Ioseph deducere non dubitat [5]: *Liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham, Abraham genuit*

[1] In HEXAEM., HOM. IX, Parisiis, 1638, t. I, p. 96. — [2] DE GEN. AD LITT., cc. 1 et 7; de Doctr. christ., l. III, 10. — [3] LUC., III, 23. — [4] L. V. CONTRA IULIANUM, c. 12, n. 47, t. X, col. 652. — [5] I, 1-16.

Isaac... Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus. Atqui, cum ex auctoritate Evangeliorum abunde constet, Christum ex Ioseph carnis propagatione ortum non habuisse; nisi Ioseph Mariae, ex qua Christus secundum carnem natus est, vere et proprie *vir* exstiterit, unde Christus quoque vere et proprie filius uxoris Ioseph dictus fuerit, falsa undequaque extitisset Christi genealogia a progenitoribus Ioseph per Evangelistam deducta. Quod argumentum prosequens Hipponensis Doctor, ait [1]: *Deinde, quid opus erat, ut usque ad Ioseph generationes perducerentur, si non ea veritate factum est, qua in coniugio sexus virilis excellit? Quod ego in libro cui respondes cum posuissem, tu prorsus adtingere timuisti. Dicit autem Lucas Evangelista de Domino, quod putabatur filius Ioseph; quia ita putabatur, ut per eius concubitum genitus crederetur. Hanc falsam voluit removere opinionem, non Mariam illius viri negare coniugem contra angelum testem.*

δ) Cui tandem videbitur appellativum *coniux*, in Scriptura Mariae datum, nonnisi improprie ipsi convenire, cum defuerit ipsam inter et S. Ioseph carnis commixtio, — opponemus praecitati S. Augustini animadversionem qui, ad haec angeli ad Ioseph verba [2]: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam,* ait [3]: *Coniux vocatur, ex prima fide desponsationis, quam* (Ioseph) *concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus; nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio: erat quippe illa virgo; ideo et sanctius et mirabilius iucunda suo viro, quia etiam fecunda sine viro, prole dispar, fide compar.*

ε) Denique aliquos movet ad accipiendum sensu improprio voces *vir, uxor,* aut *coniux,* quod nunquam in Sacra Scriptura S. Ioseph Beatae Virginis *maritus* vocetur: cui respondetur id ideo fieri, quod haec appellatio, proptera quod sanctissimae illae personae matrimonium per corporum commixtionem non consummaverint, minus apte conveniat. Nam, ut habet Salmeron [4], *maritus dicitur* ἀκοίτης

[1] Immediate post modo citata verba. — [2] MATTH., I, 20. — [3] L. I DE NUPT. ET CONC., c. XI, n. 12 t. X, col. 286. — [4] COMMENT. IN HIST. EVANG., T. II, TRACT. XXX, p. 224.

a cubili, et uxor ἄλοχος a pariendo, secus vero voces magis generales ἀνὴρ καὶ γυνή, quibus utitur Evangelista.

7. — Prob. II. specialiter ex auctoritate S. Matthaei. — Rursus, huius matrimonii veritas clare eruitur ex illo S. Matthaei loco [1]: *Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Ioseph autem vir eius cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* Quo loco, duo ad rem nostram proferuntur: unum, modus loquendi Evangelistae, alterum sancti Ioseph agendi ratio.

8. — α) Modus loquendi Evangelistae. — Et primo quidem, ex eo quod Evangelista dicit: *Antequam convenirent*, satis aperte deduci valet Mariam et Ioseph, utique pro conditione sua, convenire potuisse; quos tamen, cum iusti praedicentur, extra matrimonium conventuros nefas erit cogitasse, unde consequitur illos vero matrimonii vinculo copulatos fuisse. — Nec obstat quod dicitur: *Cum esset desponsata*: nam vox haec aeque convenienter aptatur ad significandam virginem solis sponsalibus devinctam, ac ad indicandam mulierem vero matrimonio copulatam.

Revera, non desunt in Sacra Scriptura loca, in quibus terminus *desponsata* adhibetur ad significandam non virginem solum sponsione promissam, sed proprie mulierem veri matrimonii vinculis viro copulatam. Sic in Deuteronomio legitur [2]: *Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur: puella, quia non clamavit cum esset in civitate; vir, quia humiliavit uxorem proximi sui.* Porro, puellam quae hic *desponsata virgo* appellatur, designare mulierem vero matrimonio copulatam, patet, non solum quia illa expresse uxor vocatur, sed etiam quia ipsi peccanti et peccati complici illamet poena decernitur, qua rei adulterii plecti iubebantur: *Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est adulter et adultera* [3]. Idipsum, ut alia loca taceam, ex Osee eruitur,

[1] I, 18, 19. — [2] XXII, 23, 24. — [3] Ibid., 22.

ubi legitur [1]: *Sponsae vestrae adulterae erunt. Non visitabo... super sponsas vestras, cum adulteraverint.* Atqui adulterium supponit verum matrimonium. Ergo terminus iste, *desponsata*, utique potest usurpari ad significandam mulierem vero matrimonio ligatam.

Quod autem actu nupta, non autem mere de futuro sponsa, hic designetur, constat ex eo quod mox S. Ioseph illius *vir* appellatur. *Vocant ergo Evangelistae*, ait Menochius [2], *Beatam Virginem* μνηστευθεῖσαν, *non quod ducta non esset, sed quod non magis a viro cognita, quam sponsae quae nondum nuptae sunt.* Quod evidentius adhuc fiet, si comparetur praefatus Matthaei locus, cum hoc Lucae testimonio [3]: *Ascendit autem et Ioseph a Galilaea... ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante*: ex quo omne dubium de veritate matrimonii inter S. Ioseph et Mariam, ortum ex appellatione *desponsata*, huic ab hagiographo data, evanescat necesse est.

9. — 3) Sancti Ioseph agendi ratio. — Idipsum evincitur etiam ex sancti Ioseph agendi ratione, in praefato Matthaei loco descripta. Quod enim dicitur illum, prae animi anxietate sponsam, ob compertam eius graviditatem, occulte dimittere voluisse, evidenter ostendit illum Mariam tanquam veram uxorem habuisse: non enim proprie dici potest dimitti illa persona quae nonnisi per verba de futuro desponsata est, sed illa solum quacum perfectum existit matrimonium per verba de praesenti contractum. *Quam non accepit, nemo dimittit*, ait S. Ambrosius [4]; *et ideo qui volebat dimittere, fatebatur acceptam.*

Hisce cohaerenter concludit, ex recensitis Matthaei verbis, Benedictus XIV [5]: *Acceperat ergo* (Mariam Ioseph) *in uxorem, cum nemo dimittere dicatur quod non habet; et quamvis angelus Iosephi suspicionem ex deprehensa graviditate sedaturus, dixerit:* NOLI TIMERE ACCIPERE MARIAM CONIUGEM TUAM, *haec tamen est phrasis hebraica, actum continuatum si-*

[1] IV, 13, 14 — [2] In MATTH., I, 18. Venetiis, 1758. — [3] II, 4, 5. — [4] Exp. sec. LUC. l. II, n. 5, t. III, col. 37. — [5] DE SERVORUM DEI BEAT., L. III, c. 24, § 4, n. 57.

gnificans, non inchoatum: quocirca, perinde est ac si dixisset: Acceptam coniugem serva ac retine, noli dimittere.

Hisce verbis egregie etiam dispellitur opinio volentium, citato loco: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, et alio qui subsequitur: *Et accepit coniugem suam*, significari Beatam Virginem ante hoc tempus Iosepho nonnisi desponsatam fuisse per verba de futuro, et solum tunc verum inter eos intercessisse matrimonium. Revera, non actionem incipere haec verba significant, sed iam inceptam continuari debere; non enim aliquam personam *coniugem* accipere dicitur, qui primum ei matrimonio iungitur, sed *in coniugem*: hic autem Ioseph iubetur Mariam non *in coniugem*, sed *coniugem* accipere, quod videlicet est acceptam, ut antea cogitaverat, non dimittere. *Quid vero significat illud*, ACCIPERE, quaerit S. Chrysostomus [1]? *Domi retinere. Iam enim illam animo dimiserat: hanc dimissam retine quam Deus tibi tradit, non parentes.* Quibus conformiter advertit Estius [2]: *Non ab angelo Ioseph monetur, ut tum primum Mariam in uxorem accipiat, iam enim Ioseph eam habebat, quia vocatur vir eius et nolebat eam dimittere, sed monetur ut coniugem suam accipiat, id est retineat, et dimittendi cogitationem deponat.*

Aliunde, non infrequens est in sacris Scripturis talis loquendi modus, ut dum res aliqua fieri dicitur, sensus sit illam instantius continuari. Sic, in Ioannis Evangelio legitur [3]: *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius*, — quod sane non intelligendum est, quasi discipuli in Christum nullam antea fidem habuerint, sed sensus est eos in accepta fide instantius perseverasse.

10. — Tacita obiectio. — Nec obstat quod dicitur S. Ioseph noluisse Mariam traducere, quasi scilicet, instante hac suspicione, eam in suam domum introducere noluerit, et sic uti veram sponsam hucusque non habuerit. — Nam τὸ *traducere* hic non significat sponsam in sponsi aedes introdu-

[1] In MATTH., c. 1, Hom. 4, t. V, p. 269. — [2] In 4, DIST. XXX, § 8. Venetii, 1748. — [3] II, 11.

cere, sed illam penes iudicis tribunal deferre, et sic divulgare publico exemplo puniendam. Ita S. Augustinus [1]: *Tanta iustitia tribuitur huic viro, ut nec vellet habere adulteram, nec auderet punire vulgatam.*

Quid autem huiusmodi traductio secumferret, egregie exponit Maldonatus. *Traducere*, ait ille [2], παραδειγματίσαι, (est) *publico exemplo puniendam curare, ignominiose accusare ad verbum exemplare, ut alicubi Augustinus vertit, quamquam idem alias vertere solet divulgare. Id autem Ioseph fecisset, si in iudicium vocasset, et omnium oculis, tanquam adulterii ream, proposuisset. Usus est eodem verbo D. Paulus:* ITERUM CRUCIFIGENTES FILIUM DEI, καὶ παραδειγματίζοντες, ET PUBLICAE IGNOMINIAE EXPONENTES, *ubi noster interpres vertit, ostentui, habentes.* Nec aliter loquitur Doctor Angelicus: *Dicendum*, ait [3], *quod sicut Chrysostomus dicit* [4], *Beata virgo sic fuit desponsata Ioseph, quod etiam esset domi habita. Nam, sicut in ea quae in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis, sic in ea quae extra domum concipit, est suspecta conceptio. Et ita non esset sufficienter provisum famae Beatae Virginis per hoc quod fuit desponsata, nisi etiam fuisset domi habita. Unde, quod dicitur:* ET NOLLET EAM TRADUCERE, *melius intelligitur, id est, nollet eam diffamare in publicum, quam quod intelligatur de traductione in domum, unde et Evangelista subdit, quod voluit occulte dimittere eam.*

Nec dimissio quam in animo habeat S. Ioseph talis erat, ut per ipsam intenderet libellum repudii a lege indultum Mariae donare [5], ut soluto coniugio quod secum inierat, tum ipsi Beatae Virgini, tum sibimet potestatem faceret alteri nubendi; non enim Iosephi iustitia, qua tantopere excellebat, ut ab ipso Spiritu Sancto insigniter commendaretur, sinebat ut ille eo remedio uteretur quod *ad duritiam cordis* concessum fuisse Dominus Noster in Evangelio tradit [6]: sed Mariam quoad habitationem tantummodo occulte dimittere volebat, veritus ne illius contubernio infamiam incurreret.

[1] Serm. LI DE CONCORD. MATTH. ET LUC., c. VI, n. 9, olim Serm. LXIII DE DIVERSIS, t. V, col. 287. — [2] COMMENT. IN MATTH., I, 19. — [3] 3, Quaest. XXIX, art. 2, ad 3[m]. — [4] HOM. I, IN OP. IMPERF., inter Opp. S. Chrys. — [5] Cf. DEUT., XXIV, 1. — [6] MATTH., XIX, 8.

11. — Prob. III. Ex eo quod S. Ioseph vocatur pater Christi. — Praeterea, veritas matrimonii Beatae Mariae cum sancto Ioseph non minus expresse comprobatur ex iis locis in quibus nomen patris aut parentis Christi huic sancto Patriarchae tribuitur.

Quod ad primum nomen attinet, Ioseph identidem *pater* Iesu appellatur; sic [1]: *Erat pater eius* (Iesu) *et mater mirantes super his quae dicebantur de illo.* Rursusque [2]: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te:* ubi advertendum est haec ultima verba fuisse prolata a Beatissima Virgine, coram legisperitis et doctoribus, cum quibus Christus in templo disputaverat.

Similiter, ipse sanctus Ioseph et Beata Virgo simul, *parentes* (γονεῖς) Iesu, sine ulla distinctione passim vocantur; sic [3]: *Cum inducerent puerum Iesum parentes eius*; et rursus [4]: *Ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem*; et iterum [5]: *Remansit puer Iesus in Hierusalem, et non cognoverunt parentes eius.* Atqui, cum fide constet Christum ex Ioseph carnis propagatione ortum non fuisse, hinc non alia de causa inferre licet illum vocari patrem Iesu, nisi quia ex matris substantia, quae illius vera coniux existebat, procreatus fuerit.

12. Evolvitur argumentum. — Revera, non alia potest fingi causa cur S. Ioseph pater Christi vocetur, nisi aut quia curam divinitus acceperat Christo et Mariae necessaria ad vitam temporalem providendi, aut propter vulgi aestimationem, putantis Christum ex eo, secundum carnem, fuisse procreatum, aut denique quia ipse verus Mariae legitimusque coniux existebat.

Atqui, haud satis fuisset Iosepho, ad hoc ut pater seu parens Christi vocaretur, quod ipsi officium fuisset a Deo demandatum sacrae Familiae curam gerendi eique in necessitatibus vitae providendi, nisi alius et hic strictior titulus intercessisset; quandoquidem, licet nomen patris interdum alicui tribuatur, propterea quod in subveniendo

[1] Luc., II, 33. — [2] Ibid., 48. — [3] Ibid., 27. — [4] Ibid., 41. — [5] Ibid., 43.

alienis necessitatibus sollicitum se exhibeat, sicut boni reges populi patres dicuntur, et vetus Ioseph de semetipso dicebat [1]: *Fecit me quasi patrem Pharaonis*, — tamen, cum in eadem sententia, in qua Maria Christi mater dicitur, et Ioseph appelletur illius pater, immo cum indifferenter uterque dicatur Redemptoris *parens*, hinc altiori ratione huiusmodi vocabulum a Spiritu Sancto decretum fuisse concedendum est, quae quidem alia esse nequit, nisi quia Ioseph propriae Christi Matris vere coniux exstiterit.

Quocirca, non omnino probanda Origenis sententia est, dicentis [2]: *Quamobrem mirabatur et pater: sic enim appellatus est Ioseph, quia nutritius fuit*: licet enim verum sit Ioseph Christi nutritium fuisse, tamen non proprie propter hoc pater Iesu dici potuisset.

Similiter, nec sola vulgi aestimatio, Ioseph tanquam Christi secundum carnem genitorem habentis, iuxta illa [3]: *Nonne hic est fabri filius?* et [4]: *Nonne hic est filius Iosephi*, sufficiens erat ratio cur tam constanter Christi pater aut parens vocaretur. Equidem, ne virginali partui iniuria ulla irrogaretur, caute monet sacra Scriptura Iesum nonnisi putative fuisse Iosephi filium, scilicet propter illos, ait S. Augustinus [5], *qui eum ex Ioseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrantur*. At, cum ipsummet vulgus non alia de causa sanctum Ioseph tanquam Christi patrem ducere posset, nisi quia ille tanquam legitimus Mariae coniux publice agnoscebatur, hinc hoc ipso quod vulgus Iosephum patrem Christi putaverit, idque Scriptura ipsa commemoraverit, eruitur hanc appellationem non ex alio titulo formaliter ei deberi, nisi quia indissolubili nuptiarum foedere illi coniunctus esset, quae Verbi incarnati vera secundum carnem Mater existebat. Unde et quod ait S. Hieronymus [6], scilicet quod *Evangelistae, opinionem vulgi exprimentes, quae vera historiae lex est, patrem eum dixerint Salvatoris*, si penitius quidem inspiciatur, invenietur non modo non auferre quod Ioseph parens Christi appelletur propter initum ab eo cum Beata Virgine connubium, sed idipsum implicite continere.

[1] Gen., XLV, 8. — [2] In Luc., Hom. VI, t. III, col. 1214. — [3] Matth., XIII, 55. — [4] Luc., IV, 22. — [5] L. II de Consensu Evang., c. I, n. 3, t. III, col. 28. — [6] Adv. Helv., c. 2, n. 4, t. II, col. 209.

13. — Quanam ratione S. Ioseph pater Christi vocetur. — Quod si huiusce matrimonialis foederis ratio visque ulterius consideretur, non deerit unde concludi valeat, S. Ioseph longe potiori iure Christi patrem fuisse appellatum, quam aliquis in humanis pater dicatur illius quem adoptaverit. Est enim adoptatio extraneae personae in filium et haeredem assumptio; dum, e contra, Christus Iosepho extraneus non erat, qui ex eius legitima uxore, et quidem post initum inter eos coniugium, nec ex alieno viro ortus erat; unde naturaliter in Iosephi bona et iura Iesus succedere potuisset, nisi illum sanctae paupertatis indigentia ditasset.

Quapropter, quod dicitur Ioseph Christi pater putativus, distinguendum est: quia si hoc ad carnalem generationem referatur, utique verum est; falsum autem si ad iura coniugii. Quod argumentum egregie prosequitur S. Augustinus, dicens [1]: *Cum igitur ipse* (Lucas) *narret non ex concubitu Ioseph, sed ex Maria Virgine natum Christum, unde eum patrem eius appellat, nisi quia et virum Mariae recte intelligimus, sine commixtione carnis, ipso copulatione coniugii; et ob hoc etiam Christi patrem multo coniunctius, qui ex eius coniuge natus sit, quam si esset aliunde adoptatus?* Et alibi ait [2]: *Propter quod fidele coniugium, parentes Christi vocari ambo meruerunt, et non solum illa mater, verum etiam ille pater eius, sicut coniux matris eius, utrumque mente, non carne... Neque enim mentitur Evangelium, ubi legitur:* ET ERANT PATER EIUS ET MATER MIRANTES, etc. Quinimmo, cum per matrimonium coniuges sibi invicem proprii corporis dominium tradant, ita quod duorum unum corpus et una caro effici censeatur, iuxta illud Geneseos [3]: *Erunt duo in carne una*, ideo Christum ex Ioseph ortum secundum carnem habuisse, aliqua, licet non tam formali ratione, poterit sustineri; quod tamen mox explicandum erit hoc sensu, quod Christus ex muliere, quae vera Iosephi uxor existebat, sit procreatus.

14. — Prob. IV. Ex officiis sancto Ioseph in S. Scriptura attributis. — Confirmatur autem S. Ioseph patrem

[1] L. II DE CONSENSU EVANG., loc. prox. cit. — [2] L. I DE NUPTIIS ET CONCUP., c. XI, n. 12, t. X, col. 286. — [3] C. II, 24.

Christi in Scriptura vocatum fuisse altiori de causa, quam propter meram vulgi aestimationem, aut solam sacrae Familiae necessaria providendi sollicitudinem, ex eo quod patris propria munera illi divinitus attributa inveniuntur. Revera, ex angeli decreto, Ioseph officium accepit nascituro puero nomen imponendi [1]: *Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum*: quod quidem ipsemet de facto mox praestat [2]: *Et vocavit nomen eius Iesum*. Rursus, munus sacram Familiam gubernandi ex simili decreto ipsi demandatur [3]: *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, et accipe puerum et Matrem eius, et fuge in Aegyptum*. Quod Ioseph mox opere complet [4]: *Qui consurgens, accepit puerum et Matrem eius nocte, et secessit in Aegyptum*. Simile mandatum in reditu ab Aegypto eidem committitur, et opere ab ipso quam fidelissime completur [5]. Insuper, amissum in templo puerum, paterna sollicitudine, una cum Beata Virgine, idem Ioseph triduo quaerit [6], cui puer Iesus, redux Nazareth, non minus quam Mariae, subditus manet [7].

Atqui ista, quae patrum secundum carnem propria sunt officia, Iosepho convenire apud poterant, quatenus Christus ex eo ortum habuisset: ergo ipsi competebant ex alio titulo, inferiori quidem, attamen, relate ad haec officia, non minus vero ac reali, scilicet ex eo quod verus et proprius coniux illius erat, quae in Christi generatione temporali, carnis suae materiam ei ministraverat. Siquidem, non satis fuisset Iosephum Christi esse qualemcumque nutritium, ut tanta ei relate ad Verbum incarnatum officia committerentur; multo minus, mera vulgi existimatio sufficiens erat ratio cur tam alta de Christo, qualia sunt nomen imponere, ac de illo providentiam gerere, Iosepho demandarentur. Ergo ex eo quod Ioseph Christi parens aut pater dicitur, logice inferri potest, eum Beatissimae Virgini veri matrimonii vinculo fuisse colligatum; unde etiam concludi demum potest, nomina *patris putativi* aut *nutritii*, Iosepho interdum attributa, licet vera sint, non tamen illius dignitatem sufficienter explicare; nihilque maius aut excellentius dici de

[1] Matth., I, 24. — [2] Ibid., 25. — [3] Ibid., II, 13. — [4] Ibid., 14. — [5] Ibid., II, 19-23. — [6] Luc., II, 44, sqq. — [7] Ibid., 51.

eo posse, quam quod sit Beatissimae Virginis Deiparae verus legitimusque coniux, et sic verus, licet non secundum carnis procreationem, Christi pater.

15. — Perfectio matrimonii B. M. V. cum S. Ioseph. — At, quoniam alicui videri posset matrimonium Deiparae cum S. Ioseph ideo imperfectum mansisse, quod per votum virginitatis emissum, sanctissimi illi coniuges excluserint finem primarium matrimonii, qui in prole generanda et educanda consistit, qui finis se habet ad formam matrimonii, sicut perfectio secunda ad perfectionem primam, et ad quem per operationem seu usum copulae pervenitur, opportune animadvertetur quod in ceteris quidem matrimoniis, sub conditione virginitatis servandae contractis, deest revera iste primarius finis; at in matrimonio Deiparae cum S. Ioseph dici potest finis iste locum obtinuisse, licet ratione modoque superiori. Ad hoc enim ex divinae Providentiae dispositione, uterque coniugii vinculo iunctus est, ut, matrimonii veritate arcanam divinitatis operationem occultante, ex Virgine Spiritus Sancti virtute obumbrata, virginum Virgo secundum carnis substantiam oriretur, utque ortae caelesti proli adiumentis illis subveniretur quibus, secundum assumptae carnis infirmitatem, indigebat.

Quocirca, dici potest finem matrimonii Mariae cum S. Ioseph fuisse nedum ortae prolis, secundum quod tanti Filii dignitas compatiebatur, educationem [1], verum etiam ex superno consilio ipsammet divinae prolis procreationem. Nam, adverti potest quod, licet conceptus virginalis fuerit ex Spiritu Sancto, tamen, quia proles ista sic concepta est ac genita absque virginitatis iniuria, ut tamen iure vinculi coniugalis, ad Ioseph quoque, tanquam legitimum Deiparae coniugem, pertineret, ideo et secunda matrimonii perfectio, in eo quod dicit illius finem qui est prolis procreatio, locum habuisse censenda est; non tamen simpliciter, sed secundum quod Christum taliter oriri decebat, scilicet ex intacta Virgine. Et propter hoc, ut pulcherrime advertit Gonetus [2],

[1] 3, Quaest. XXIX, art. 2. — [2] Clypeus Theol. schol., T. V, Disp. 4 de Matrimonio. Antuerpiae. 1725. p. 571.

matrimonium, quod est infensissimus virginitatis hostis, eiusque ruina et perditio, in mysterio Incarnationis, et in castissimo Iosephi et Mariae connubio, virginitatis columen et integritatis protector effectum est, non secus ac vinum, quod aliunde luxuriae incentivum est, in augusto Eucharistiae sacramento, accedente mirabili mutatione, fit virginitatis germen, necnon contra luxuriam efficacissimum remedium.

16. — Probationes ab extrinseco. — Potest ultimo loco veritas de matrimonio Beatae Virginis cum S. Ioseph duplici ratione fulciri ab *extrinseco* petita : una ex parte divinae Providentiae, altera ex parte ipsius almae Virginis. — Et quidem, quod ad primum attinet, ex Patrum traditione accipimus, eatenus matrimonium Mariae cum Ioseph divinitus fuisse decretum, quatenus medium esset tum Verbi incarnati, tum eius Matris honori consulendi, ne scilicet suspicio de prole ex prohibito concubitu concepta ipsi Incarnationis fini impedimento cederet. Atqui, ut efficax huiusmodi medium evaderet, non apparens tantum, sed reale esse debuit, quatenus scilicet uterque sponsus matrimonialibus iuribus gauderet, ex quorum usu, utique citra concubitum, inferri apud vulgus posset eos veri matrimonii foedere coniugatos.

Idipsum evincit Beatae Virginis agendi ratio ex sponsalibus ab ea cum S. Ioseph contractis deducta. Revera illi theologi qui negant reale intercessisse matrimonium inter Deiparam et S. Ioseph, vi suae positionis, negare etiam coguntur sponsalium validitatem. Nam, cum sponsalia sint de matrimonio in futurum contrahendo promissio signis sensibilibus expressa, ideo eatenus valida sunt, quatenus sponsi matrimonium valide contrahere queant: quod enim matrimonium invalidat, a fortiori sponsalia nulla reddit. Ergo, si votum virginitatis a Beata Virgine emissum, matrimonium illius cum S. Ioseph irritum reddidit, a fortiori irrita fecit praevia sponsalia, et sic Beata Virgo ne sponsa quidem Iosephi dici poterit, contra id quod in sacra Scriptura aperte cedotur [1], et quod Patres communiter agnoscunt.

[1] Matth., I, 18.

17. — Difficultates ex Patribus. — Contra veritatem matrimonii Beatae Virginis cum S. Ioseph, opponi solet quod a quibusdam Patribus asseritur, scilicet nomen *uxoris* Mariae, nomen vero *mariti* Iosepho haud convenire, aut *nuptias* inter eos minime intercessisse. Sic Tertullianus [1] Mariam dicit solum *quodammodo nuptam* fuisse; expressius autem S. Hilarius de Maria ait [2], quod *mater potius Christi, quia id erat, non uxor Ioseph, est nuncupata, quia non erat*; dum S. Epiphanius advertit [3], Scripturam de Maria non dixisse: *Cum nupsisset*, sed: *Cum esset desponsata*. S. Chrysostomus quoque de eadem Deipara edisserens, *coniugem*, ait [4], *hic sponsam vocat* (angelus), *quemadmodum et generos vocare solet Scriptura sponsos ante nuptias*. S. Chrysologus vero expresse inficiatur sanctum Ioseph fuisse maritum Mariae, ait enim [5]: *Ioseph ille maritus solo nomine, conscientia sponsus, praegnantem fluctuans et anxius intuetur*. Denique in Scholiis S. Cyrilli Alexandrini *de Incarnatione Domini* legitur [6]: *Natus est enim ex Virgine et solus habet matrem innuptam*.

18. — Solvuntur. — Porro, huiusmodi loca, et si qua sint alia huisce similia, optime prorsus poterunt cum doctrina a nobis propugnata et expensa de vero Mariam inter et sanctum Ioseph matrimonio componi, si tantum prae oculis habeatur scopus quem sibi isti Patres in talia scribendo praefixerunt. Cum enim perpetuam Mariae virginitatem contra haereticos asserere intenderent, consulto abstinendum sibi esse duxerunt ab usurpandis vocibus *uxor*, *maritus*, *coniux*, aut *nuptiae*, quae licet de se aeque applicari possint etiam personis virginitatem colentibus, et sic matrimonio solum rato et non consummato adstrictis, communiter tamen notionem consummati matrimonii ingerere solent. Igitur, iuxta hos Patres, *maritus* dicitur qui *uxorem* cognovit, matrimonii autem usus *nuptiae* appellatur; dum, e contra, voces *sponsus* et *sponsa*, et *desponsatio*, utpote generaliores, accommodatius usurpari consueverunt ad connotandas personas foedere qui-

[1] L. de Veland. Virg., c. 6. Simile quid legitur in *Apologetico*, c. XXI. — [2] In Matth., c. 1, n. 3. Venetiis, 1749. — [3] Haeres. LXXVIII, n. 8, p. 1040. — [4] Hom. IV, in S. Matth., n. 6, t. V, pag. 269. — [5] Serm. CLXXV, in Evang. de Dominicis. — [6] Cap. 25.

dem nuptiali et ita coniugali copula devinctas, sed inter quas carnis commercium non interfuerit [1].

Profecto, hoc quoque sensu debent intelligi verba quae habet S. Hieronymus in libro quem *adversus Helvidium* conscripsit, ut contra hunc haereticum Mariam illaesam virginem post partum permansisse ostenderet. *Quod autem*, ait [2], *in somnis dicitur ad Ioseph :* NE TIMEAS ACCIPERE MARIAM UXOREM TUAM, *et rursum :* EXURGENS AUTEM IOSEPH A SOMNO... ACCEPIT UXOREM SUAM, *nullum movere debet, quasi ex eo quod uxor est appellata, sponsa esse desierit; cum hanc esse Scripturae divinae consuetudinem noverimus, ut sponsas appellet uxores.* Atqui in loco Sacrae Scripturae ad quem appellat Hieronymus [3], sponsa est mulier quae vero matrimonio, licet tantummodo rato, iam est viro coniuncta, ut locum attentius consideranti apparet. Hoc quoque sensu idem Pater antea scripserat [4]: *Deus Pater est imprecandus, ut Matrem Filii sui virginem ostendat fuisse post partum, quae fuit mater antequam nupta.*

Bernardum autem difficilior res est ad nostram accommodare sententiam: dicit enim de sancto Ioseph [5]: *Debuit ergo vir eius appellari, quia necesse fuit et putari: sicut et pater Salvatoris non quidem esse, sed dici meruit, ut putaretur esse, dicente hoc ipso Evangelista :* ET IPSE IESUS, etc. *Nec vir ergo Matris, nec Filii pater exstitit, quamvis certa, ut dictum est, et necessaria dispensatione utrumque ad tempus et appellatus sit et putatus.* — At, si meminerimus S. Bernardum a Patrum consuetudine haudquaquam discessisse, illa circa Christi nativitatem sedulius obtegendi, quae in auditorum animis indignum quid et indecorum de tanto mysterio ingerere potuissent, forsan poterit et illius sententia sensu a nostra haudquaquam diverso explicari.

19. — Confirmatur veritas matrimonii Beatissimae Virginis, ex eius sponsalibus cum sancto Ioseph. — Denique illud ad quod nonnulli confugiunt [6], nempe Beatae Virginis cum S. Ioseph coniunctionem ultra sponsalia non fuisse pro-

[1] Cf. 3, Quaest. XXIX, art. 2, ad 1[m] et 2[m]. — [2] N. 4, t. II, col. 208. — [3] Vide DEUT., XXII, 23, 24. — [4] N. 2. — [5] Homil. II, SUP. MISSUS EST, t. II, pag. 13. — [6] Vide supra, art. praes., n. 2.

gressam, excludendum prorsus hac simplici animadversione videbitur, quod cum sponsalia, iuxta communiter receptam definitionem, aliud non sint, nisi *futurarum nuptiarum mutua promissio*, profecto si Beata Virgo sponsalia contraxerit, debuit in animo habere voluntatem illud, stato tempore, adimpiendi quod spoponderat, secus nonnisi simulate spopondisset, quod certe de tanta Virgine asserere nefas esset. Siquidem, gloriosa Deipara in suis actibus ita Spiritus Sancti lumine collustrabatur, ductuque agebatur, ut nonnisi quod melius sibi Deoque gratius esse sciret constanter eligeret. Quapropter ab omni falsae apparentiae deceptione immunis praedicanda est, et in tantum dici debet sponsalia contraxisse, in quantum ea, quibus futuro matrimonio praeludebat, divinae Voluntati conformia esse noverat.

Ex quo inferre licebit, Beatissimae Virgini voluntatem fuisse, cum sponsalia emisit, nuptias in futurum inire conformiter divinae Voluntati, proindeque illam congruo tempore nuptias revera contraxisse. Non enim ea erat Beata Virgo, quae tam facile posset a proposito suo dimoveri; nec valet intelligi quomodo illa, cui pene infiniti gratiae scientiaeque thesauri concessi fuerant, timere debuerit ne ex inito cum sancto Ioseph matrimonio, in peccatum posset induci. Nonne ipsa virtus qua tam insigniter ornabatur, sufficiens erat eius virginitatis custodia ?

Praeterea, hoc de Beatissima Virgine teneri debere diximus, illam caruisse peccati fomite, nedum in actu secundo, seu in actualibus concupiscentiae motibus, verum etiam in actu primo, seu in habitu; ideoque vires eius inferiores absque rationis arbitrio nunquam movebantur, sicut Christo et Adam ante originale peccatum contingebat.

Demum, minus indigne sentiunt de divina Providentia, qui censent virginitatis lilium in Maria ex eius matrimonio deflorescere debuisse, quasi nempe Deus Matris suae specialiter adsistere haud valuerit, nec cui virginitatis propositum inspiraverat, concedere etiam potuerit illius in coniugii statu servandi amplissimam facultatem.

20. — Corollarium. — Ex hisce omnibus apparet, verum validumque extitisse matrimonium a Beatissima Virgine cum

S. Ioseph contractum, quamvis illa quidem certissime, hic vero valde probabiliter perpetuam et absolutam castitatem Deo iamdiu vovissent [1]; ita quod et divina proles, Spiritu Sancto operante, Mariae concessa, matrimonii iure, quo id quod de muliere, citra adulterium, procreatur, viri esse censetur, ad S. Ioseph, tanquam legitimum Mariae sponsum, pertinere dicenda sit; et ipsamet gloriosa Deipara propriis matrimonii fructibus perfectam virginitatem, meritis potens, una copulaverit.

Itaque, cum tria esse matrimonii bona noverimus, videlicet *fidem*, *sacramentum*, et *prolem*, iam cum S. Augustino concludere possumus [2]: *Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi: proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum, fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium; solus ibi nuptialis concubitus non fuit.* Ubi S. Augustinus vocem *sacramentum* sensu haud stricto sumit, quatenus significat Novae Legis sacramentum a Christo institutum, sed sensu latiori, secundum quod signum cuiuslibet rei sacrae sacramentum dici solet.

Quae cum ita sint, tanquam mirabilissimum et omnino singulare praedicari debet istud matrimonium, in quo uxor divino praegnans Spiritu, servato virginitatis flore, matris gaudia, stupendo miraculo, experta est. *O coniugium verum et sanctum*, exclamat Rupertus Abbas [3], *coniugium caeleste, non terrenum! Quomodo enim, vel in quo coniugati fuerunt? Nimirum in eo quod unus spiritus et una fides erat in eis.*

21. — Quaestio. — Ex hucusque dictis constat matrimonium a Beatissima Virgine cum sancto Ioseph initum omnino verum validumque fuisse, licet castitatis voto Deipara, et, ut probabiliter teneri potest, etiam sanctissimus illius sponsus obstricti fuerint. At, licitumne fuit Mariae, stante illa solemni promissione, tale matrimonium contrahere? En de quo dubitatur modo, maxime propter illud

[1] Cfr. tr. DE SANCTO IOSEPH, P. II, art. 7, p. 258. — [2] L. I DE NUPT., ET CONC., c. 12, n. 13, t. X, col. 287. — [3] In MATTH., l. I, c. 1, t. III, pag. 6.

celebre S. Augustini dictum [1]: *Virginitatem voventibus, non solum nubere, sed velle nubere damnabile est.*

22. PROP. II. — **Beata Virgo in matrimonio contrahendo nihil illiciti commisit, imo maximam sibi laudem promeruit.**

23. — Exponitur. — Ad hoc ostendendum, imprimis advertendum est, Deiparam nec se proximo frangendi voti periculo exposuisse, nec quicquam sancti Iosephi iuri detraxisse, cum iuxta Doctorum Ecclesiae sententiam, interiori Spiritus Sancti inspiratione certior reddita fuerit, de firma voluntate virginei sui sponsi, qui pari continentiae voto ligatus erat, tradita sibi potestate numquam utendi. *Beata Virgo*, ait Angelicus [2], *antequam contraheret cum Iosepho, fuit certificata divinitus quod Ioseph in simili proposito erat, et ideo se non commisit periculo nubens.* Nec dissimiliter loquitur B. Albertus Magnus, cum ait [3]: *Beatissima Virgo, licet haberet votum continentiae firmum, poterat tamen consentire in maritalem societatem, facta divinitus inspiratione utrique de altero, quod vellet virgo permanere.* Et S. Bonaventura [4]: *Gloriosa Virgo matrimonium consensit contrahere; sed certa fuit quod nunquam matrimonium consummaret; et hoc scivit Spiritus Sancti revelatione, vel Ioseph relatione, vel quia considerabat de voti publicatione, quia in lege praeceptum erat servare, sed nullus fuerat ausus hoc vovere* [5]. Quocirca nihil contra id quod naturae iure praescribitur, gloriosa Virgo in matrimonio contrahendo commisisse dicenda est.

At, neque ex eo quod viro nupsit qui in eadem, ac ipsa, sententia erat, aliquod de perfectione virginitatis suae detrimentum passa est Virgo intemerata. Lex enim qua castitatem professi coniugium inire vetantur, nonnisi ab Ecclesia constituta fuit: at dato etiam quod sub Synagoga viguisset, utique dici deberet illa excepta fuisse, quam plenitudo gra-

[1] De Bono viduitatis, c. 9, n. 12, ad sensum. t. VI, col. 375. — [2] 4, Dist. XXX, Quaest. II, art. 1, q. 2. art. 2, — [3] De Laud. B. M. V. — [4] 4, Dist. XXVIII, art. unic., 1. Q. VI. Concl. T. IV, p. 696. — [5] Cf. quae de voto virginitatis a S. Ioseph emisso diximus, tr. de S. Ioseph, P. II, art. 7, n. 19, p. 260.

tiae ab omni spiritualis nequitiae inquinamento immunem reddiderat. *Copula carnalis.* ait iterum Angelicus [1], *cecidit implicite sub consensu Beatae Virginis, sicut actus implicite continetur in potentia; potentia autem ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipsius, nisi ratione actus, qui quidem nunquam fuit in proposito Beatae Virginis, sed erat iam certificata quod actus nunquam sequi deberet.* Nec dissimiliter loquitur subtilis Doctor dum, de Deiparae matrimonio edisserens, ait [2]: *Ubi est certitudo simpliciter quod nunquam ponetur in effectu* (scilicet coniugalis debiti petitio), *ibi in nullo praeiudicat voto castitatis contractus matrimonii. Sed hic fuit talis certificatio: ex quo enim habemus quod angelus instruxit Ioseph:* NOLI TIMERE ACCIPERE MARIAM CONIUGEM TUAM, *multo magis, imo indubitanter concluditur quod ipsa per angelum, vel immediate a Deo, antequam desponsaretur Ioseph, fuit certitudinaliter edocta: Noli timere accipere Ioseph, virum iustum, in coniugem: ecce enim Spiritus Sanctus dabit eum tibi custodem et testem virginitatis, qui tecum pari voto contineat, et in multis tibi ad virginitatis custodiam congruentibus obsequetur.*

24. — Corollarium. — Ex hisce omnibus iam concludere licet, Beatissimam Virginem, vinculum coniugale contrahendo cum S. Ioseph, nedum aliquid contra Dei iussa aut conscientiae dictamen ageret, dona gratiae tanto praestantiora meruisse a Deo accipere, quanto fortior fuerat eius voluntas virginitatis florem in matrimonii statu integrum servandi. Nec veremur asserere sanctas illas personas, quae castitatem in matrimonii statu iugiter servasse leguntur, ad hoc incitatas fuisse exemplo Deiparae, quae proinde non modo Regina Virginum existit, verum etiam Regina eorum qui in coniugio, meliori parte electa, virginitatem amplexi sunt.

25. — Rationes cur Deus voluerit nasci ex desponsata Virgine. — Porro, cum iam matrimonii Beatae Virginis cum S. Ioseph liceitas ex intrinsecis pateat rationibus, nunc praestat inquirere cur hoc Deus fieri decreverit, ut nonnisi

[1] 4, Dist. XXX, l. c., ad 3[m]. — [2] 4, Dist. XXX, Quaest. 2.

ex Virgine, vero coniugii foedere viro copulata, Verbum secundum carnem oriretur: quod quidem praestabimus, non quidem quasi Deo leges praesumamus imponere, sed ut pleniorem de divinis dispositionibus existimationem concipiamus.

Hic enim, sicut in aliis fidei nostrae mysteriis, non a priori procedendum est, sed a posteriori. A priori enim, pro humani ingenii modulo, videri posset Deus debuisse ex innupta virgine nasci, ut sic melius innotesceret Verbi caelestis origo, et ut amoto omni conceptu et notione nuptiarum, decentior ortus ille appareret, dum virgo ab omni nuptiali foedere libera Virginem Christum peperisset. At viae Dei non sunt viae hominis, Deusque longe sapientiori modo rebus providet quam unquam excogitaverit humana infirmitas: quod quidem abunde patebit ex convenientiae rationibus quas, hoc mysterium humiliter perscrutati, adinveniemus circa opportunitatem desponsationis Matris Dei cum sancto Ioseph [1].

Porro, huiusmodi convenientiae rationes ex triplici capite assignari possunt: 1° ex parte *ipsius Christi*; 2° ex parte *Beatae Mariae Matris eius*: 3° ex parte *nostri*.

26. — I. Rationes ex parte Christi. — Ex parte ipsius Christi conveniens fuit illum ex desponsata Virgine nasci: quod quidem quadruplici ratione comprobatur.

α) *Ne Christus tanquam illegitimus abiiceretur.* — Cum Christus ad hoc in mundum venisset, ut novam, eamque longe altiorem quam hucusque tradita fuerat, perfectionis viam homines edoceret, necesse erat ut eius nativitas ab omni prorsus peccati suspicione immunis redderetur. Atqui, si Christus ex Virgine innupta natus fuisset, profecto Iudaei et infideles, quorum nimis terrena mens tam sublimia capere haud valebat, Christum tanquam illegitime natum abiecissent, cum magno illius missionis detrimento. *Quid Iudaeis*, ait S. Ambrosius [2], *quid Herodi posset adscribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti? — Sic enim*, inquit auctor *Operis imperfecti* in Matthaeum [3], *quia in domo*

[1] Cf. 3, Quaest. XXIX, art. 1. — [2] L. II Exposit. in Luc., super illud: *Missus est*, n. 2, t. III, col. 35. — [3] Sub nomine S. Io. Chris., Hom. I, n. 37, t. VII, p. 427.

sponsi (Maria) *peperit. infideles Iudaei dixerunt:* NONNE HIC EST IESUS FILIUS IOSEPH? *quanto magis si extra domum sponsi peperisset, dicturi fuerant:* NONNE HIC EST IESUS FILIUS MERETRICIS?

β) *Ut Christi generatio per virum describeretur.* — Decuit etiam ut Christus de desponsata Virgine nasceretur, ut eius genealogia consueto modo per virum describeretur. Cum enim Messias ex Davide oriturus esset, Scripturarum autem et generatim omnium populorum consuetudo sit ut genealogiae per viros describantur, si Beata Virgo desponsata non fuisset, Iudaei occasionem accepissent calumniandi Christum, ex obscuro patre, et non ex semine Davidis, ortum habuisse. *Consuetudo*, ait S. Ambrosius [1], *nos* (instruit) *Scripturarum, quae semper viri originem quaerit.. Viri enim persona quaeritur, qui etiam in senatu et reliquis curiis civitatum generis adserit dignitatem;... et qui in saeculum venit, saeculi debuit more describi.*

γ) *Ut divinus partus diabolo celaretur.* — Tertia ratio est quam tradit martyr sanctus Ignatius [2], et quam amplexi sunt Origenes [3], Basilius [4], Hieronymus [5], Chrysostomus [6], Ambrosius [7], Bernardus [8], aliique sacri doctores, quibus S. Thomas [9], suffragatur: nempe hanc ob causam, desponsatam fuisse Matrem Dei, *ut partus eius diabolo celaretur, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum,* ne videlicet ei diabolus vehementius noceret.

Circa quod, in gratiam eorum qui cum Scoto [10], Maldonato [11] et Natali ab Alexandro [12], hanc rationem intelligere non valent, advertisse, duce Angelico doctore [13], iuvabit, diabolum virtute suae naturae utique cognoscere potuisse Matrem Dei corruptam non fuisse, sed virginem

[1] L. III Exposit., super illud: *Et ipse Iesus erat*, nn. 3 et 4, ibid. — [2] EP. AD EPHES. — [3] Hom. VI IN LUC., ed. Migne, P. G., t. X, col. 1191. — [4] DE HUM. CHRISTI GENER., t. I, p. 307. — [5] SUP. MATTH., c. 1, super illud: *Cum esset desponsata*, t. VII, col. 12. — [6] IN MATTH., Hom. IV, t. V, p. 263, n. 3. — [7] Lib. DE INSTIT. VIRG., c. 6, t. IV, col. 327, n. 42. — [8] Serm. 2, IN LAUD. VIRG. SUP. *Missus*, t. II, p. 12. — [9] 3, Quaest. XXIX, art. 1. — [10] In 4 Sent., Dist. XXX, q. 2 — [11] IN MATTH., c. I, 18. — [12] EXPOS. LITT. ET MOR. EVANG., p. 11. — [13] Loco cit., ad 3[m].

permansisse; at, ut ait S. Augustinus [1], multa potest virtute suae naturae, a quibus tamen virtute divina prohibetur. Itaque, cum in Christi infantia impediri oporteret diaboli malitiam, ne illum acrius persequeretur, cum nondum Christus pati ac virtutem suam ostendere disposuisset, sed ipse se in omnibus similem aliis infantibus exhibere deberet, ideo prohibitus est a Deo diabolus modum partus divini cognoscere, nec aliqualiter cognovit Christum esse Filium Dei, nisi cum iam tempus advenerat, quo Christus suam virtutem contra ipsum ostenderet, ab eoque concitatam persecutionem pateretur. *Oportebat*, ait S. Bernardus [2], *a principe mundi aliquandiu celari divini consilii sacramentum: non quod Deus, si palam opus suum facere vellet, impediri posse ab eo nutueret; sed quia ipse, qui non solum potenter, sed etiam sapienter quaecumque voluit fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit, ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostrae videlicet reparationis, non tantum potentiam suam, sed et prudentiam ostendere voluit.*

[2]) *Ut a Ioseph nutriretur.* — Accedit et haec ratio, Christo, cum in infirmitate carnis venisset, opus fuisse aliquo homine, cuius opera, ea quae ad vitae necessaria erant, ipsi providerentur; quod quia Beata Virgo sola praestare non valebat, ideo ipsi Ioseph sponsus adiunctus est, qui propterea nutritius Christi pater est appellatus. Quod quidem maxime tunc apparuit, cum in Aegypti plagam, angelo iubente, fugere Christus debuit, ibique exsul diuturno tempore in summa rerum egestate delitescere, demumque in patriam redire. Quanta fuerint et quam gravia in huiusmodi vicissitudinibus a sacra Familia toleranda, quorum potior pars profecto sancto Ioseph obtigit, Deus solus novit, qui martyrum suorum tormenta metitur.

27. — II. Rationes ex parte Beatae Virginis. — Conveniens fuit Christum de desponsata Virgine nasci, etiam propter Matrem suam, ex triplici ratione.

[1] De Trin., l. III, cc. 7 et 8, t. VIII, col. 799. — [2] Hom. II Sup. *Missus est*, n. 13, t. II, pag. 12.

α) *Ut a poena Maria immunis redderetur.* — ne scilicet a Iudaeis tanquam adultera lapidaretur, ut ait S. Hieronymus [1]. Revera, licet hoc Hieronymi verbum possit, ut aliqui censent, intelligi de lapidatione infamiae, de qua mox dicemus, tamen cohaerenter iis quae in Sacra Scriptura de Iudaeorum moribus traduntur, referri verius potest ad realem lapidationem. Non solum enim illa quae iam desponsata vel nupta peccabat, tanquam adultera habebatur et consequenter lapidabatur, sed etiam illa quae in domo patris custodiebatur ut virgo quandoque nuptura; dicitur enim [2]: (Si) *non est in puella inventa virginitas, eiicient eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis illius, et morietur: quoniam fecit nefas in Israël, ut fornicaretur in domo patris sui.*

Alia quoque de causa Beata Virgo poenae mortis subiecta fuisset, si credita fuisset fornicationis rea, nempe quia, ut diximus supra [3], Beata Virgo, utpote cognata Elisabeth, ex parte matris erat de stirpe Aaron; occidebatur autem propter stuprum virgo quae erat de genere sacerdotali, iuxta illud [4]: *Sacerdotis filia, si deprehensa fuerit in stupro, et violaverit nomen patris sui, flammis exuretur* [5].

β) *Ut ab infamia corruptelae liberaretur.* — quae infamia ex eius visibili praegnantia oriri de facili potuisset. Unde S. Ambrosius ait [6] quod *desponsata* (est Maria), *ne temeratae virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelae videretur insigne praeferre.* Qua in re digna est quae notetur Dei circa Virginis honorem sollicitudo: nam, ut habet idem S. Ambrosius [7], *maluit Dominus aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse Virginis verecundiam, et lubricam famam pudoris, nec putavit ortus sui fidem Matris iniuriis adstruendam.*

γ) *Ut Beata Virgo ministrum fidelem in temporalibus haberet.* — Sic enim quidam pius auctor ait [8]: *Eunte illa in Aegy-*

[1] Sup. Matth., c. I, super illud vers. 18: *Cum esset desponsata*, t. II, col. 209. — [2] Deut., XXII, 20, 21. — [3] Cap. II, art. 1, n. 7. — [4] Levit., XXI, 9. — [5] Cf. S. Thom., 3, Quaest. XXIX, art. 1, ad 4[m]. — [6] Exposit. sup. Luc., l. II, super illud: *Missus est*, n. 1, col. 35. — [7] Ibid. — [8] Op. imp. in Matth., inter opp. S. Io. Chrys., Hom. II, cap. II, n. 17, t. VII, pag. 458.

ptum et redeunte, nisi desponsata illi fuisset, quis ministerium ei tantae necessitatis impleret? Nam in prima quidem facie Maria puerum nutriebat, Ioseph conservabat. Addi quoque huic rationi potest, decuisse ut ex desponsata Virgine Christus nasceretur, ad hoc ut virginitatis suae tutissimum custodem haberet, et ut socio in poenis gaudiisque non careret, cui etiam effusae caritatis copiam, abundanti communicatione, largiretur.

28. — III. Rationes ex parte nostri. — Ex parte quoque nostri huius matrimonii convenientia comprobatur, et quidem quinque de causis.

α) *Ut Ioseph virgineum partum testaretur.* — Sic enim sanctus Ioseph perpetuae virginitatis Beatae Virginis testis existens, ipsa sua agendi ratione comprobavit Christum fuisse ex Virgine natum. *Quin etiam locupletior testis pudoris*, ait S. Ambrosius [1], *maritus adhibetur, qui posset et dolere iniuriam, et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum.* Scilicet ad sanctum Ioseph pertinuisset, si ipse miraculum non agnovisset, et accusare uxorem, et curare ut condemnata debite mulctaretur.

β) *Ut credibilior redderetur virginitas Mariae.* — Accedit ad propositum quod verba Virginis Matris sic magis credibilia redduntur, dum ipsa desponsata suam asserit virginitatem. *Quid quod etiam fides Mariae*, quaerit ad rem S. Ambrosius [2], *verbis maior adsciscitur, et mendacii causa removetur? Videretur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta praegnans. Causam autem mentiendi indesponsata habuit, desponsata non habuit, cum coniugii praemium et gratia nuptiarum partus sit feminarum.* — Id est, si Beata Virgo, innupta manens, dixisset se divinitus peperisse, hoc intellectum fuisset, quasi vellet fornicationem excusare: at, ex quo ligata coniugio peperit, dicenti se virginem mansisse maior fides debetur, cum vir contradicere debuisset, si id verum non fuisset. *Sicut Thomas*, ait S. Bernardus [3], *dubitando, palpando, constantissimus factus est dominicae confessor*

[1] Loco cit., n. 2. — [2] Ibid. — [3] Hom. II super *Missus est*, t. II, pag. 12.

resurrectionis, ita et Ioseph, Mariam sibi desponsando, eiusque conversationem in tempore custodiae studiosius comprobando, factus est pudicitiae fidelissimus testis..... Nam et de Filii resurrectione citius quidem ego, qui infirmus sum, crediderim Thomae dubitanti et palpanti, quam Cephae audienti et credenti, et de Matris continentia facilius sponso eius custodienti et experienti, quam ipsi quoque virgini de sua sola conscientia se defendenti. Porro, cum ad fidem nostram pertineat credere Christum ex Maria esse natum, et quidem viro non fecundata sed virgine manente, iam patet quam conveniens fuerit Beatae Virginis cum sancto Ioseph matrimonium, ex quo ista fidei veritas in aperta luce reponitur.

γ) *Ut virginibus praeberetur exemplum.* — Haec quoque ex parte nostri utilitas ex matrimonio Mariae cum sancto Ioseph eruitur, quod scilicet docentur virgines sibi adhibenda esse media ne infamentur; quandoquidem, ex hoc facto illis virginibus omnis excusatio tollitur, quae propter suam incuriam, infamiam vitare non student. *Nec decuit,* ait S. Ambrosius [1], *sinistra virginibus opinione virentibus velamen excusationis relinqui, quod infamata mater quoque Domini videretur.*

δ) *Ut significaretur unio Christi cum Ecclesia.* — Accedit quod, per huiusmodi coniugium, pulcre significatur Ecclesia universa quae, virgo cum sit, ait S. Augustinus [2], *desponsata est uni viro casta exhiberi Christo,* et quae, ut advertit S. Fulgentius [3], *sponsa est, quia inhaeret Christo, mater est, quia fecundatur a Christo, virgo est, quia incorrupta perseverat in Christo.* Huius igitur Ecclesiae perfectissimus typus existit gloriosa Virgo, non in hoc tantum quod ipsa a Spiritu Sancto fecundata est, aut in partu incorrupta permansit, sed in hoc quoque quod Iosepho nuptiali foedere fuit indissolubiliter coniuncta.

ε) *Ut in una persona virginitas et matrimonium honorarentur.* — contra haereticos, alteri horum detrahentes. Orituri enim mox erant qui, ut Iovinianus, virginitati matri-

[1] Loco prox. cit., n. 1. — [2] L. De Sancta Virginitate, c. 12, t. VI, col. 345. — [3] Ep. III, ad Probam, de Virg. et Humil., c. V, Paris, 1639, p. 107.

monium in dignitate coaequarent; alii vero, ut Gnostici, Manichaei, Priscillianistae, et postea Albigenses, nuptias, tanquam aliquid diabolicum et ex malo ortum principio condemnaturi erant. Unde utrique hoc coniugio confusi sunt; nam, ut ait S. Basilius [1], *virgo erat et viro desponsata, et apta coniugali officio obeundo putata, ut et virginitas in honore ante omnia haberetur, et matrimonium non propterea improbaretur* [2].

29. — Difficultas. — Contra rationem adductam pro convenientia desponsationis Beatae Mariae Virginis cum S. Ioseph, posset opponi Christi nativitatem miraculum fuisse, iuxta ea quae S. Augustinus tradit [3]: *Ipsa Dei virtus, per inviolatae Matris virginea viscera, membra infantis eduxit, quae postea per clausa ostia membra iuvenis introduxit. Hic si ratio quaeritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare.* Atqui miracula manifesta esse debent, cum fiant in fidei confirmationem. Ergo non debuit nativitas Christi obumbrari desponsatione Beatae Virginis cum sancto Ioseph.

Huic difficultati, quam sibimet proponit Angelicus Doctor [4], ipsemet *respondet*, introducta solemni distinctione inter miracula de quibus est fides, et ea quae sunt ad fidei comprobationem. Et primi quidem generis miracula occultiora esse debent, ut fides eorum magis sit meritoria; secundi autem generis miracula debent esse manifesta, cum ad mysteriorum confirmationem ordinentur. Porro, virgineus partus est praecise prioris generis, sicut etiam miraculum resurrectionis Domini, necnon miraculum sacramenti altaris, ideoque obtegendum fuit matrimonii velo, ut etiam circa illud maius haberet fides nostra meritum [5].

[1] Hom. de humana Christi Generat., Paris, 1638, t. I, p. 507. — [2] Cf. Iul. Ant. Roboredo, Ord. Serv. B. M. V., Dissertationes, etc. Dissert. XIX, Florentiae, 1715. — [3] Ep. CXXXVII, ad Volus., c. 2, n. 8, t. II, col. 405. — [4] 3, Quaest. XXIX, art. 1, ad 2[m]. — [5] Cf. Op. nostr. Del Miracolo, etc. c. VI, § V. Romae, 1901, pp. 99, seq.

27. — Quaestio I. — *Cuiusnam aetatis esset Beata Virgo, cum sancto Ioseph nupsit?*

Responderi probabilius potest, cum Suarez [1], Beatam Virginem tunc fuisse aetatis quatuordecim annorum, ita quod, dum trimula esset, in templo fuerit oblata, ibique undecim annis manserit, post quos sancto Ioseph in sponsam fuerit tradita. Ratio autem adduci potest consuetudo Legis Veteris, nuptias si nihil obstaret, non differendi, ne videlicet puella supermatura fieret: atqui nullum in hoc casu impedimentum aderat, immo specialis ratio adesse videbatur cur matrimonium istud accelerandum foret, nempe. ne Incarnationis opus, tot Prophetarum, Patriarcharumque suspiriis exoptatum, diutius differretur. De aetate autem quam Ioseph habebat quando Mariae nupsit, diximus in tractatu quem de illo glorioso Patriarcha conscripsimus [2].

[1] In 3 P., Disp. VII, Sect. III, n. 5. — [2] P. II, art. 6, nn. 10, 11, pp. 233, seqq. In hoc quoque tractatu solvimus quaestionem de tempore quo S. Ioseph Deiparae in matrimonio iunctus est, dicentes illum ipso iam annuntiationis tempore veri matrimonii vinculo fuisse Mariae obstrictum, ita ut iam tunc in illius domo Maria habitaret, cum antea, id est cum ei solum desponsata esset, in aedibus paternis commoraretur. P. I, art. 4, n. 17, p. 82. Ibi etiam quaestio movetur, utrum S. Ioseph Beatam Virginem sit comitatus in itinere quod haec statim post annuntiationem in montana suscepit. P. I, art. 5, n. 9, p. 104.

PARS III.

DE RELATIONIBUS BEATAE MARIAE VIRGINIS AD HOMINES

PROLOGUS.

I. — Ratio huius partis. — Cum Christus mortalem adhuc vitam agens sanctissimam Matrem suam indubiis honoris, amorisque significationibus coluisset, postea, morti scilicet iam proximus, tanta aestimatione et sollicitudine eam prosecutus est, ut dilectum ei discipulum committeret, cui vicissim Virginis Matris custodiendae curam amandavit [1], ita ut Mariae Ioannes *serviret ut filius Matri*, et Maria Ioannem *diligeret ut filium mater* [2].

Tunc enim, ita divina disponente Providentia, S. Ioseph, ut fert scriptorum unanimis consensus, iam obierat; unde ad solum Christum, tanquam sacrae familiae caput, omnia Iosephi iura devolvebantur, qui propterea moriturus testamentum condere poterat: et quidem duplex testamentum condidit, sanguine suo obsignandum: primum domesticum, quo Matri suae personam carissimam relinquebat, videlicet Ioannem dilectum discipulum; alterum publicum, quo Ecclesiae sponsae suae ipsammet sanctissimam suam Matrem, pignus infiniti amoris, tradebat, quatenus Christifidelium Mater efficeretur. Quocirca, quemadmodum *sic..... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* [3], ita Christus sic homines dilexit, ut propriam Matrem ultro tradiderit, ad hoc ut Mater nostra efficeretur: sicque, ex eo quod Mariae donati sumus, hereditas illius sumus effecti; ex eo

[1] Io., XIX, 26. 27. — [2] S. Thom. Comment. in cit. loc. S. Ioannis. — [3] Io., III. 16.

vero quod ipsa nobis data est, facta est vicissim, post Deum, nostra hereditas.

Hoc autem duplici testamento Christus haud dubie significandum voluit, quibusnam vinculis Beatae eius Matri nos obstricti teneamur. Siquidem, cum illam ipse singulariter elegisset ut sibi Matris officia praestaret, et vicissim ut iura dignitatemque tali muneri congruentia a divina largitate reciperet, hoc quoque servandum esse decrevit, nempe eamdem Virginem fungi debere erga nos officio Matris, nosque vicissim erga eam speciali obsequio obstringi. Ex eo enim quod Beatae Virgini tanquam filii dati sumus, sequitur illam a nobis amore obsequiisque coli debere; ex eo autem quod nobis tanquam mater data est, ipsa nos vicissim custodire et protegere cura prorsus materna debet. Quocirca non satis fuisset considerasse Beatam Virginem sive in suis ad Deum relationibus, sive ut est in semetipsa, nisi quaestio expenderetur, quomodo illa se habeat ad homines, et consequenter quomodo se ad ipsam homines, ex divinae voluntatis decreto, habere debeant.

2. — Divisio. — Igitur postrema ista pars duobus capitibus constabit: in quorum priori agetur de officiis Beatae Virginis ad nos; in altero vero de officiis nostris erga ipsammet Deiparam praestandis, seu de iuribus quibus Maria gaudet, sive generaliter in universam creaturam, sive specialiter in homines.

Facile erit, sub luce doctrinae in hac parte tradendae, comprehendere quam merito tutissimam salutis spem in Deiparae auxilio Ecclesia iugiter collocaverit, quae eam vicissim infinitis pene laudibus extollere non desistit, quamque nos ita pie fidenterque invocamus:

Monstra te esse Matrem,
Sumat per te preces
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos
Mites fac et castos.

CAPUT I.

De officiis Beatae Mariae Virginis erga homines.

PROLOGUS.

1. — **Praemonenda.** — In antecessum hoc unum admonendum esse censemus, videlicet sedulo insistendum esse, hac in parte expendenda, sanis theologiae principiis, maxime qualia ab Angelico Doctore in tertia parte Summae theologiae traduntur, ubi quae de Christo docentur, dummodo debitae proportiones, quantum rei natura exposcit, serventur, ad Beatissimam Virginem Deiparam utique extendi aliqua ratione poterunt; cum Verbi incarnati dotes perfectionesque, plenius alia quavis creatura, gloriosissima Dei Mater in se repraesentatas gesserit.

Ulterius cavendum unicuique erit ne, sub specie in Christum pietatis, quidquam detrahat cultui tantae Virgini, approbante Ecclesia, tributo. Et quidem, quod in hac re compescenda sit falsa imaginatio, et temperandus zelus indiscretus, superius innuimus [1]; at longe deterior eorum est agendi ratio, qui se tanquam cultus Deiparae a fidelibus praestiti ultraneos censores erigunt, quasi tituli Mediatricis, Coredemptricis aut Reparatricis, quibus passim illa decoratur, exaggerationem praetendant, aut festa eius honori, templave eius nomini, sint ultra debitum modum instituta aut frequentata.

Imprimis enim, ut princeps oratorum in Gallia, Bourdaloue, advertit [2], si quis in rebus dubiis prudens et prae-

[1] P. II, Prologus, n. 3, p. 120. — [2] Cum opusculum quoddam, latine exaratum ab Adamo Widenfeldt, Coloniensi, gallice translatum esset sub hoc titulo: *Avertissements salutaires de la Bienheureuse Vierge Marie à ses dévots indiscrets*, in quo, inter plures propositiones aliunde sat orthodoxas, insinuabatur diminutio et pene totalis abrogatio cultus Deiparae, occasionem arripuit Bourdaloue gloriam illius vin-

conceptis opinionibus expeditus, Deiparam, tanquam Matrem, uti aequum est, diligat, ea potius eliget quae illi favorabilia sunt, maxime quando haec maiorem secum ferunt probabilitatem [1]. Praeterea, ut idem auctor habet [2], cum Ecclesia, solemni iudicio contra haereticum Nestorium, declaraverit Mariam vere et proprie Dei Matrem appellari debere, nullus erit honoris titulus, nulla qualitas eminens, qua ipsa iure condecorari haud valeat.

Quocirca, fidenter audendum est tractationem eorum quae ad eximiam hanc Virginem, in suis ad homines relationibus, pertinent, aggredi; ut rite appareat quae et qualis est illius dignitas, quae vere praedicatur *gloria Ierusalem, laetitia Israël, honorificentia populi nostri* [3].

2. — Ordo capitis. — Porro, quia omnium officiorum, quae erga nos Beatissima Virgo aliquando praestare potest, summa et fundamentalis ratio ex eo desumenda venit,

---

dicandi, in suo 2me *Sermon pour la fête de l'Assomption de la Sainte Vierge.* — *C'est*, inquit Auguste Nicolas (La Vierge Marie, etc., t. III, p. 161), *la plus solide et la plus belle apologie du culte de la sainte Vierge qui ait peut-être jamais été prononcée: elle n'a pas vieilli, et elle tombe aujourd'hui, comme au grand siècle, sur ces censeurs du culte de la Mère de Dieu, qui sont plus chagrins de ses prétendus excès et abus, qu'ils ne sont touchés de ses beautés et ses avantages.* Originem fatumque illius libelli egregie recenset I. B. Terrien, *la Mère de Dieu, Mère des Hommes*, t. IV, p. 478.

[1] *J'avance et je soutiens que depuis que l'Église universelle, par le plus solennel de ses décrets, qui fut celui du Concile d'Ephèse, a maintenu la Vierge, dont je défends ici la gloire, dans la possession du titre de Mère de Dieu, que l'hérésiarque Nestorius lui disputait, il n'y a point de titre d'honneur qui ne lui convienne, ni de qualité éminente qu'on puisse sans indiscrétion lui contester.* L. cit. — [2] *Un esprit raisonnable et sage, surtout un esprit bien prévenu à l'égard de Marie, et affectionné à son culte, car voilà le point, un esprit, dis-je, guéri de certains préjugés, ou dégagé, de certains intérêts, dans le choix de deux partis, s'il y en avait deux à prendre ne penchera-t-il pas toujours vers le plus favorable à la sainte Mère que nous révérons? Ne préférera-t-il pas, et ne l'embrassera-t-il pas, quand c'est d'ailleurs le mieux établi et le mieux fondé?* Ibid. — [3] Iudith, XV, 10.

quod divino decreto hominum Mater constituta fuerit in ordine ad salutem aeternam, hinc primo loco de officio Matris hominum disserendum erit (art. 1). At, quoniam Matris officium in Beatissima Virgine duo alia officia sponte consequuntur, videlicet officium Mediatricis, quo operâ suâ aliquid praestat apud Deum pro nobis, et officium Intercessoris, quo ad Deum orationem pro nobis porrigit, hinc postquam de officio Matris actum fuerit, subibit consideratio tum de officio Mediatricis, tum de officio Intercessoris (art. 4). Quoniam vero meditatio Beatae Virginis tam excellens fuit, ut in opere redemptionis humanae procuranda partem habuisse credenda sit, hinc disputationi de officio mediatricis (art. 2) singularis quaedam erit disputatio subnectanda, videlicet de cooperatione a Deipara praestita in opere salutis humanae, seu de officio Coredemptricis (art. 3).

Quapropter, quatuor hic quaeruntur.

Primo. De officio Matris hominum in Maria.

Secundo. De officio Mediatricis.

Tertio. De officio Coredemptricis.

Quarto. De intercessione Beatissimae Virginis Mariae.

Articulus I. — *De officio Matris hominum in Maria.*

1. — Maria hominum Mater. - Nil dulcius, sanctius nihil, aut frequentius resonat in ore populi christiani, quam ut Beata Virgo Mater nostra appelletur, quam et Ecclesia *misericordiae*, id est valde, *misericordem*, *Matrem* invocare non desistit. Igitur pretium operae hic erit momenta rimari, quibus catholica ista veritas innititur.

Et imprimis, quod Beata Virgo possit aliquo spirituali sensu vocari Mater nostra, evidentissime suadetur ex eo quod Christum vitae nostrae auctorem veraciter genuerit. In quo licet ita argumentari: Illa est vere Mater nostra in ordine supernaturali, quae vitam nobis spiritualem edidit: per hoc enim aliqua mulier constituitur mater in ordine temporali, quod vitam proli temporalem subministrat. Atqui Beata Virgo vitam nobis spiritualem edidit, cum genuerit

Christum, qui est vita animarum nostrarum, iuxta illud [1]: *Ego sum via, et veritas et vita.* Quapropter, a scriptoribus ecclesiasticis Maria saepe vocatur nova Eva, aut Evae correctio: sic, verbi gratia, pius quidem auctor dicit [2]: *Nova ista Eva Mater vitae appellatur, variegataque permanet, ad primitias vitae immortalis omnium viventium. Dicitur variegata, quia Salvatorem habens in utero, illos etiam gerebat omnes, quorum vitam continebat vita Salvatoris.*

2. — Inchoatio officii Matris hominum in Maria. — Porro, cum de ratione corporis sit ut *compactum et connexum* (sit) *per omnem iuncturam subministrationis* [3], ideo necesse est ut ea quae caput ediderit, membra quoque capiti cohaerentia progenuerit, in quae vita ex capite influitur. *Ac per hoc*, ait S. Augustinus [4], *illa una femina non solum spiritu, verum etiam corpore, et mater est et virgo. Et mater quidem spiritu, non capitis nostri, quod est Salvator, ex quo magis illa spiritualiter nata est.... sed plane mater membrorum eius quod nos sumus, quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt: corpore vero mater ipsius capitis.*

Quocirca dici potest Beata Virgo quodammodo incoepisse esse Mater hominum eo momento quo, mysterio Incarnationis consensum praebens, gravida facta est Verbi Dei. *Virgo*, ait S. Bernardinus Senensis [5], *per hunc consensum* (in Incarnationem Verbi), *omnium electorum salutem viscerosissime expetiit et procuravit; et omnium saluti et eorum salvationi per hunc consensum se singularissime dedicavit: ita ut ex tunc omnes in suis visceribus baiularet, tanquam verissima mater filios suos.* Igitur, sicut homines incipiunt esse fratres Christi per id quod Christus est homo factus, ita incipiunt esse filii spirituales Beatissimae Virginis per id quod ipsa Incarnationi consensum praebuit, dum verba protulit [6]: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

[1] Io., XIV, 6. — [2] Serm. de Annunt. Migne, P. G., t. XXVIII, col. 921. — [3] Eph., IV, 16. — [4] L. de S. Virgin., c. VI, t. VI, col. 343. — [5] Tract. de B. V., Serm. VIII, art. 2, c. II, ed. cit., tom. IV, p. 107. — [6] Luc., I, 38.

Pretium hic operae erit verba subnectere quibus Pius X rem istam prosequitur [1]: *Annon Christi Mater Maria? Nostra igitur et Mater est. Nam statuere hoc sibi quisque debet. Iesum, qui Verbum est caro factum, humani etiam generi Servatorem, esse. Iam, qua Deus-Homo, concretum Ille, ut ceteri homines, corpus nactus est: qua vero nostri generis Restitutor, spiritale quoddam corpus atque, ut aiunt, mysticum, quod societas eorum est, qui Christo credunt.* MULTI UNUM CORPUS SUMUS IN CHRISTO [2]. *Atqui aeternum Dei Filium non ideo tantum concepit Virgo ut fieret homo, humanam ex ea assumens naturam; verum etiam ut, per naturam ex ea assumptam, mortalium fieret Sospitator. Quamobrem Angelus pastoribus dixit:* NATUS EST VOBIS HODIE SALVATOR, QUI EST CHRISTUS DOMINUS [3]. *In uno igitur eodemque alvo castissimae Matris, et carnem Christus sibi assumpsit et spiritale simul corpus adiunxit, ex iis nempe coagmentatum qui crediturі erant in eum. Ita ut Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes, quorum vitam continebat vita Salvatoris. Universi ergo, quotquot cum Christo iungimur, quique, ut ait Apostolus,* MEMBRA SUMUS CORPORIS EIUS DE CARNE EIUS ET DE OSSIBUS EIUS [4], *de Mariae utero egressi sumus, tanquam corporis instar cohaerentis cum capite. Unde, spiritali quidem ratione ac mystica, et Mariae filii nos dicimur, et ipsa nostrum omnium Mater est.*

3. — Consummatio officii Matris hominum in Maria. — At vero a Deo definitum fuerat ut redemptio, et consequenter adoptio nostra, non nisi mediante Verbi acerbissima passione et morte in Cruce complerentur, ut vere esset *copiosa apud eum redemptio* [5]. Ut igitur perfecta esset operationum Dei circa hominem harmonia, decretum quoque fuit ut spiritualis Deiparae maternitas, et consequenter nostra relate ad eam adoptio, non complerentur, nisi cum ipsamet suum sacrificium, iuxta Crucem morientis Filii stans, perficeret; ita ut eo fere momento consummaretur Beatissimae Virginis spiritualis maternitas, quo Christi opus redemptivum *consummatum est* [6].

[1] In Encycl. *Ad diem illum*, 2 Febr., 1904. — [2] Rom., XII, 5. — [3] Luc., II, 11. — [4] Ephes., V, 30. — [5] Ps. CXXIX, 7. — [6] Io., XIX, 30.

4. - Propria huius articuli intentio. — Hic igitur proprie inquirendum proponitur de ista consummatione officii Matris in Beata Virgine relate ad Christi fideles, et consequenter de consummata adoptione quam ab ea recepimus in Calvario, quod hisce verbis S. Ioannes expressit [1]: *Cum vidisset ergo Iesus Matrem et discipulum stantem quem diligebat, dicit Matri suae: Mulier, ecce filius tuus; deinde dicit discipulo: Ecce mater tua; et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.*

5. — Advertendum. — Hic autem lectorem monemus, *adoptionem,* de qua hic agimus, per respectum ad Beatam Virginem, non debere sumi stricte, sed large; nam, cum adoptio sit *extraneae personae in filium et heredem assumptio,* proprie adoptare competit Deo, cui competit homines assumere in hereditatem, quae est ipsi propria, nempe in beatitudinem, qua ipse solus nativo iure dives est [2]; quapropter Beatae Virgini eo tantum pacto homines adoptare competit, quo a mulieribus aliqui quandoque assumuntur ut, annuente patrefamilias, communis hereditatis participes fiant. Quocirca fideles dicendi erunt filii Beatae Mariae Virginis, in quantum ipsa erga illos Matris munia in ordine spirituali exercet, ut fusius explicabitur infra.

6. — Verborum Christi sensus litteralis. — Porro, praedictorum Christi ad Matrem suam verborum duplex distingui potest sensus: alius *litteralis* seu historicus, ille scilicet ad quem pertinet significatio qua voces significant res, alius vero *spiritualis,* ad quem spectat significatio qua res significatae per voces, iterum res alias significant, qui sensus super litteralem fundatur [3].

[1] XIX, 26, 27. — [2] 3, Quaest. XXIII, art. 1. — [3] 1, Quaest. I, art. 10. Iuvabit heic transcribere canonem a S. Augustino invocatum, quo usus unius alteriusve sensus regitur. *Haic autem observationi,* ait, *qua cavemus figuratam locutionem, id est translatam, quasi propriam sequi, adiungenda etiam illa est, ne propriam quasi figuratam velimus accipere. Demonstrandus est prius modus inveniendae locutionis, propriane an figurata sit. Et iste omnino modus est, ut quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei

Iamvero, secundum sensum litteralem, Christus in Cruce moriens, discipulum suum virginem Virgini Matri commendavit, ut eum, loco sui, tanquam filium illa susciperet, vicissimque Ioanni Matrem commendavit, ut illius curam filialem haberet, unde *ex illa hora, accepit eam discipulus in sua*, εἰς τὰ ἴδια, seu *apud se*, ut habet Syrus et Arabus, aut etiam *in suam*, ut nonnulli legere malunt, scilicet *in suam matrem* [1]. Quocirca in hac commendatione, Ioannes loco Iesu mox ad Patrem reversuri ponebatur; et quia Christi, utpote Dei, verba, hanc efficaciam habent, ut quod significant efficiant, hinc Beatae quidem Virgini, matris, Ioanni vero, filii, veros propriosque affectus interna operatione communicavit. *Vices filii naturalis filius accipit adoptivus*, ait B. Arnoldus Bonaevallensis abbas [2], *et transfunditur in ambobus pietatis, unicae gratus concorsque complexus, non ex traduce naturae, sed ex munere gratiae* [3].

7. — Sensus spiritualis. — Quae cum de litterali horum verborum sensu constiterint, non quidem proprio, sed improprio, cum abunde constet Beatam Virginem Ioannem corporaliter non genuisse, modo de spirituali sensu quaeritur, ut determinetur Christum Matri suae non modo Ioannem dilectum discipulum, sed reliquos etiam fideles, spiritualiter commendari voluisse, iuxta illud S. Bernardini Senensis [4]: *Mystice igitur intelligimus in Ioanne omnes animas electorum quorum, per dilectionem, Beata Virgo facta est mater.*

---

veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas. Morum honestas ad diligendum Deum et proximum pertinet. Spes autem sua cuique est in conscientia propria, quemadmodum se sentit ad dilectionem Dei et proximi cognitionemque proficere. De Doctrina Christiana, lib. III, cap. X, n. 14. t. III, col. 49.

[1] Sic legit Ven. Beda (Migne, P. L., t. XCII, col 914); secundum autem S. Augustinum, *in sua* idem est ac *in officia*, quibus Ioannes Mariae diligenter et reverenter obsequebatur. Cf. S. Thom., Comment. in citatum locum S. Ioannis. Vide quae scripsimus in Diatessaron, Sect. CCCXXXVII, n. 7. — [2] Tract. III de Septem Verbis Domini, in app. Opp. S. Cypriani, Oxon., p. 45. — [3] Cf. S. Laurent. Iustin., de triumph. Christi Agone, c. 18. — [4] Serm. LI, art. I, c. III, tom. I, p. 257.

8. — PROP. — **Per praedicta Ioannis verba [1], α) Christus Beatam Virginem constituit Matrem omnium christifidelium; β) quod quidem Redemptionis oeconomiae convenientissimum erat.**

9. — **Prob. prima pars. — I. Theologicae rationes.** — Fundamentum huius propositionis in hoc reponitur, quod sensus spiritualis, praeter litteralem sensum, admittendus est, quoties *a) substrata materia*, *b)* aut *circumstantiae*, aut denique *c) verba* ab hagiographis *adhibita* id postulent. Atqui in casu, substrata materia, circumstantiae, necnon verba ab hagiographo adhibita postulant ut, praeter sensum litteralem, quo significatur Ioannem in Virginis filium cooptari, etiam spiritualis admittatur, quo omnes christifideles in Beatae Virginis filios constituuntur. Ergo Beata Virgo, per praefata verba, revera constituta est Mater omnium christifidelium.

Vis *maioris* residet in hoc quod, ut ait Angelicus [2], *cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia* (Scriptura), *quod ipsae res significatae per voces etiam significant aliquid.* Cui conforme est illud S. Gregorii [3]: (Sacra Scriptura) *scientias omnes atque doctrinas ipso etiam locutionis suae more transcendit, quia uno eodemque sermone, dum narrat textum, prodit mysterium.*

10. — **Evolvitur minor.** — Imprimis, *a)* **substrata materia** postulat ut Christi verba ad Mariam et Ioannem intelligantur hoc sensu, quod Ioannes totam tunc fidelium congregationem repraesentaret. Revera, *testabatur de Cruce Christus*, ait S. Ambrosius [4], *et testamentum eius signabat Ioannes, dignus tanto testatore testis.* Atqui indecens fuisset ut ille, qui erat universalis hominum Salvator, in ultima illa sua voluntate, de solis Matris suae et Ioannis personis sollicitus esset; sed congruum erat ut qui omnium Redemptor existebat, in ipso actu consummandi suum sacrificium, ad omnes qui in se credituri erant curam extenderet, illos Matri suae

[1] XIX, 26, 27. — [2] 1, Quaest. I, art. 10. — [3] L. XX Mor., c. 1, t. I, p. 448. — [4] L. X Exposit. in Luc., super illud: *Tradidit spiritum*, n. 131, t. III, col. 334.

commendando. Quocirca, sicut in crucifixoribus omnes peccatores, et in bono latrone omnes vere poenitentes, in malo autem latrone omnes increduli obumbrantur, ita in Ioanne iure meritoque omnes christifideles, quos diligit Christus, censendi sunt repraesentati [1].

11. — *b*) **Circumstantiae** quoque idipsum postulare videntur. Quod enim ultimo vitae Christi mortalis tempore, in loco maxime publico et coram multis testibus, haec commendatio facta fuerit, sat evincit ibi non de Ioanne tantummodo agi, sed etiam, imo maxime, de omnibus illis qui fidem in Christum Redemptorem accepturi erant. Si enim de solo Ioanne actum fuisset, illa commendatio potius fieri debuisset ante Christi passionem, cum videretur quod tunc potissime et Beata Virgo aliquo indigeret qui sibi filii vices suppleret, et Ioannes Virginis protectione confirmandus foret, ne in fide deficeret. Rursus, si singularem tantummodo commendationem Christus intendisset, non debuisset hanc suam voluntatem in loco tam publico, qualis erat Calvarius, et coram tot ac tam diversis testibus, propalare.

Pariter, tempus quod Christus ad hanc suam voluntatem manifestandam elegit, idipsum confirmat, quod scilicet fuit quando anima eius Matris summo dolore transfixa est. Revera, cum anima violentiori quadam passione agitatur, facilius potest aliarum passionum impressionem suscipere. Ergo si Christus hanc commendationem tunc fieri decrevit cum Beatae Virginis animam, iuxta Simeonis prophetiam [2], *doloris gladius pertransivit*, signum est illum voluisse ut summa materni amoris passio, quae est amor, in illius corde tunc vehementer excitaretur, cuius quidem solus Ioannes fuisset impar obiectum, sed cuius totum fidelium genus erat obiectum omnino adaequatum [3].

[1] Cf. Ventura, La Mère de Dieu, Mère des hommes, c. VI. Legendum est totum illud opus, quo martyrium Deiparae sub Cruce Domini egregie explicatur. Pélagaud, Lyon, Paris, 1868. — [2] Luc., II, 35. — [3] Cf. Bossuet, 2me Sermon sur la Nativité de la Sainte Vierge, 2me point, Œuvres, t. II, p. 687.

12. — *c*) Denique **verba ipsa** a Christou surpata ostendunt, per Ioannem, omnes christifideles tunc comprehensos fuisse. Nam primo quidem, Christus Mariam nomine mulieris, non matris, alloquitur, quasi innuere velit, gloriosam hanc Virginem nedum esse *mulierem* illam *fortem* a Salomone praedictam [1], quae virtute praestans ac generosa, Christi cruciatus sub Cruce dividere debebat, sed potissime illam esse secundam Evam, quae spiritualem progeniem ad beatam patriam a prima Eva perditam reductura erat. Deinde semetipsum Evangelista non sub nomine *Ioannis* designat, sed sub nomine *discipuli*, et quidem discipuli quem diligebat Iesus; unde, deserentibus Christum aliis discipulis, ille unus divinitus ad Crucem adducitur, ut in ipso tota fidelium et filiorum Dei universitas repraesentetur.

C'est donc, concludit Bossuet [2], *tout le peuple nouveau, c'est toute la société de l'Eglise que Jésus recommande à la Sainte Vierge en la personne de ce cher disciple : et par cette divine parole, elle devient non seulement mère de saint Jean, mais encore de tous les fidèles. Et par là ne voyez-vous pas, selon la pensée de saint Epiphane, que la bienheureuse Marie est l'Eve de la nouvelle alliance et la mère de tous les vivants, unie spirituellement au nouvel Adam, pour être la mère de tous les élus* [3] ?

13. — **II. Ecclesiae traditio.** — Cum iam ex verbis S. Ioannis deduxerimus, Beatissimam Virginem a Deo constitutam fuisse hominum Matrem, praestat nunc ad Patrum Doctorumque testimonia recurrere, ut videatur quomodo haec veritas in Ecclesiae traditione fuerit consignata. Ubi tamen distinguendum est ipsummet dogma de spirituali erga nos Beatae Virginis maternitate, ab interpetatione eiusdem ex citato Ioannis textu; et primum quidem iam inde ab Ecclesiae primordiis quasi praesensum, a nonnullis inter antiquos Patres sat expresse ponitur; posterum vero nonnisi serius, saeculo videlicet duodecimo aut tertiodecimo, peractum fuisse perhibetur.

[1] Prov., XXXI, 10. — [2] Sermon sur le Rosaire. Œuvres, t. II, p. 808. — [3] Vide Alex. M. Planch, O. S. M., *Vita B. M. V.*, etc. p. 213.

a) Et primum quidem, videlicet Deiparam hominum Matrem fuisse constitutam, ita a S. Epiphanio exprimitur [1]: *A Maria Virgine vita ipsa est in mundum introducta, ut viventem pariat, et viventium Maria sit mater.* Accedit S. Ambrosius qui, expendens illud [2]: *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis*, ait [3]: *In quo Virginis utero simul acervus tritici et lilii floris gratia germinabat: quoniam et granum tritici generabat et lilium... Sed quia de uno grano tritici acervus est factus*, etc. Pariter Eadmerus [4]: *Sicut Deus sua potentia parando cuncta, Pater est et Deus omnium, ita Beata Dei Genitrix Maria, suis meritis cuncta reparando, mater est et domina rerum*; et alibi [5]: *O beata fiducia, o totum refugium! Mater Dei est Mater nostra... Qua igitur certitudine debemus sperare... quorum sive salus sive damnatio de boni fratris et de piae matris pendet arbitrio?* Nec tacendus Gulielmus, abbas S. Theoderici, qui ait [6]: *In illo uno fructu, in uno Salvatore omnium Iesu, plurimos Maria peperit ad salutem. Pariendo vitam, multos peperit ad vitam.* Denique S. Bonaventura scribit [7]: *Domina nostra omnes nos genuit caelo, unde Ecclesiasticus* [8]: TRANSITE AD ME OMNES, QUI CONCUPISCITIS ME, ET A GENERATIONIBUS MEIS IMPLEMINI. *Generationibus dicit, quia unum genuit carnaliter, omne tamen genus humanum genuit spiritualiter.*

b) Inter scriptores ecclesiasticos, qui sive explicitam sive saltem implicitam allusionem ad citatum S. Ioannis locum fecerunt, ut inde eruerent spiritualem Deiparae maternitatem relate ad omnes christifideles, primus audiatur B. Albertus Magnus, qui ait [9]: (Maria) *habens in utero Filium quem sine dolore peperit in nativitate, clamavit interius in corde martyrizata in Filii passione, parturiens, quando ipsum vidit pendentem in Cruce.* Similiter, pius quidam auctor, sub

[1] HAER., LXXVIII, n. 18, t. II, l. III, p. 1050. — [2] CANT., VII, 2. — [3] L. DE INST. VIRG., c. 14, t. IV, col. 337, n, 91. — [4] L. DE EXCELLENTIA VIG. MAR., c. 11, inter opera S. Anselmi, t. III, p. 249. — [5] Or. LI AD SANCT. VIRG. MAR., — [6] IN CANT., V, 48. in App. Opp. S. Ambrosii, t. I, col. 1598. Paris, 1686.. — [7] Sermo VI in Assumpt. B. M. V., t. IX, p. 706. — [8] XXIV, 26. — [9] L. IV, in Laud. B. M. V., c. XIV, n. 1, p. 209, Parisiis ed. Vives, t. 36. Cf. De sac. B. M. V., t. 37, p. 85-87. Q. super Ev. 44.

nomine S. Bonaventurae, ait [1]: *Duo filii Mariae sunt. Homo Deus, et homo purus; unius corporaliter et alterius spiritualiter mater est Maria.* Pariter S. Antoninus [2]: *Sicut Christus nos genuit verbo veritatis ad esse spirituale gratiae... crucem patiendo, ita et Beata Virgo nos genuit et peperit in maximis doloribus Filio compatiendo.*

Unde pulcre concludit B. Card. Bellarminus [3]: *Quam bene nobis erit sub praesidio tantae Matris! Quis nos detrahere audebit de sinu eius? Quae nos tentatio, quae tribulatio superare poterit, confidentes in patrocinio Matris Dei et nostrae?*

14. — Prob. secunda pars, nempe *conveniens fuisse oeconomiae redemptionis ut Deus hominibus Beatam Virginem Matrem suam decerneret.*

α) Cum duplex detur fecunditas, alia in natura, alia in spiritu, duplex quoque generatio sit oportet, alia naturalis, alia spiritualis. Atqui Pater aeternus, in generatione naturali Filii sui Unigeniti, sibi consociavit Beatissimam Virginem. Ergo conveniens fuit ut etiam in generatione adoptiva multorum filiorum, eamdem Beatissimam Virginem sibi consociaret; unde illam revera sibi consociavit qui, ad peccatores salvandos, *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* [4]. Audiatur iterum Bossuet [5]: *Après que nous avons vu que ces deux fécondités différentes sont en Dieu comme dans leur source, voyons si nous pouvons découvrir qu'elles soient communiquées à Marie... Ce n'est pas assez qu'elle soit associée au Père éternel comme Mère de son Fils unique; celui qui lui donne son propre Fils qu'il engendre par sa nature, lui refusera-t-il les enfants qu'il adopte par sa charité?*

β) Christus homo factus est, ut nos sibi similes faceret, iuxta illud [6]: *Debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret*; nos vero similes sibi fecit, constituendo sui coheredes per adoptionem: *Si filii, et heredes; heredes quidem*

[1] In Spec., lect. III, inter Opp. S. Bonav., t. VII, p. 454. Romae, 1596. — [2] IV Part., tit. XIII, c. 10. — [3] De Septem Verbis, l. I, c. 12, t. VIII, col. 1714. — [4] Rom., VIII, 32. — [5] Sermon sur le Rosaire, l. c., etc., pp. 809, 810. — [6] Hebr., II, 17.

Dei, coheredes autem Christi [1]. Atqui sicut Christus est Filius Dei naturalis, ita etiam est Virginis filius naturalis. Ergo per ipsum et in ipso, non modo constituimur filii adoptivi Dei, sed etiam filii adoptivi Beatissimae Virginis.

15. — Corollarium I. — Ex hisce consequitur, primo, *Beatissimam Virginem Christifideles spiritualiter genuisse.*

Nam generatio haec, licet analogica sit et metaphorica, tamen vera generatio existit, quo sensu S. Paulus ad Galatas scribens, aiebat [2]: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*; et ad Philemonem [3]: *Obsecro te pro filio meo Onesimo, quem genui in vinculis*; quo etiam sensu S. Iacobus ait de Deo [4]: *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius.* Quod pulcre iterum explicat Bossuet [5]: *Oui, cette charité maternelle, qui se fait des enfants par sa tendresse, elle a des entrailles où elle les porte, elle a des mamelles qu'elle leur présente, elle a un lait qu'elle leur donne ; et c'est ce qui fait dire à saint Augustin, que la charité est une mère, et que la même charité est une nourrice:* CARITAS MATER EST, CARITAS NUTRIX EST. Ergo fideles rursus nascituri, *non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi* [6], parturiuntur et generantur a Beatissima Virgine.

16. — Corollarium II. — Praeterea, *Beatissima Virgo erga christifideles Matris munia gerit.*

Mater enim, sub impulsu materni, quo accenditur, amoris, prolem debet omni cura et sollicitudine prosequi, illam dirigendo et instruendo in via salutis aeternae, pascendo salubri pabulo, protegendo in periculis, ab hostibus defendendo, in afflictionibus solando, in necessitatibus fovendo. At historia abunde testatur, quam alacriter Maria ista officia materno affectu erga christifideles omni tempore gesserit; unde ab Ecclesia iure meritoque in vocatur, *Stella matutina, Ianua caeli, Turris davidica, Consolatrix afflictorum, Refugium peccatorum, Salus infirmorum*, etc.

[1] ROM., VIII, 17. — [2] IV, 19. — [3] Vers. 10. — [4] I, 18. — [5] Loco prox. cit. — [6] 1 PET., I, 23.

Quod confirmatur antiqua traditione, qua docemur, Apostolos ac priscos fideles plura circa fidei mysteria ab ipsa accepisse, plurimumque solamen atque auxilium. Qua in re egregie scribit Suarez [1]: *Credibile est* (Mariam) *in consolandis ac spiritualiter iuvandis fidelibus saepe occupatam fuisse. Unde Beatus Ignatius, Ep. 3 ad Mariam* [2], *eam deprecatur ut se confortare et consolari dignetur. ad quem Beata Virgo rescripsit, eum confirmans in fide, et ad persecutiones sustinendas erigens, eique adventum suum cum Ioanne Evangelista ad Antiochenam ecclesiam invisendam pollicetur. Et Epiphanius* [3], *dubitat an Beata Virgo cum Ioanne in Asia profecta sit. Patres autem Concilii Ephesini* [4] *affirmant ipsam cum Ioanne Evangelista Ephesinorum civitatem incoluisse. Quod si ita factum est, propter proximorum salutem et Ecclesiae augmentum sine dubio peractum est.*

17. — Quaestio. — *An Beata Virgo sit Mater omnium hominum?*

Resp. Cum in tantum Mariae filii simus, in quantum ad Christum pertinemus, ideo Beata Virgo diverso modo dicenda est hominum Mater, secundum quod isti rationibus diversis ad Christum pertinere censentur.

Iamvero, α) sunt aliqui qui nec sunt Christo actu uniti, nec sunt in potentia ut ipsi uniantur, et isti totaliter desinunt esse filii Mariae, ut sunt damnati; β) sunt autem aliqui qui actu Christo ne fide quidem uniuntur, possunt tamen ei uniri, et forsan aliquando unientur, et istorum Beata Virgo est mater tantummodo in potentia, ut sunt infideles; γ) alii vero actu uniuntur Christo per fidem, sed caritate carent, et isti sunt Mariae filii actu, non tamen simpliciter, sed tantummodo secundum quid, quales sunt mali christiani; δ) alii autem actu uniuntur Christo per caritatem viae, et horum Maria est simpliciter actu Mater, quales sunt iusti in hoc

[1] Disput., XVIII, Sect. II. — [2] Hanc epistolam spuriam esse, eruditi historiae ecclesiasticae facili negotio demonstrant. — [3] Haeres., LXXVIII. — [4] In Epistola Synodica, c. 26. At ex Concilii textu erui tantum potest ecclesias Ephesi in honorem B. V. et S. Ioannis serius aedificatas fuisse.

mundo viventes; denique ε) alii sunt qui ita actu Christo uniuntur per fruitionem patriae, ut nunquam possint ab eo divelli, ut sunt beati, et horum Maria est principaliori et excellentiori modo Matér [1].

18. — Difficultas. - Quod Maria sit hominum Mater sensu exposito, potest dici veritas catholica, ad fidem proxime pertinens, ita ut illud negare nedum temerarium sit, sed etiam haeresim sapiat; haec enim veritas, licet nunquam expresse fuerit definita, fixa tamen manet universaliter in corde et ore populi christiani: aliunde, ut ait S. Augustinus [2], *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.*

Stante igitur catholico dogmate, difficultas moveri potest, non contra ipsum dogma, sed contra dogmatis superius adductam ex Sacra Scriptura probationem. Ista enim probatio ex Ioanne desumpta [3], fulcitur sensu non litterali, sed mystico, ut dictum est; atqui, secundum doctrinam Angelici in scholis receptam, ex sensu litterali *solo potest trahi argumentum, non autem ex iis quae secundum allegoriam dicuntur, ut dicit Augustinus in Epistola contra Vincentium Donatistam* [4]. Crescit autem difficultas ex iis quae S. Thomas addit, nempe *nihil sub spirituali sensu contineri fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat.* Atqui in Sacrae Scripturae littera non habetur quod Beata Virgo sit christifidelium Mater.

19. — Responsiones. — Huic difficultati responderi potest, imprimis Angelici verba non omnino universaliter intelligi debere, ut etiam constat ex ipsius Augustini auctoritate, quem se in loco adducto sequi velle evidenter ostendit, et qui scribit [5]: *Nihil enim* FERE *de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.* Unde sancti

[1] Cf. 3, Quaest. VIII, art. 3. — [2] De Bapt. contra Donatist., l. IV, c. 24, n. 31, t. IX, col. 141. — [3] XIX, 26, 27. — [4] 1, Quaest. I, art. 10, ad 1[m]. — [5] L. II de Doctr. Christi, c. 6, n. 8, t. III, par. I, col. 22.

Thomae verba intelligenda sunt de explicitioribus fidei nostrae dogmatibus, conformiter iis quae tradit idem Augustinus [1]: *In iis quae* APERTE *in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia quae continent fidem moresque vivendi;* qui alibi scribit [2]: *Multa dicuntur submissis et humi repentibus animis accommodatius, ut per humana in divina consurgant, multa etiam figurate, ut studiosa mens et quaesitis exerceatur utilius et uberius laetetur inventis.*

Deinde dici potest, maternitatem Mariae relate ad homines sensu mystico citatis verbis significatam, mox, sequentibus scilicet verbis, litteraliter proponi; addit enim sacer Textus [3]: *Et ex illa hora, accepit eam discipulus in sua.* Non dicit *Ioannes*, quod nomen proprium est, sed *discipulus*, quod est nomen commune omni Christi discipulo. Quod ex eo confirmatur, quod in modo loquendi Sacrae Scripturae, filius, nempe spiritualis, de quo solum hic agitur, idem ipse est ac discipulus, iuxta illud S. Pauli [4]: *Per Evangelium ego vos genui;* unde celebre dictum S. Ambrosii [5]: *Neque enim minus vos diligo, quos in Evangelio genui, quam si coningio suscepissem: non enim vehementior est natura ad diligendum, quam gratia.*

Forsan iam fuerat haec eadem veritas litterali sensu praenuntiata in illa celebri Simeonis prophetia [6]: *Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israël, et in signum cui contradiceretur; et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*, quod graece ita legitur: ἰδοὺ, οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν ἐν τῷ Ἰσραὴλ καὶ εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον· καὶ σοῦ αὐτῆς τὴν ψυχὴν διελεύσεται ῥομφαία, ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί.

Imprimis, convenit supradicta sententia ordini divinae oeconomiae: nam, sicut Beatae Virgini per angelum Deus praenuntiari voluit quod ipsa futura esset Mater Filii sui: *Ecce concipies et paries Filium*, etc., ita conveniens fuit ut per hominem magnae sanctitatis, qualis erat Simeon, eidem

[1] L. cit., c. 9, n. 14, col. 24. — [2] L. de Mor. Eccl., c. 17, t. I, col. 698, n. 30. — [3] Io., XIX, 27. — [4] 1, Cor., IV, 15. — [5] L. I, de Offic., c. 7, t. IV, col. 29, n. 24. — [6] Luc., II, 34, 35.

Matri Dei praenuntiaretur quod ipsa futura esset, modo consummato, hominum mater.

Nec deest ratio ad id suadendum, scilicet in citatis verbis, maternitatem spiritualem Beatae Virginis relate ad homines praesignari. Primo enim satis aperte constat, verba prophetiae Simeonis referenda esse ad tempus quo Christus in Cruce contingendus erat, ut habent communiter interpretes, quando scilicet ipsemet factus est, κατ᾽ ἐξοχήν, *in signum contradictionis* vel *contentionis*, ut vertunt Syrius et Arabicus, aut *in signum contradicibile*, ut habet Tertullianus [1]; iuxta illud [2]: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem. — Ille doloris gladius*, ait S. Birgitta [3], *cordi Virginis omni hora tanto se propius approximabat, quanto suus dilectus Filius passionis tempori magis appropinquabat.*

Atqui doloris gladius, qui figurative quidem, attamen secundum sensum litteralem, animam Beatae Virginis pertransiturus praedicitur, ab alio causari non potuit, nisi quia tunc constituenda foret consummate et perfecte hominum mater; non enim aliter gladio confodi eius anima poterat, nisi quatenus ipsamet Filium in Cruce pendentem Deo Patri offerret; quam oblationem unice tanquam hominum Mater perficere poterat. Nullum autem maiorem dolorem Beatissima Virgo unquam pati potuit dolore quem sustinuit, cum pro filiis, quos tunc sub Cruce parturiebat, primogenitum suum, Dei voluntati perfectissime consentiens, tradebat [4]. Unde Christus ipse S. Birgittae revelasse fertur [5]: *Maria, Mater mea, propter compassionem et caritatem, facta est Mater omnium in caelis et in terra.*

19. — **Verba Leonis XIII.** — Iuvat hanc dissertationem claudere egregiis verbis quibus Summus Pontifex Leo XIII Beatissimam Virginem praedicat et extollit, tanquam omnium christifidelium Matrem. *Eximiae in nos caritatis Christi mi-*

[1] De Carne Christi, c. 23. — [2] Rom., X, 21; cf. Is., LXV, 2. — [3] Revel. Serm. Angeli, c. XVII, p. 787, ed. Romae, 1606. — [4] De hac re fusius infra tractabitur, cum agetur de Mariae officio Coredemptricis, art. 3. — [5] Revel., l. VIII, c. 12, p. 708.

sterium, ait ille [1], *ex eo quoque luculenter proditur, quod moriens Matrem ille suam Ioanni discipulo Matrem voluit relictam, testamento memori:* ECCE FILIUS TUUS. *In Ioanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam humani generis, eorum in primis qui sibi ex fide adhaerescerent: in qua sententia sanctus Anselmus Cantuariensis:* QUID, *inquit* [2], POTEST DIGNIUS AESTIMARI QUAM UT TU, VIRGO, SIS MATER QUORUM CHRISTUS DIGNATUR ESSE PATER ET FRATER? *Huius igitur singularis muneris et laboriosi partes ea suscepit obiitque magnanima, consecratis in Caenacula auspiciis. Christianae gentis primitias iam tum sanctimonia exempli, auctoritate consilii, solatii suavitate, efficacitate sanctarum precum admirabiliter fovit; verissime quidem mater Ecclesiae, atque magistra et regina Apostolorum, quibus largita etiam est de divinis oraculis quae conservabat in corde suo.*

Ad haec vero dici vix potest, quantum amplitudinis virtutisque hunc accesserit, cum ad fastigium caelestis gloriae, quod dignitatem eius claritatemque meritorum decebat, est apud Filium assumpta. Nam inde, divino consilio, sic illa coepit advigilare Ecclesiae, sic nobis adesse et favere mater, ut quae sacramenti humanae redemptionis patrandi administra fuerat, eadem gratiae ex illo in omne tempus derivandae esset pariter administra, permissa ei paene immensa potestate. Hinc recte admodum ad Mariam, velut nativo quodam impulsu adductae, animae christianae feruntur: cum ipsa fidenter consilia et opera, angores et gaudia communicant, curaeque ac bonitati eius se suaque omnia filiorum more commendant.

ARTICULUS II. — *De officio Mediatricis in Maria.*

1. — Ratio articuli. — Ex quo Beatissima Virgo constituta fuerit a Deo in ordine salutis aeternae fidelium Mater, sponte sequitur illam Mediatricis ad Deum erga nos officio perfungi; sic enim Leo XIII, post praefata verba, quibus exponit gloriosam Virginem esse hominum Matrem,

[1] Encycl. ADIUTRICEM, 5 septem., 1895. *Act. Leonis XIII*, t. XV, p. 302. — [2] OR. XLVII, OLIM., XLVI.

rem hanc declarat: *Hinc rectissime delata ei in omni gente omnique ritu ampla praeconia, suffragio crescentia saeculorum: inter multa, ipsam Dominam nostram, Mediatricem nostram* [1], *ipsam Reparatricem totius orbis* [2], *ipsam donorum Dei esse conciliatricem* [3].

Hunc igitur mediatricis titulum, quem novatores a Deipara tanquam Christi dignitati derogatorium auferre frustra conati sunt, in praesenti articulo, iuxta Ecclesiae catholicae fidem, tum vindicare, tum expendere simul ac illustrare, ipsamet opitulante gloriosissima Virgine, satagemus.

2. - Quid ad mediatoris officium pertineat. — Porro, ad hanc veritatem demonstrandam, simulque ad determinandum quid hoc mediatricis nomine importetur, opportunum erit ex Angelico Doctore repetere, in quonam mediatoris officium ratione consistat. *Ad mediatoris officium*, ait ille [4], *proprie pertinet coniungere et unire eos inter quos est mediator, nam extrema uniuntur in medio.* Ex quo sequitur, in mediatore posse duo considerari, quorum alterum est medii ratio, alterum vero officium coniungendi. Et quidem, ad rationem medii pertinet quod distet ab utroque extremorum; ad officium vero coniungendi spectat, quod mediator ea quae sunt unius, ad alterum deferat [5].

Cum igitur homo per peccatum fuerit a Deo aversus, ad mediatoris proprie officium pertinet homines Deo reconciliare et ita ei coniungere, satisfactionem pro hominibus eidem deferendo, hominibus autem vicissim divina beneficia impetrando.

3. — Duplex mediatoris ratio. - Iamvero, dupliciter potest quis mediatoris munus exercere: primo, *principaliter* et *perfective*, secundo, *ministerialiter* et *dispositive*. Primo modo, mediator est solus Christus secundum quod homo est, qui est *perfectus Dei et hominum mediator, in quantum per suam mortem, hominum genus Deo reconciliavit*, ait S. Tho-

[1] S. Bernardus, Serm. II IN ADV. DOMINI, t. II, p. 4. — [2] S. Tharasius, OR. IN PRAESENT. DEIP. — [3] IN OFFIC. GRAEC., VII dec., Θεοτοκίον, post Oden IX. — [4] 3, Quaest. XXVI, art. 1. — [5] IBID., art. 2.

mas [1]. Quapropter Apostolus ait [2]: *Unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus;* rationem autem cur Christus sit unicus principalis mediator, idem S. Paulus explicat, immediate subiungens [3]: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Unde in Christo et per Christum perfecta est nostra ad Patrem reconciliatio, iuxta illud [4]: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

Quae cum ita de fide constiterint, iam de mediatione quaeritur in sensu secundario, scilicet in quantum quis *ministerialiter* et *dispositive* cooperatur cum Christo ad unionem hominum cum Deo complendam. Quibus ita declaratis, sit

4. — PROP. — Deus hominibus Beatissimam Virginem ad mediatorem Christum excellentissimam mediatricem benignissima miseratione promisit.

5. — Explicatur. — Huius propositionis, quae ad fidem catholicam spectat, ultima verba sunt sancti Bernardi [5]. Idipsum habetur in Bulla *Ineffabilis* Pii IX, hisce verbis: (Beatissima Virgo est) *totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum Mediatrix et Conciliatrix* — Potest autem haec veritas ex *Scripturis* erui, argumento deprompto ex eo quod, cum Christus de seipso dixerit [6]: *Ego sum via, et veritas, et vita*, Deipara vicissim inducitur in Proverbiis de semetipsa dicens [7]: *In me gratia omnis viae et veritatis: in me omnis spes vitae et virtutis;* quasi gratiam et spem perveniendi ad viam, veritatem et vitam, quae Christus est, per Mariam promissas habeamus.

Dicitur autem hic Beata Virgo *mediatrix ad Christum mediatorem*, ut significetur mediationem ad Deum ipsi tribui tantummodo sensu secundario, scilicet ministerialiter et dispositive; ut autem indicetur illam, in mediatione praestanda, omnibus Sanctis longe antecellere, *excellentissima* appellatur mediatrix.

[1] Ibid., art. 1. — [2] 1 Tim., II, 5. — [3] Vers. 6. — [4] 2 Cor., V, 19. — [5] Serm. I de duodecim praerogativis B. V. Mariae, in verbis Apoc. in Sign. Magn., t. II, p. 124. — [6] Io., XIV, 6. — [7] Eccli., XXIV, 25.

6. — Prob. I. Ex rat. theol. — α) Ex Immaculato Beatae Virginis Conceptu. — Cum ad mediatorem pertineat ut ab utroque extremorum distet, ea in seipso quodammodo coniungens, hinc Beata Virgo, utique Deo natura inferior, gratia tamen ita omnibus hominibus superior, ut perfectam innocentiae et sanctitatis formam referat, media inter Deum et genus humanum merito agnoscenda est, illud in semetipsa Deo inchoative reconcilians, quam reconciliationem Christus in seipso completurus et perfecturus erat. Quapropter Maria, omni carens macula, rite habenda est tanquam splendidissima aurora, meridianum iustitiae solem praenuntians.

7. — β) Ex opera Mariae in reconciliatione generis humani. — Ad officium mediatoris, qui talis est dispositive et ministerialiter, spectat operam conferre cum Christo in reconciliandis hominibus Deo. Atqui, nullus unquam talem operam relate ad Christum contulit, in reconciliandis hominibus cum Deo, qualem praestitit Beatissima Virgo Maria. Ergo Deus hominibus Beatissimam Virginem ad Christum mediatorem dedit, tanquam excellentissimam mediatricem.

Minorem ita exponit Summus Pontifex Leo XIII [1]: *Nemo etenim unus cogitari quidem potest, qui reconciliandis Deo hominibus parem atque illa operam vel unquam contulerit, vel aliquando sit collaturus. Nempe ipsa ad homines, in sempiternum ruentes exitium, Servatorem adduxit, iam tum scilicet cum pacifici sacramenti nuncium, ab Angelo in terras allatum, admirabili assensu, loco totius humanae naturae, excepit* [2]: *ipsa est de qua natus est Iesus, vera scilicet eius Mater ob eamque causam digna et peraccepta ad mediatorem mediatrix.* Quibus verbis consona sunt quae habet Pius X [3]: *Quid enim? Annon potuisset Deus restitutorem humani generis ac fidei conditorem alia, quam per Virginem, via impertiri nobis? Quia tamen aeterni providentiae Numinis visum est ut Deum-Hominem per Mariam haberemus, quae illum, Spiritu Sancto fecunda, suo gestavit utero, nobis nil plane superest, nisi quod de Mariae manibus Christum recipiamus.*

[1] In Encycl. *Fidentem*, 20 sept., 1896. Act. Vol. XVI, p. 282. — [2] 3, Quaest. XXX, art. 2, ad 1[m]. — [3] In Encycl. *Ad diem illum*, 2 februar., 1904.

8. — γ) **Ex eo quod per Mariam fides promota fuit.** — Prima conditio quae requiritur ad hoc ut quis a Christo mediatore reconciliationis gratiam percipere valeat, est fides. Atqui hoc ad Beatam Virginem singulari iure pertinet, quod per ipsam speciali quadam ratione homines Christi fidem acceperint. Ergo merito Beata Virgo praedicatur ad mediatorem Christum excellentissima mediatrix.

Audiatur iterum Leo XIII qui hanc rem explicitis verbis declarat. *Et quoniam*, ait ille [1], *munerum divinorum, quibus homo supra naturae ordinem perficitur ad aeterna, fundamentum et caput est fides, ad hanc ideo assequendam salutariterque excolendam, iure extollitur arcana quaedam eius actio, quae auctorem edidit fidei, quaeque ob fidem beata est salutata: Nemo est, o sanctissima, qui Dei cognitione repleatur, nisi per te; nemo est qui salvetur, nisi per te. o Deipara; nemo qui donum ex misericordia consequatur, nisi per te* [2]. *Neque is nimius certe videbitur qui affirmet, eius maxime ductu auxilioque factum, ut sapientia et instituta evangelica per asperitates offensionesque immanes, progressione tam celeri ad universitatem nationum perraserint, novo ubique iustitiae et pacis ordine inducto. Quod quidem S. Cyrilli Alexandrini animum et orationem permovit, ita Virginem alloquentis: Per te Apostoli salutem gentibus praedicarunt ..: per te Crux pretiosa celebratur toto orbe et adoratur...: per te fugantur daemones, et homo ipse ad caelum revocatur: per te omnis creatura idolorum errore detenta, conversa est ad agnitionem veritatis: per te fideles homines ad sanctum baptisma pervenerunt, atque Ecclesiae sunt ubivis gentium fundatae* [3].

9. — **Explicatur quo pacto fides catholica, per veram fidem in Deiparam, promoveatur.** — Ut autem clare appareat quo pacto catholica fides ex recta et sincera fide in Mariam incrementum accipiat, advertendum est, primo, fidem nostram maxime exerceri circa sanctissimam Eucharistiam, in qua quodammodo continentur virtualiter omnia

[1] Encycl. Adiutricem, 5 sept. 1895; *Acta Leonis XIII*, XV, p. 303. — [2] S. Germanus Const. Or. II, in Dormit. B. M. V. — [3] Hom. contra Nestorium.

credenda, unde et dicta est *mysterium fidei* [1]: consequenter unus actus fidei in praesentiam Domini nostri in hoc sacramento virtualiter aequivalet tot actibus quot sunt articuli fidei. Atqui fides vera et sincera in Beatam Virginem singulariter praeparat et disponit hominem ad fidem erga sanctissimam Eucharistiam, ut patet ex duobus.

Primo, ex facto: nam quo maior est fides in Deiparam, eo etiam vividior est fides in Eucharistiam: e contra, ubi abest prior, abest et altera. Sic protestantes, qui abiecerunt fidem in Mariam, fidei quoque in Eucharistiam valedixerunt; graeci vero schismatici unam et alteram conservaverunt; ritualistae autem, qui ad Eucharistiam revertuntur, Mariae quoque cultum instaurare nituntur.

Secundo, idipsum patet ex ratione: nimirum, difficultas credendi in Eucharistiam oritur ex eo quod, ut habet Leo XIII, ibi habetur miraculum, in suo genere maximum, quod *miracula comitantur innumerabilia: hic enim omnes naturae leges intermissae* [2]. Atqui Eucharistia, fatente eodem Pontifice, *Incarnationis continuatio quaedam et amplificatio censenda est* [3]. Patet ergo illud medium, quo fides in Incarnationem promovetur, valere quoque ad promotionem fidei in Sanctissimam Eucharistiam. Atqui nihil magis ordinatur ad augendam fidem in Incarnationem, quam vera et sincera existimatio de Virginis Deiparae maternitate, per quam nobis hoc insigne beneficium provenit. Ergo vera et sincera fides in Beatissimam Virginem habenda est tanquam potentissimum medium ad promotionem fidei catholicae in anima; unde etiam dicitur: *Gaude, Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti in universo mundo* [4].

10. — Prob. II. Ex Ecclesiae traditione. — Praeclara quoque sunt hac in re Patrum et Doctorum testimonia, quae huc omnia collineant, ut ostendant Mariam, in opere re-

[1] *Hoc nimirum uno* (miraculo), aiebat Leo XIII (Epist. Encycl. *Mirae caritatis* 28. Maii. 1902), *quaecumque supra naturam sunt, singulari quadam miraculorum copia et varietate, universa continentur:* MEMORIAM FECIT MIRABILIUM SUORUM, etc. Ps. CX. 4. — [2] IBID. — [3] IBID. — [4] Antiph. in III Noct. in Festis B. M. V.

demptionis humanae, mediatricis officio fuisse perfunctam. Sequentes Patres adduxisse sufficiat, qui Ecclesiae tum graecae, tum latinae fidem abunde repraesentant.

Pro *graecis*, sit imprimis S. Ephrem Syrus, qui haec habet [1]: *Per te reconciliati sumus Christo Deo Nostro, Filio tuo dulcissimo... Tu portus naufragantium tutissimus, tu mundi solatium.* Pariter S. Andreas Cretensis ait [2]: *Per eam* (Mariam) *nobis obstricta sunt salutis pignora*, et rursus [3]: *Ave, sis divina cum hominibus reconciliatio.* Egregie denique S. Epiphanius sequentia profert [4]: *Ab Eva totius est in terris humani generis origo deducta, a Maria Virgine vita ipsa est in mundum introducta, ut viventem pariat, et viventium Maria sit Mater.*

Occidentis fidem diserte exponit S. Ambrosius cum, loquens de diuturna commoratione Mariae in domo Elisabeth, illam dicit eo fuisse ordinatam, ut in virtutibus proficeret Ioannes. *Non enim*, ait [5], *sola familiaritatis est causa quod diu mansit, sed etiam tanti votis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus exstitit, ut ad salutationem Mariae exultaret infans in utero, repleretur Spiritu Sancto mater infantis: quanto putamus usu tanti temporis sanctae Mariae addidisse praesentiam?*

Ad rem etiam faciunt quae habet S. Petrus Damiani, dum ait [6]: *Hodie nata est illa per quam omnes renascimur:* quibus cohaerenter mellifluus Doctor S. Bernardus eleganter edisserit [7]: *Opus est mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior quam Maria. Crudelis nimirum Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quae salutis antidotum et viris et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, haec propitiationis; illa enim suggessit praevaricationem, haec iniecit redemptionem.* Unde ipsemet hortatur [8]: *Quaeramus gratiam et per*

[1] Sermo de SS. Gen. V. M. Laudibus. — [2] In B. M. V. Dorm., Serm. III. — [3] Sermo in Annunt. S. M. — [4] Haeresi LXVIII, n. 18, p. 1050. — [5] L. II Expos. in Luc., c. I. — [6] Serm. I, de Nativ. Virg., t. II, p. 106. Paris., 1713. — [7] Serm. I, de duodecim praerog. B. V. M., in Apoc.: *Signum magnum*, t. II, p. 124. — [8] Serm. de Aquaed., t. II, p. 127.

Mariam quaeramus. Et rursus [1]: *Magnifica gratiae inventricem, mediatricem salutis, restauratricem saeculorum... Haec mihi de illa cantat Ecclesia et me eadem docuit decantare.* Auctor quoque Speculi B. M. V. testatur [2]: *Maria... fidelissima mediatrix salutis fuit.* Quocirca Adamus a S. Victore, in percelebri Sequentia: *Salve Mater Salvatoris*, pro qua fama est Beatam Virginem illi gratias egisse [3], ita Deiparam salutat:

Salve decus Virginum,
Mediatrix hominum.
Salutis puerpera.

11. — Pro. III. Ex figuris a Patribus adhibitis. — Huic scriptorum ecclesiasticorum multiplici testimonio illae accedunt figurae, quibus sancti Patres passim utuntur, ad designandum officium quod Beatae Virgini competit, mediatricis inter homines et Filium suum. Sic aliquando Maria ab ipsis appellatur *Columba Noëtica*, quae scilicet inter Deum et mundum diluvio submersum media exstitit; aliquando dicitur *Virgo sequestra*, silicet *pacis*, inter Deum et homines; commune quoque est ut comparetur *lunae*, quae media est inter corpora caelestia et terrestria, aut ut praefigurata cernatur in *iride*, de qua in Apocalypsi [4] legitur quod erat in circuitu sedis [5]. Rursus obumbrata reperitur a Patribus in *Abigaïl sapienti*, quae David placavit iratum [6], aut denique symbolice dicitur *magnes* [7], eo quod hinc quidem Deum, illinc vero hominem, extrema veluti coniungens, ad se attraxerit.

Atqui hisce similibusque figuris aut typis, sat aperte innuitur, Beatissimam Virginem homines Deo operatione sua aliquo modo coniunxisse, utpote quae a divinitate simul et a lapsa humanitate distans, hominibus quae Dei sunt, Deo vero quae hominum sunt, modo suae dignitati

[1] Ep. CLXXIV ad Can. Lugd., t. I, p. 75. — [2] Lect. IX. Inter Opp. S. Bonav., t. VI, p. 466; ed. Vatic., 1596. — [3] Vide Auguste Nicolas, *La Vierge Marie*, t. IV, p. 518, Paris, 1876. — [4] IV, 3. — [5] Card. Vitalis. Spec. S. Script. de B. M. V. — [6] 1 Reg., XXV. — [7] S. Birgittae Revel., l. III, c. 32. p. 225.

congruo, detulerit; in quo profecto mediatricis ad mediatorem ratio sita est. Quae omnia pulcre exponit S. Laurentius Iustinianus [1]: *Quomodo non est Maria, iuxta Gabrielis oraculum, plena gratia, quae effecta est Mater Dei, paradisi scala, caeli ianua, interventrix mundi, daemonum fuga, peccatorum spes, naufragantium portus, maris stella, confugium periclitantium, solamen laborantium, fluctuantium robur, Dei et hominum verissima mediatrix?*

12. — Mediatio Beatissima Virginis in institutione sanctissimae Eucharistiae. — Porro, quia inter omnia divina beneficia, quibus humanum genus a Christo redemptum Deus misericorditer ditavit, ut salutem aeternam tutius consequeretur, eminet institutio santissimae Eucharistiae, hinc iuverit hoc loco breviter recolere rationes ob quas Deiparae Virgini pro tanto beneficio nosipsos ultro debitores agnoscere debeamus.

Et quidem, cum Eucharistia dici quodammodo possit continuatio Incarnationis Verbi, in quantum scilicet realis Christi nobiscum praesentia usque ad consummationem saeculi certa nobis redditur, hinc illam iure meritoque huius beneficii mediatricem agnoscere debemus, quae per suum admirabilem consensum, causa extitit cur ipsamet Incarnatio revera locum obtinuerit; iure enim meritoque dicitur: *Quod est causa causae, est causa causati.*

Succedit Virginem Deiparam, cum in divinis Scripturis rite esset edocta, probe intellexisse veteris Testamenti figuras Eucharistiae institutionem obumbrantes, ut puta agnum paschalem, manna de caelo, panes propositionis, necnon prophetias illam respicientes, qualis est prophetia Malachiae [2]; quae etiam dicenda est clare percepisse promissionem ab ipso Christo Domino factam [3], de Corpore suo mox, sub speciebus panis et vini, fidelibus tradendo: aliunde, cum esset perfectissima Christi discipula, probe cognovit orationem quam ille nos docuit, qua a Deo petimus ut nobis det *panem nostrum supersubstantialem*, id est, sanctissimam

[1] Sermo de Annunt. — [2] II, 11. — [3] Io., IV.

Eucharistiam [1]. Quapropter, dicenda est, Beatissima Virgo enixe Deum deprecata fuisse, ut sacramentum hoc instituere-ret, quod revera ob eius fervidissimas orationes, quae semper exaudiuntur, institutum est — Nec inconvenit ut hoc dicatur, cum lex sit Deum gratias suas non elargiri, nisi respectu orationum Matris suae, quae proinde sunt tanquam conditio sine qua non suorum beneficiorum. Aliunde, in miraculorum patratione, qualis fuit institutio Eucharistiae, datur locus intercessioni creaturae [2].

Addi debet, Christum potissime intuitu Matris suae hoc sacramentum instituisse, quatenus hoc modo eidem restituere posset corpus illud quod ab ea sumpserat. Praeterea, sciebat Redemptor quanto fervore, omnium simul Sanctorum fervorem longe excedente, sanctissima sua Mater perceptura foret hoc sacramentum, quae etiam suis perfectissimis communionibus multorum indifferentiam, ingratitudinem aut irreverentiam compensare debebat: unde dici potest Christus ad Mariam principaliter respexisse, cum hoc sacramentum instituit.

Denique, nec hoc silendum, nos quodammodo Mariae debitores esse pro permanentia Eucharistiae in mundo. Cum enim huius sacramenti confectio novae legis sacerdotibus ex officio sit demandata, ad Deiparam autem iure quodam nativo, utpote quae mater est Ecclesiae, pertineat informatio spiritualis sacerdotum, hinc conservatio Eucharistiae eius mediationi rite attribuitur, quatenus olim quidem in domo hierosolymitana, post Christi ascensionem, materna cura, primos novae Legis sacerdotes erudivit ac in fide confortavit, nunc vero ininterrupta oratione a Deo impetrat indeficientem pro hoc sacramento administrando sacerdotum copiam, sacrisque ministris, in sortem Domini vocatis, gratias efflagitat, quibus munere sibi concredito digne fungi valeant.

[1] Notanda sunt verba quibus S. Thomas commentatur locum S. Matthaei (VI, 11): *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* — *Sive hoc intelligatur,* ait ille (2 2ae, Quaest. LXXIII, art. 9), *de pane sacramentali, cuius quotidianus usus proficit homini, in quo etiam intelliguntur omnia alia sacramenta, sive etiam intelligatur de pane corporali,* etc. — [2] Cf. tr. n. DE GRATIA, Quaest. CXIV, art. 10, n. 10, p. 449.

Quae cum ita sint, rite a SS.mo Domino Nostro Pio X, concessis indulgentiis, consecrata est sequens pia invocatio: *Domina Nostra a Sanctissimo Sacramento, ora pro nobis* [1].

13. — Mediatio Mariae pro Eucharistiae fructibus plane percipiendis. — Porro, quemadmodum Mariae debitores sumus pro collatione excellentissimi omnium Dei donorum, qualis est Eucharistia, ita huius sanctissimae Matris mediationi adscribendum venit, si quis ex illo vivifico pabulo abundantiores salutis gratias percipere meretur.

Imprimis enim, qui ad Deiparam pro animae suae remedio fidens recurrit, ab ea sponte ad Eucharistiam ducitur, ut per huius sacramenti frequentem perceptionem, Incarnationis beneficia, ipsamet, quae est divinarum gratiarum dispensatrix, ad nos usque derivari faciat. Deinde, quos ad Eucharistiam ita duxerit, sponte disponit ut illius fructus uberius hauriant: est enim Mater puritatis; puritate vero et munditia cordis homo aptus efficitur ad capienda fidei et caritatis dona ex Eucharistia promanantia, iuxta illud [2]: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Quocirca, hoc in Sanctorum vitis constanter datum est cernere, nempe devotionem erga Beatissimam Virginem intime colligari cum vero et fructuoso cultu erga sanctissimae Eucharistiae sacramentum, ut videre est maxime in historia S. Iulianae Falconeriae, devotionis erga Deiparam insignis propagatricis, simulque cultui almi altaris sacramenti addictissimae [3]. Sic quoque institutio Congregationis sanctissimi Sacramenti affiatui Mariae refertur debita: nec est quem lateat, nullibi gentium cultum sanctissimae Eucharistiae adeo explicari, quemadmodum apud Lourdes in Gallia, ubi Deipara specialiter colitur.

14. — Quaestio. — *Utrum Mater Dei, mortalem adhuc vitam degens, causa instrumentalis extiterit gratiae hominibus conferendae?*

[1] Vide quod scripsimus in opusc., *Relations de la Très Sainte Vierge avec le Très Saint Sacrement* (15 septem., 1910). Partie I. — [2] Matth., V, 8. — [3] Vide *Vie de Sainte Julienne Falconieri*, par le Rév. P. Augustin M. Lépicier, O. S. M.

Resp. Negari non potest Matrem Dei, adhuc in terris degentem, cum nondum sacramentorum oeconomia esset instituta, physicum gratiae divinitus conferendae instrumentum extitisse, cum id factum fuisse expresse legamus in sanctificatione Ioannis Baptistae [1]: *Et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero eius*, etc.; et rursus [2]: *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit infans in utero meo.* Explicite de hac re Leo XIII [3]: *Ioannes materno in utero sanctificatur charismate insigni, lectisque donis ad vias Domini parandas instruitur: haec tamen contingunt ex salutatione Mariae cognatam divino afflatu visentis.*

Sed nihil obstat quominus id, quod evidenti scripturarum testimonio discimus circa sanctificationem Ioannis in utero, ad alia quoque facta referamus, quatenus videlicet Deipara Virgo dicenda sit physice cooperata, sub Christo Domino, sive ad gratiam conferendam, ut puta in pastorum et magorum illuminatione ac sanctificatione, sive ad miraculum aliquod complendum, sicut in mutatione aquae in vinum apud Cana Galilaeae [4].

At certe tuto tenere possumus, ad omnia quae Christus in hominum salutem patravit, praeivisse potentissimam Mariae intercessionem, ut coniicere licet, puta relate ad descensum Spiritus Sancti in Apostolos et Discipulos, maxime cum sacer Textus expressam mentionem faciat de illius in his rerum adiunctis praesentia; quam intercessionem nunc quoque in caelo a Deo valide et universaliter interponit, ut dici possit, omnem gratiam quam nobis Deus concedit, per Mariam subministrari. *Divino consilio*, ait Leo XIII [5], *sic illa coepit advigilare Ecclesiae, sic nobis adesse et favere Mater, ut quae sacramenti humanae redemptionis patrandi administra fuerat, eadem gratiae ex illo in omne tempus derivandae esset pariter administra, permissa ei paene immensa potestate.*

[1] Luc., I, 41. — [2] Ibid., 44. — [3] Encycl. *Iucunda semper*, 8 sept., 1894. — [4] Matth., II, 11; Luc., II, 16; Io., II, 4. — [5] Encycl. *Adiutricem populi*, 5 sept., 1895.

15. — Scholion. — Utrum vero post Ecclesiae constitutionem, et maxime post suam in caelum assumptionem, Deipara perrexerit esse causa instrumentalis gratiae, res tam clara non est, deficiente hac super quaestione, Scripturae aut Ecclesiae expressa auctoritate. Et quidem, ex una parte, id negandum videretur, cum in Nova Lege, ad sacramenta et ad ministros pertineat virtus instrumentalis in collatione gratiae, nec contra hanc ordinationem admittenda videatur aliqua exceptio, cum operationes miraculosae nunquam obtineant, nisi ut homines per eas moveantur ad divina attributa plenius cognoscenda [1]: porro cum huiusmodi exceptio ordini consueto a nobis percipi haudquaquam posset, ideo fine proprio destitueretur, proindeque admittenda minime videretur.

Hoc tamen non obstante, re penitius perpensa, nobis satius videtur decernendum, Beatissimam Virginem, etiam nunc in caelis regnantem, haberi posse tanquam sub Christo, iuxta divinae sapientiae ordinationem, quodammodo causam gratiae instrumentalem relate ad homines.

Reveva, si id sanctis concessum videmus ut miracula faciant, non solum impetrando, sed, ut habet Angelicus, ex potestate, in quantum divinum imperium deferunt [2], si sanctorum reliquiis tantam Deus contulit virtutem, ut ad illarum contactum aegri sanentur, quinimmo, si quibusdam imaginibus sacris, quas rite thaumaturgas vocamus, talem Deus vim adnexuit, ut ad illas confugientes favores non solum corporales, sed etiam spirituales percipiant, cur dubitare debebimus similem virtutem Matri Dei fuisse concessam, a qua opus nostrae salutis auspicium sumpsit? Nonne illam Ecclesia fidenter invocat:

Funda nos in pace,
Mutans Evae nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen caecis...
Vitam praesta puram,
Iter para tutum.

Da mihi virtutem contra hostes tuos [3].

[1] 1, Quaest. CVI, art. 3. — [2] 2 2^{ae}, Quaest. CLXXVIII, art. 1, ad 1um. Cf. DEL MIRACOLO, p. 160. — [3] Videri potest, apud P. Terrien

Quod autem huiusmodi Beatae Virginis mediatio, instar eximii instrumenti in manibus Dei, in gratia nobis conferenda, non ita clare appareat, ut ab humanis oculis visibiliter percipi queat, nihil est: cum enim ad generalem ordinem divinae Providentiae pertineat, miraculum proprie non est, et sic non est necesse ut inter effectus Dei visibiles computetur.

16. — Confirmatur praecedens doctrina. — En quomodo eximius Mariae cultor hanc doctrinam, ductis ab ipsa rei natura rationibus, exponit et illustrat. — *Notre Seigneur ayant décrété que sa Mère lui serait unie dans l'œuvre de la Rédemption, il est naturel qu'elle lui reste associée encore au ciel pour l'œuvre de la sanctification, qui en est l'effet et le complément. L'Incarnation n'a pu se réaliser sans son acceptation formelle et précise; les suites, le prolongement de l'Incarnation, les dons surnaturels, le salut, doivent dépendre aussi de son consentement actuel et sans cesse renouvelé. L'influence est donc continuelle, et s'applique à tous les effets: grâces des pensées pures, des désirs généreux, des énergiques résolutions, des œuvres saintes, des sublimes héroïsmes, des divins enthousiasmes, tout dérive de cette intercession universelle. La vie du corps requiert l'action de l'atmosphère, la vie surnaturelle ne se maintient que par la double efficacité du Christ et de la Vierge: ils sont, l'un et l'autre, l'atmosphère embaumée où respire notre âme...*

L'existence physique, une fois communiquée, peut se développer par le jeu normal de la nature, les soins maternels ne sont pas continuellement indispensables. La vie du salut, pour grandir, exige une influence immédiate et continuelle d'en haut; pour tout acte méritoire, ou même salutaire, il faut une nouvelle énergie, un nouveau mouvement, une grâce actuelle. Si Marie est vraiment et entièrement notre Mère, elle doit nous communiquer chacun de ces mouvements qui accroissent nos

(La Mère de Dieu, etc. p. 475, n. 2), quam vesano conatu Iansenistae ausi sint has disertas Ecclesiae voces deturpando obtundere, ne cogerentur gloriosam Deiparam tamquam divinae gratiae Matrem agnoscere. Praevalet autem populi christiani concentus, Mariam divinae gratiae Matrem ovanter conclamantis

forces surnaturelles, chacune de ces énergies vitales qui font arriver l'âme à sa maturité, en un mot, chacune de ces grâces qui développent la vie.

Or, il est bien vrai que Marie est entièrement mère, TOTA MATER: *de toute son âme, de tout son cœur, de toutes ses tendresses, de toutes ses joies, de toutes ses douleurs. Toute mère pour nous tous, pour toujours, pour tout ce qui a rapport à notre vie* [1].

17. — Triplex genus nominum. — Ad solvendas autem protestantium instantias, simulque ad catholicam quam exposuimus doctrinam de Deiparae in opere humanae redemptionis mediatione illustrandam, iuverit imprimis, cum Paludano [2], distinguere α) nomina, seu attributa quae Deo soli ita conveniunt, ut nulli prorsus creaturae attribui valeant, cum divinitati propria sint: cuiusmodi sunt esse infinitum, aut esse aeternum; β) nomina quae soli Christo proprie tribuuntur, ut esse hominum salvatorem, iustificatorem, redemptionem nostram, etc.; γ) nomina quae licet Deo aut Christo per excellentiam conveniant, analogice tamen alicui etiam creaturae participari consueverunt, cuiusmodi sunt esse *petram, lucem* aut *fundamentum*, quae quidem κατ' ἐξοχήν ad solum Christum pertinent, Christi tamen discipulis communicari consueverunt, cuiusmodi est esse mediatorem: unde Christus quidem est unicus mediator per se, licet Sanctis suis hanc praerogativam conferre voluerit, ut nobis essent mediatores ad ipsum.

18. — Analogia inter ordinem naturalem et supernaturalem. — Nec aegre huic ille veritati suffragabitur, qui consideraverit, non alio Deum modo, in ordine supernaturali et gratiae, operari, ac in ordine naturae operatur: siquidem, sicut in executione huius ordinis multas causas medias admittit, quibus operandi et effectus proprios producendi virtutem communicat, ita eius infinitam maiestatem nedum

[1] R. P. Ed. Hugon, O. P., LA MÈRE DE GRÂCE, p. 263. Cf. eiusdem op. La causalité instrumentale, pp. 194-204, necnon dissert. S. THOM. DOCTRINA DE B. M. V. MEDIATRICE OMNIUM GRATIARUM in Xenia thomist. 1925, Vol. II, pp. 531, seq. Cf. etiam R. P. BEN. H. MERKELBACH, Diss. *Quid senserit S. Thomas de mediatione B. M. V.*, in eod. Vol., pp. 505, seq. — [2] Apologet. marian., c. XXXIV.

decet, verum etiam quammaxime commendat talis dispositio, qua homines ad finem supernaturalem ducere constituit, mediantibus ministris, quasi mediatoribus inter se et homines, suarum gratiarum [1].

Nec per hoc unitati Mediatoris Christi derogatur, aut illius dignitati quicquam detrahitur; nam, licet mediatores habeantur multi, unus tamen est qui est immediate ad Deum mediator, dum alii mediatores sunt ad mediatorem Christum, qui et mediationem propria dignitate propriisque meritis exercet, dum aliorum mediatio virtuti Mediatoris Christi inniti omnino postulat.

19. — Beatissima Virgo, excellentissima mediatrix ad Christum. — Denique, licet omnes sancti et angeli, immo et sacerdotes Novae Legis hoc pacto mediatores ad Christum existant, tamen consuetudo in Ecclesia invaluit ut una Beatissima Virgo, prae omnibus sanctis, mediatricis titulo quodam velut innato iure condecoretur; nec immerito, cum ipsa sola, quae propius quolibet sancto ad Christum accedit, immediate ad Hominem-Deum suam interponat mediationem, alii vero sancti suam mediationem per Beatissimam Virginem exerceant; quorum praeterea mediatio non ad omnes homines extenditur, sicut mediatio Beatissimae Virginis, ad quam innato quodam iure universorum christianorum salus pertinet.

Opportune claudemus huius articuli doctrinam praeclara hac S. Bernardi invocatione [2]: *Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo nos Filio repraesenta. Fac, o benedicta, per gratiam quam invenisti, per praerogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, ut qui, te mediante, fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente, participes faciat nos gloriae et beatitudinis suae.*

Pracipue vero memoriae commendanda sunt haec alia eiusdem Melliflui Doctoris verba [3]: *Altius ergo intuemini quanto devotionis affectu a vobis voluerit honorari* (Mariam), *qui totius boni plenitudinem posuit in Maria.*

[1] Vide quae scripsimus in Tract. *de Incarnatione*, Vol. I. Quaest. XIII, art. 2. n. 7, p. 483. — [2] Serm. II DE ADVENTU DOM., t. II, p. 4. — [3] Homil. II super *Missus est.*

Articulus III. — *De officio Coredemptricis in Beata Virgine.*

1. — Ratio articuli. — Cum ex praemisso articulo constet Beatissimam Virginem totius generis humani ad Filium suum mediatricem fuisse constitutam, nunc inquirendum subit quo pacto istiusmodi officium adimpleverit, seu qua ratione sit Christo cooperata in reconciliandis Deo hominibus, seu in illis ab aeterna morte redimendis. Igitur quaestio de cooperatione Beatae Virginis in hominum salute procuranda, seu de officio Coredemptricis, naturaliter sequitur quaestiones de officio matris et mediatricis; nam, ut ait doctissimus Landspergius [1], *voluit* (Christus) *adesse sibi in doloribus Matrem, ut ex iis quae oculis foris cerneret, intus animo vulneraretur: et quod Filius pateretur foris, ipsa intus pateretur, ut sic Christi passionis, redemptionis quoque nostrae fieret particeps et cooperatrix, quomodo Incarnationis fuerat divinae.*

2. — Quisnam sit salutis nostrae causa. — Porro, ad pleniorem dicendorum intelligentiam, praemittendum est, humanae salutis causam efficientem principalem non esse nisi Deum ipsum; at quoniam humanitas Christi est divinitatis instrumentum, ideo, ex consequenti, omnes actiones et passiones eius instrumentaliter operabantur ad humanam salutem in virtute divinitatis: unde vere dicitur Christus nostram salutem operatus fuisse [2].

Ubi advertendum est quod Christus potuisset absolute nostram salutem, quin pateretur, operari; sed Deus illius passionem ita praeordinaverat, ut convenientius finis obtineretur, semotis impedimentis humanae salutis, illis nempe omnibus quibus homo incitatur ad peccandum. Siquidem, per suam passionem, Christus hominem magnopere incitavit ad Dei dilectionem, ad patientiam in adversis, ad obedientiam,

[1] Hom. XLVIII, de Pass. Dom. Opp., t. III, p. 101. Monsterolii, 1889. — [2] 3. Quaest. XLVIII, art. 6.

humilitatem, caeterasque virtutes opere exercendas, quibus a peccato retrahimur [1].

Quae cum ita sint, nostra in praesentiarum intentio est investigare, quousque pertingat Beatae Virginis cooperatio in isto opere procurando.

Ad cuius rei uberiorem solutionem, distinguenda erit cooperatio quam Virgo Beata praestitit, in quantum ad Incarnationem Filii Dei libera sua operatione concurrit, a cooperatione quam praestitit, in quantum Christo patienti materno affectu compassa est.

3. — PROP. I. — **Rite dicitur Beata Virgo operi nostrae salutis cooperata fuisse.**

4. — **Prob. — α) Ex eo quod Beata Virgo Incarnationem meruit.** — In primis Beata Virgo operi nostrae salutis cooperata fuisse dicenda est, per hoc quod suis piis desideriis et petitionibus Incarnationis accelerationem ex congruo promeruit. Quod profecto ipsi denegandum non est, propter eximiam qua pollebat caritatem; si enim *ex congruo meruerunt sancti Patres Incarnationem desiderando et petendo, congruum enim erat ut Deus exaudiret eos qui ei obediebant* [2], multo magis hoc bonum Virgo inclyta suspiriis suis ex congruo meruit.

Notandum tamen est id quod dicitur, *sanctos Patres de congruo meruisse Incarnationem*, non esse intelligendum de substantia Incarnationis, cum haec sit ipsum principium omnis meriti, etiam eius quod est de congruo; sed intelligendum est tantummodo de aliqua circumstantia, puta, temporis, loci, etc. [3].

5. — **β) Ex eo quod suo consensu ad Incarnationem concurrit.** — Sed modo longe altiori concurrit efficaciter Beata Virgo operi nostrae salutis, per hoc quod suum consensum, a quo executio operis Incarnationis pendebat, libere praestitit, ita ut verum sit dicere, Iesum Christum nobis per ipsam datum fuisse. Ita enim Deus decreverat Mariam ad

[1] Cf. 3, Quaest. XLVI, art. 3. — [2] Ibid., Quaest. II, art. 11. — [3] Vide supra, p. I, c. I, art. 2, nn. 7, seq., p. 20; cf. etiam tract. n. *de Incarnatione*, Vol. I, Quaest. II, art. 11, p. 152.

dignitatem et officium Matris Filii sui elevare, ut libero voluntatis consensu ad hoc opus concurreret, sicque ipsi debitores essemus pro habito humani generis Redemptore. Quapropter Incarnationis opus, quod per tot saecula a toto genere humano expetitum fuerat, adveniente iam temporum plenitudine, veluti suspensum mansit, quoadusque Virgo Beata consensum praeberet; perinde ac si hominum salus ab ea penderet [1].

Qua de re sic Beatissimam Virginem compellat S. Bernardus [2]: *In sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, et ecce morimur; in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat a te, o pia Virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua, exsul de paradiso, hoc Abraham, hoc David, hoc caeteri flagitant sancti Patres, Patres scilicet tui, qui et ipsi habitant in regione umbrae mortis: hoc totus mundus genibus tuis provolutus expectat. Nec immerito, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Da, Virgo, responsum festinanter. O Domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant et superi:.. offertur tibi pretium salutis, statim liberabimur, si consentis.*

Similiter S. Laurentius Iustinianus, commentans verba: *Ecce ancilla Domini,* ait [3]: *Isto unico responso complecit caelum gaudio; angelis omnibus exultationem praebuit: captivo saeculo spem dedit, daemones universos exterruit, astantem luctum fecit nuntium, ac detentis in inferno Patribus libertatis gratiam repromisit. Affectu quippe avido, extensis in caelum manibus, propatulo cordis auditu, huiuscemodi praestolabantur responsum. Erat nempe illis prae libertatis amore diuturna nimis expectatio, pavidaque observatio, ne ob humilitatis virtutem resisteret Virgo, consensumque negaret. Verum, ut datum a Maria perceperunt responsum, omnes pariter prorumpentes in laudem, Domino decantavere, dicentes:* BENEDICTUS DOMINUS DEUS ISRAËL, QUIA VISITAVIT ET FECIT REDEMPTIONEM PLEBIS SUAE.

[1] Cf. Bossuet, SERMON SUR LA CONCEPTION DE LA SAINTE VIERGE, t. II, p. 663. — [2] Hom. IV, SUP. *Missus est*, t. II, p. 18. — [3] Serm. DE ANNUNTIAT.

6. — Corollarium. — Ex hisce omnibus constat Beatam Virginem, eo maxime quod Incarnationi complendae assensum praebuit, vere Dei cooperatricem exstitisse in ordine ad salutem nostram.

At cum, uti superius dictum fuit, Deus decreverit salutem nostram non complendam fore, nisi per Filii sui passionem, ideo in hoc proprie consistere dicenda est Beatae Virginis cooperatio in ordine ad hominum salutem, quod passioni Filii ita coniuncta fuerit, ut quae Christus per suam passionem perfecerit, eadem et Beata Virgo, sub Christo, et virtute illius, sit per suos dolores quodammodo operata. Quod quidem erit accurate exponendum; quia cum ad Christi dignitatem pertineat quod efficientiam suam instrumentalem in ordine ad hominum salutem aliis quoque sub se communicet, ut sunt sacramenta et ministri Novae Legis, videndum erit quomodo et Beata Virgo, propter suam compassionem sit et ipsa constituta in ratione causae gratiae relate ad nos. Igitur aperiendum nunc est quomodo passioni Christi Beatae Virginis compassio sit cooperata.

7. — PROP. II. — Beata Virgo sua compassione Christo patienti cooperata est, in eo quod cum ipso α) meruit nostram salutem; β) peccatis nostris satisfecit; γ) obtulit dignum Deo sacrificium.

8. — Exponitur per partes. — α) Meritum Beatae Mariae Virginis. — Passio Christi nostram salutem operata est per modum meriti, et quidem de condigno [1]. Cuius ratio est, quia Christo collata est gratia non solum sicut singulari personae, sed in quantum est caput Ecclesiae, ut ab ipso gratia in membra redundaret. Quapropter, eo modo se habent opera Christi, tam ad se quam ad sua membra, sicut se habent opera alterius hominis in gratia constituti ad ipsum. Atqui quicumque, in gratia constitutus, patitur aliquid propter

[1] Hic praestat, claritudinis ergo, duplex meritum de condigno distinguere: unum *commune*, quale in creaturis invenitur relate ad Deum; aliud *per excellentiam*, seu ex *toto rigore iustitiae*, quale fuit in Christo, utpote qui *Deus* erat. Cf. Tract. DE GRATIA, Quaest. CXIV, art. 1, n. 8, p. 374.

iustitiam, ex hoc ipso salutem sibi meretur, iuxta illud [1]: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Ergo Christus per suam passionem omnibus membris suis salutem promuerit [2].

Quod quidem hoc sensu de Beata Virgine dici non potest: non enim est illa caput in Ecclesia, sed solummodo membrum: ideoque non potuit *ex condigno* hominibus per suos dolores salutem mereri, sed tantummodo *ex congruo*, quod tamen quomodo fuerit, paulo accuratius erit nunc explicandum.

9. — Beatissima Virgo de congruo meruit omne id quod Christus de condigno. — Ad cuius evidentiam recolendum est, in hoc distingui meritum de condigno a merito de congruo, quod primum habet efficaciam ex vi motionis divinae, aliud autem secundum quod procedit ex libero arbitrio, in quantum voluntarie aliquid facimus; quia congruum est, ut dum homo bene utitur sua virtute, Deus secundum superexcellentem virtutem, excellentius operetur. Igitur, quia singularis homo movetur a Deo per donum gratiae, ut ipsemet ad vitam aeternam perveniat, ideo eius meritum condigni ultra hanc motionem non se extendit; at quia anima Christi mota est per gratiam, non solum ut ipse perveniret ad gloriam vitae aeternae, sed etiam ut alios in eam adduceret, in quantum est caput Ecclesiae et auctor salutis humanae, ideo merito condigni solus Christus potest alteri primam gratiam, seu gratiam salutis mereri [3]: quapropter longe a catholica veritate abesset qui hoc modo Beatam Virginem salutis nostrae auctricem praedicaret, quod profecto capitis Christi dignitati derogaret.

At vero dicimus *merito congrui* Beatam Virginem eorum salutem meruisse, quorum Christus illammet meruit merito condigni. *Quoniam*, ait Pius X [4], *universis sanctitate praestat* (Maria), *coniunctioneque cum Christo, atque a Christo ascita*

[1] Matth., V, 10. — [2] 3, Quaest. XLVIII, art. 1. — [3] 1 2ae, Quaest. CXIV, art. 6. Cf. quae scripsimus in tr. de Gratia in h. l. — [4] Encycl. *Ad diem illum*, 2 Febr., 1904.

in humanae salutis opus, de congruo, ut aiunt, promeret nobis quae Christus de condigno promeruit.

Cuius ratio ab ipsomet Angelico assignatur, quia cum homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est, secundum amicitiae proportionem, ut Deus hominis voluntatem impleat in salvatione alterius, nisi obstet impedimentum ex parte illius cuius salus desideratur [1], et secundum hunc respectum S. Paulus dicit quod *Dei adiutores sumus* [2], in opere scilicet salutis hominum procurandae. Atqui Beatissima Virgo, cum maxima caritate polleret, perfectissime Dei voluntatem implevit, Filio suo in omnibus compatiendo; et aliunde omnium salutem ardentissime desideravit, cum esset constituta Mater omnium christifidelium.

Si igitur iusti, ex divina misericordia, orationibus et sacrificiis suis obtinent peccatorum conversionem, quemadmodum Stephanus relate ad Paulum et sancta Monica relate ad filium suum Augustinum, non erit ambigendum quin Beata Virgo, sua compassione, salvandorum salutem meruerit obtinere, non quidem quasi iste effectus ipsi aut soli, aut tanquam primariae causae foret adscribendus, sed quia Deus, qui in effectuum productione, etiam in ordine supernaturali, medias causas ordinat, voluerit ut Beata Virgo ex sua materna compassione tale meritum compararet, cuius virtus infinito Christi merito subnixa, ad hominum salutem, tanquam ad mercedem ex congruo debitam ordinaretur.

10. — Ecclesiae professio. — Huius autem rei fundamentalem rationem, nempe perfectam conformitatem voluntatis Mariae cum voluntate Christi, scriptores et doctores ecclesiastici egregie commentantur. Sic Arnoldus Carnotensis [3]: *Omnino tunc erat una Christi et Mariae voluntas, unumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo: haec in sanguine cordis, hic in sanguine carnis... Cum Christo communem in salute mundi effectum* (obtinuit). Quapropter aliquando Beatissima Virgo a Patribus vocatur *Salvatrix, Mater gratiae,*

[1] Tr. de Gratia, IBID. — [2] 1 COR., III, 9. — [3] Tract. DE LAUD. B. M. V., Ed. cit., p. 118.

Mater salutis. Mater vitae; sic, verbi gratia, loquitur Dionysius Cartusianus [1]: *Amantissima Dei Virgo Christifera dici potest mundi Salvatrix propter eminentiam, virtuositatem, et meritum suae compassionis, qua patienti Filio fidelissime ac acerbissime condolendo, excellenter promeruit ut per ipsam, hoc est per preces eius ac merita, virtus ac meritum passionis Christi communicetur hominibus;* et iterum [2]: *Per* (Mariae) *desideria summe ignita.... ad abundantissimam et incomparabilem Spiritus Sancti susceptionem* (unusquisque Apostolorum) *disponebatur.*

Pariter S. Andreas Cretensis ait [3]: *Te, grato animi affectu ac devote, lingua omnis, vitae Matrem glorificans praedicat.* Egregie quoque S. Bernardus [4]: *Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis; ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis;* qui alibi addit [5]: *Haec est enim quae totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit.* Nec praetereunda Graecorum professio, quae hisce Damasceni praeclaris verbis exprimitur [6]: *Potes quidem omnes salvare, ut Dei altissimi Mater, precibus materna auctoritate pollentibus* [7].

11. — γ) **Satisfactio Beatae Virginis.** — Haud diffitendum etiam est Beatam Virginem cum Christo pro peccatis nostris satisfecisse.

Ad quod rite intelligendum, praemittendum est quod ille proprie satisfacit pro offensa, qui offenso exhibet id quod iste aeque vel magis diligit ac oderit offensam. Iamvero hoc modo Christus sufficientissime pro peccatis nostris satisfecit, quia ex caritate et obedientia patiendo, maius Deo aliquid exhibuit, quam exigeret recompensatio totius offensae generis humani, sive propter magnitudinem caritatis ex qua patiebatur, sive propter dignitatem vitae suae

[1] De dignitate et Laud. B. M. V., l. II, art. 23, t. XXXVI, p. 99. — [2] Ibib., art. 26. — [3] De Dormit. B. M. V. — [4] De Adv. Dom., serm. II, t. II, p. 4. — [5] Serm. IV in Assumptione B. M. V., t. II, p. 121. — [6] Menol., 20 Ian., ed Matut. — [7] Cf. Opusc., *Marie, suprême ressource dans tous les temps*, par le P. S. M. Ledoux, O. S. M. Bar-le-Duc.

quam pro satisfactione ponebat, sive denique propter generalitatem passionis et magnitudinem doloris assumpti [1]; unde de ipso dicitur [2]: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Porro, eatenus satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet, quatenus caput et membra sunt quasi una persona mystica; atqui membra etiam ad invicem communicant; ideoque unum membrum pro alio satisfacere potest, in quantum duo homines sunt unum in caritate [3]. Cum igitur de fide sit sanctorum satisfactiones nobis prodesse, maxime in indulgentiarum elargitione, in quarum concessione Romanus Pontifex dispensat thesaurum Iesu Christi et Sanctorum, ut loquitur Leo X [4], multo magis tenendum est Beatissimae Virginis satisfactiones, quas Filio suo compatiendo sustinuit, valere ad recompensandam de congruo offensam Deo per nostra peccata irrogatam.

De congruo dicimus: perfectam enim, seu adaequatam pro peccatis nostris satisfactionem exhibere non potuit nisi Christus. Siquidem perfecta satisfactio est per adaequationem ad recompensationem culpae commissae; ad quam necesse est ut actus satisfacientis infinitam efficaciam habeat, quia peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate divinae maiestatis; et insuper, cum tota natura humana esset per peccatum corrupta, nullius puri hominis bonum poterat totius naturae detrimentum per aequiparantiam recompensare. At congrua satisfactio non attenditur secundum perfectam adaequationem ad recompensationem culpae commissae, sed secundum acceptationem Dei, qui ea se contentum declarat; efficaciam autem habet a satisfactione Christi, sicut omne imperfectum innititur perfecto [5].

Iamvero excellentia satisfactionis Beatae Virginis, supposita satisfactione Christi cui innitebatur, manifeste ap-

[1] 3, Quaest. XLVIII, art. 2. — [2] 1 Io., II, 2. — [3] S. Thom. Ibid., ad 1[um]. — [4] Decretali Per praesentes, ad Card. Caiet. in Germania legatum, missa. — [5] 3, Quaest. I, art. 2, ad 2[um]. Cf. Tr. de Incarn., in h. l.

paret ex hisce quatuor capitibus: *primo*. ex dignitate illius: tum quia, in quantum Dei Mater, divinitatis fines quodammodo attingebat, tum quia, in quantum ab omni prorsus labe immunis erat, nihil habebat pro quo satisfaciendum sibi foret; *secundo*, ex magnitudine doloris eius, cum, ut supra habitum est, martyrum Regina verissime exstiterit; *tertio*. ex vehementia caritatis qua illos omnes dolores sustinuit: quae caritas profluebat tum ex magnitudine illius gratiae, tum ex eius propinquitate ad Christum patientem: *quarto* demum, ex eo quod ipsamet sua compassione Christo patiendi materiam ministraverit; una enim ex praecipuis causis doloris Christi erat quod Matrem suam tot acerbis cruciatibus subiectam cerneret.

Ad intelligendam autem hanc excellentiam compassionis Beatissimae Virginis in ordine ad effectum satisfactionis, faciunt verba S. Gulielmi abbatis [1]: *Plus est esse commartyrem Christi, quam martyrem Christi; quia est proximior coniunctio cum Christo et efficacior influxus passionis Christi, et dolor non propter se, sed unice propter Christum.*

12. — γ) **Sacrificium a Maria Deo oblatum.** — Non modo autem Beata Virgo cum Christo nostram salutem promeruit, ac pro nostris peccatis satisfecit, sed etiam dignum Deo sacrificium obtulit. — *At quo pacto Beata Virgo Deo sacrificium obtulisse dici potest?* Ut haec quaestio, ex cuius solutione pendet, relate ad Beatam Virginem, intelligentia tituli *Coredemptricis*, qui ei a fidelibus consecratus manet, rite agitetur, imprimis statui debet quid et quotuplex sit sacrificium, et in quonam formaliter sacrificii proprie dicti essentia consistat.

13. — **Quid et quotuplex sit sacrificium.** — Quia ex fine natura uniuscuiusque rei dignoscitur, sacrificii autem finis est hominem Deo societate coniungere, ideo S. Augustinus dicit [2], quod *verum sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhaereamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possumus.*

[1] Sup. c. III Cant. — [2] L. X de Civ. Dei, c. 6, col. 242.

Porro, statim distinguendum est duplex sacrificium, scilicet interius seu invisibile, et exterius seu visibile. Et illud quidem principale est, hoc autem secundarium; nam, ut iterum ait S. Augustinus [1], *omne sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, seu sacrum signum, est.* Ad primum, id est ad interius sacrificium, omnes homines tenentur, quandoquidem nemo est qui devotam Deo mentem offerre non debeat, ut cum ipso spirituali societate coniungatur. Ad secundum autem, id est ad sacrificium exterius, aut non omnes tenentur, aut saltem non aequaliter tenentur, ut melius infra patebit [2].

Porro, si prioris generis sacrificium respiciatur, ambigendum non est quin Beata Virgo illud, et quidem excellentissimo modo, obtulerit. Seipsam enim, inde a conceptionis passivae momento, maximo affectu Deo obtulit: quam oblationem quam frequenter in vita iteraverit, nemo profecto existimare valebit, nisi ille cuius excellenti impulsu eadem Deipara movebatur. Nec se solum Beata Virgo Deo obtulit, sed etiam animi dolores, quorum immensitas cuiusque mortalis captum superat; quam oblationem vehementi cordis affectu sub Cruce Nati consummasse dicenda est.

Cum autem sacrificium offerre sacerdotis sit, ideo ex hoc capite Deipara sacerdos dici potest, improprie quidem, attamen sensu longe veriori quam caeteris fidelibus competat, quos tamen S. Petrus ita alloquebatur [3]: *Et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.*

At sacrificium huiusmodi, id est interius, licet sit finis sacrificii exterioris, improprie tamen sacrificium nominatur, ut dictum est, hac nempe de causa, quia ipsi deficit propria sacrificii ratio, quae est ut sit *sacramentum*, seu *sacrum signum*.

14. — Sacrificium proprie dictum. — Quapropter, sacrificium proprie dictum est tantum circa res exteriores: in quibus tamen adhuc differentia notanda est.

[1] Loc. cit., c. 5, col. 241. — [2] Cf. 2 2ae, Quaest. LXXXV. art. 4. — [3] Ep., II, 5.

Cum enim sacrificium ad virtutem religionis pertineat, ideo est aliquid quod fit in divinam reverentiam: religio enim ea spectat quae ad divinum cultum et reverentiam immediate ordinantur. Porro ad divinam reverentiam possunt ordinari tum actus illi exteriores qui fiunt secundum diversas virtutes, puta cum quis, propter divinam reverentiam, eleemosynam facit de rebus propriis, aut proprium corpus afflictioni subiicit; tum actus quidam, qui ex alio laudem non habent, nisi quia propter divinam reverentiam fiunt, ut cum quis ovem Deo mactat, aut panem benedicit, frangit et consumit.

Et prioris quidem generis actus nonnisi latiori quodam sensu sacrificia dici possunt, ad quae quidem homines diverso modo tenentur: siquidem ad actus virtutum qui cadunt sub praecepto, omnes tenentur; sic quippe omnes tenentur, quantum possunt, indigentium miseriam sublevare, quod pertinet ad caritatem, aut debita solvere, quod pertinet ad iustitiam; ad actus vero supererogationis non omnes tenentur: sic non omnes tenentur valedicere propter reverentiam Dei, omnibus bonis temporalibus, ut faciunt religiosi votum paupertatis emittentes, qui etiam obedientiam et castitatem voventes, holocaustum, id est perfectum sacrificium, sensu utique latiori, facere dicuntur [1].

Ex hoc autem capite iterum inferri debet, Deiparam perfectum Deo sacrificium obtulisse, cum per omnia eius sanctitas emicuerit legis observantia, et omnium prorsus virtutum exercitio, addito voto virginitatis in iuventute emisso: unde etiam eidem potiori iure competunt haec alia S. Petri verba [2]: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis; ut virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.*

15. — Sacrificium proprie et stricte acceptum. — Quae ita cum sint, non restat nisi ut consideremus sacrificium

[1] *Holocaustum est*, ait S. Thomas (2 2ae, Quaest. CLXXXVI, art. 7, ex S. Gregorio, Sup. Ezech. Homil. XX), *cum aliquis totum quod habet offert Deo.* Et rursus (Ibid., art. 1): *Antonomastice religiosi dicuntur illi qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes.* — [2] 1 Ep., II, 9.

proprie, et quidem stricto sensu dictum, videlicet prout importat actum externum ordinatum ad societatem cum Deo habendam, qui videlicet actus ex hoc solo laudem habeat, quod ordinetur in divinam reverentiam.

Ubi tamen ulterius advertendum est, non satis esse ad sacrificium proprii et stricti nominis, rem Deo utcumque offerri: cum enim sacrificium exterius sit sacrum signum sacrificii interioris, ulterius requiritur ut circa rem illam quae offertur, aliqua mutatio inducatur, ut puta, mactatio aut combustio, si de animalibus agatur; benedictio, fractio et comestio, si de pane; effusio, si de vino, et cetera huiusmodi: in quo quidem differt sacrificium ab oblatione, qua res aliqua Deo offertur nulla in illa re mutatione inducta [1].

In quo etiam distinctio invenitur, quantum ad diversa tempora, quia, cum homines de iure naturae ad aliquod sacrificium offerendum teneantur in recognitionem divini dominii, ante Legem tenebantur utique ad aliqua exterius praestanda in honorem divinum, secundum condecentiam ad eos inter quos habitabant, non autem ad determinatas res in sacrificio offerendas; sub Lege autem Veteri plura erant determinata sacrificia ab ipso Deo statuta [2]; denique sub Lege Nova est unicum sacrificium: quandoquidem Christus *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* [3].

16. — Sacrificium definitur. — Ex quibus hominibus inferri potest sacrificium, proprio et stricto sensu acceptum, esse *oblationem rei alicuius sensibilis, Deo factam, aliqua mutatione in re inducta, in recognitionem divini dominii, et ut anima Deo spirituali societate iungatur* [4].

Ut autem clarius constet qui de sacrificio ita accepto

[1] 2 2ae, Quaest. LXXXV, art. 3, ad 3um. — [2] Ibid., art. 4. — [3] Hebr., X, 14. — [4] Ex hoc apparet haud ita recte a Iacobo Bellord, Ep. Milevitano, scriptum fuisse: *The conclusions drawn from modern investigations are to the effect that sacrifice never was meant for an act of destruction as such, that the notion of destruction or even of immutation never entered into it; but that it was primitively a common meal of the tribe eaten in conjunction with its Deity.* The notion of sacrifice, I. Ecclesiastical Review, July number, 1905.

retineri debeat relate ad Beatissimam Virginem, primo necesse est ut ostendatur quomodo Christus in passione sua verum et proprie dictum sacrificium obtulerit.

17. — Christus verum, proprium et stricte acceptum sacrificium obtulit. — Ad quod conficiendum supponi imprimis debet divinae Providentiae ordinationem, a tota aeternitate fuisse, ut scilicet tale sacrificium, et quidem a tali sacerdote, pro hominibus peccatoribus Deo offerretur in reconciliationem hominis cum Deo.

Sed et hoc advertendum est, Christi passionem et mortem, ex parte quidem eorum qui eum occiderunt, non sacrificium, sed potius maleficium, seu magnum peccatum fuisse: id enim illi ex invidia et malitia patraverunt; sed hoc non officit quin, ex parte Christi patientis, verum sacrificium fuerit, quandoquidem ipsemet morti libere se exposuit, iuxta illud [1]: *Oblatus est, quia ipse voluit*

In quo quidem ulterius apparet distinctio inter Christum et puros homines: siquidem ille de se ipso ait [2]: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam: nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi a Patre meo.* At homo quilibet potestatem in propriam aut in alterius vitam non habet: unde nec seipsum nec alios sacrificare potest, citra speciale Dei praeceptum, quale Abrahae factum legitur [3]. Christus igitur, ex quo semetipsum pro nobis in mortem ultro tradidit, verum sacrificium obtulisse dicendus est, quod, quia ex summa caritate proveniebat, Deo maxime acceptum fuit.

18. — Effectus sacrificii Christi. — Quaerenti autem quisnam fuerit effectus sacrificii Christi, respondendum est hunc fuisse perfectam peccatorum expiationem.

Siquidem, cum in peccato duo sint, scilicet macula culpae et reatus poenae, et illa quidem deleatur per gratiam, qua cor peccatoris convertitur in Deum, hic autem tollatur per

[1] Is., LIII, 7. — [2] Io., X, 17, 18. — [3] Gen., XXII, 2.

congruam satisfactionem Deo exhibitam, patet sacrificio Christi et unum et alterum causatum fuisse: ex eo enim et gratia peccatoribus derivata est, et perfecta a Deo offenso satisfactio exhibita. Et sic ultimus effectus sacrificii Christi fuit peccatoris reconciliatio cum Deo: quandoquidem, sicut homo offensam in se commissam remittit propter aliquod obsequium acceptum quod ei exhibetur, ita ex quo tantum bonum in natura humana inventum est, ut Christus voluntarie pateretur, Deus placatus est super omni offensa generis humani, quantum ad eos qui Christo coniunguntur [1].

19. — Christus est vere et proprie sacerdos. — Ex iis omnibus quae hucusque diximus, inferri debet, Christum vere, proprie et in stricto sensu sacerdotem esse, quandoquidem verum, proprium et stricte acceptum sacrificium Deo obtulit, et quidem ex ordinatione divina: ad sacerdotem autem pertinet proprie sacrificium offerre iuxta illud S. Pauli [2]: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*. Et cum Christus ipse sit offerens idem-

[1] 3. Quaest. XXII, art. 3; Quaest. XLIX, art. 4. Praetermittendum hic non est, Christi sacrificium fuisse non solum propitiatorium, sed etiam latreuticum, eucharisticum et impetratorium, cum, valeliet differentias sacrificiorum Veteris Legis in se adumbraverit, cuius S. Thomas ita exponit (I 2ae, Quaest. CII, art. 3): *Tria horum sacrificiorum genus: quoddam erat quod totum comburebatur et hoc dicebatur holocaustum, quasi totum incensum, huiusmodi enim sacrificium offerebatur Deo specialiter ad reverentiam maiestatis ipsius et ad eius bonitatis et conveniebat perfectionis statui in impletione consiliorum, et ideo totum comburebatur, ut sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascendebat, ita etiam significaretur totum hominem, et omnia quae ipsius sunt, Dei dominio esse subiecta et ei esse offerenda. Aliud autem erat sacrificium pro peccato, quod offerebatur Deo ex necessitate remissionis peccati, et conveniebat statui praecidentium in satisfactione peccatorum. Tertium vero sacrificium vocabatur hostia pacifica, quae offerebatur Deo vel pro gratiarum actione, vel pro salute et prosperitate offerentium ex debito beneficii vel accipiendi vel accepti, et convenit statui proficientium in impletione mandatorum.* — [2] Hebr., V, 1.

tice hostia oblata, et hypostatice Deus cui offertur, et moraliter homines pro quibus offertur, ideo, ut S. Augustinus advertit [1], *quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio: cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse* (Christus) *unus verusque Mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo* (mansit) *cui offerebat, unum in se* (fecit) *pro quibus offerebat, unus ipse* (fuit) *qui offerebat et quod offerebat.*

Quinimmo et hoc addendum est, ex Christi sacerdotio derivari omne, sive Veteris, sive Novae Legis sacerdotium, licet modo utique dissimili [2], scilicet secundum dissimilitudinem sacrificiorum, quum sacrificia Veteris Legis essent tantum figura vel imago sacrificii Christi, sacrificium autem Novae Legis non solum sit imago sacrificii Christi, sed etiam medium quo participes efficimur fructus dominicae passionis: unde illa quidem nonnisi moraliter operabantur ad reconciliationem hominis cum Deo, hoc autem physice: et propterea illa iteranda fuerunt, non autem istud [3].

Quae omnia, licet forsan longiora, tradidisse necesse fuit, ut appareat quid de proposita quaestione tenendum sit, an scilicet et quo pacto Deipara Virgo sacrificium obtulisse dicenda sit.

20. — PROP. III. — Beata Virgo obtulit Deo sacrificium late acceptum, non autem stricte.

21. — Exponitur. — Haec propositio potest dici iam ex parte probata, cum dictum sit Mariam seipsam Deo obtulisse maxima devotione et affectu, simulque ei consecrasse omnium virtutum actus perfectissimos: cui addi etiam debent acerbissimi illi dolores, quos in corde suo pro Christo passa est.

At sacrificium stricto sensu acceptum Deipara non obtulit: licet enim divinam Victimam, Christum scilicet, ferventissimo affectu in illius conceptione Deo obtulerit, et rursus idipsum praestiterit in Templo, cum illuc advenit ut sisteret illum Domino, et quidem Simeone futura revelante, tanquam morti destinatum pro omnium salute, et iterum,

[1] L. IV de Trin., c. 14, t. VIII, col. 823. — [2] Cf. 3, Quaest. XXII, art. 1, seq. — [3] Cf. loc. cit., et 3, Quaest. LXXXIII, art. 1.

quantum in se esset, eamdem oblationem iteraverit in Calvario, tamen hoc totum peractum est absque ulla rei oblatae immutatione, ideoque a sacrificii stricte accepti ratione deficit. Utique sacrificium proprie et stricte dictum fuisset, si Beata Virgo, ut olim Abraham, mandatum a Deo accepisset Filium occidendi, et si rem ad effectum perduxisset, quod tamen non fuit, licet invicta Virgo illud sine ulla haesitatione, si Deo ita placuisset, ultro praestitura fuisse credenda sit, ut egregie exprimit S. Antoninus [1]. Cum autem secundum rationem sacrificii sit etiam sacerdotii ratio, quaerenti utrum Beata Virgo dici possit sacerdos, hoc negandum erit proprio et stricto sensu.

22. — Excellentia sacrificii Deiparae, vi cuius dici potest Virgo Sacerdotalis. — Attamen lata quadam significatione denominari utique poterit Deipara Virgo Sacerdotalis, ratione scilicet suae intimae coniunctionis cum sacrificio Sacerdotis Christi, necnon ratione excellentiae sui proprii sacrificii. — Et quidem, quantum ad primum, sequentia capita distingui possunt. *Primo*, sacerdotem et victimam Deipara genuit; *secundo*, Deo obtulit; *tertio*, ad vitam temporalem aluit; *quarto*, comitata est ad holocaustum; *quinto*, testis fuit veritatis illius sacrificii. — Quantum vero ad secundum, dicenda est Beata Virgo, *primo*, Deo obtulisse semetipsam; *secundo*, actus perfectissimos omnium virtutum elicuisse; *tertio*, summos animi dolores tolerasse: *quarto*, obtulisse Christum Filium suum; *quinto*, ita animo disposita fuisse, ut Christum propriis manibus, si opus fuisset, generosior immolasset.

Hisce tamen addendum est, Deiparam, in offerendo tum Filium suum, tum semetipsam, Deo gratissimam fuisse, cum ab omni prorsus labe immunis existeret. Quod quidem convenienter factum est; nam ad hoc ut gratum divinae Maiestati sacrificium offerret, Beata Virgo nullo peccato, etiam originali, obnoxia esse debuit, ut sic perfecta esset eius oblatio, et plenior participatio de Christi sacerdotio, de quo ait S. Paulus [2]: *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex*,

[1] P. IV, tit. 15, c. 41, § 1. — [2] Hebr., VII, 26.

sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior caelis factus. Unde ex Immaculata sua Conceptione, tanquam divinae maternitatis complemento, gloriosa Virgo hoc habet, ut Filium suum offerendo, acceptissimum Deo sacrificium obtulerit [1].

His de causis excellentissima ratione, licet non propria, dici potest Maria *Virgo sacerdos*, aut melius *sacerdotalis*, ut hac denominativa appellatione deficientia a vero sacerdotio innuatur. Sic quippe eam salutat S. Ioannes Damascenus [2]; qui etiam *christianorum Pontificem* eam compellat [3], necnon *sacerdotum gloriam* : σὺ ἱερέων καύχημα [4]. Nec silendus Pius IX, qui Mariam *Virginem sacerdotem* agnoscit, consociam divini sacrificii [5].

23. — Quaestio II. — *An et quo pacto dici possit Maria coredemptrix generis humani?*

Ad hanc quaestionem, quae sequela est quaestionis praecedentis, rite solvendam, imprimis exhibendus est, ex theologiae fontibus, genuinus conceptus redemptionis, quae proprius finis Incarnationis iure meritoque ponitur.

Porro, cum peccatum duplicem servitutem inducat, unam ex parte culpae, qua peccator a Dei servitute recedens, obligatus diabolo manet, alteram ex parte poenae, qua, Deo sic ordinante, daemoni ut tortori subiicitur, patet ad hoc ut quis dici possit plene et simpliciter redemptor, necesse esse ut hominem ex hac duplici servitute, competenti pretio ab ipsomet soluto, eruat.

Attamen satis quidem non est ut pretium utcumque solvat, sed ulterius requiritur ut de suo solvat: si quis enim pretium quod suum non est solverit, non ipse, sed potius ille cuius pretium est, redimere dicendus erit [6].

[1] Rem hanc fuse exposuimus in op. L'Immaculée Mère de Dieu, Corédemptrice du genre humain. — [2] Χαῖρε θύγατερ ἡ θυηπόλος νεᾶνις. Serm. II in Nativ. B. M. V., t. II, p. 855. — [3] In Menaeis, 1 Ian. — [4] Serm. I in Nativ. B. M. V., t. II, p. 849. — [5] Breve ad Dom. Van den Berghe, ob opus *Marie et le Sacerdoce*, 25 Aug., 1873. Legendus est, hac super re, iam laudatus P. E. Hugon, La Vierge-Prêtre, examen théologique d'un titre et d'une doctrine. — [6] 3, Quaest. XLVIII, art. 4 et 5.

24. — **Christus Redemptor noster.** — Quae cum ita sint, iam clarissime apparet, Christum esse simpliciter et perfectissime nostrum Redemptorem: ipse quidem *redemit nos in Sanguine suo ex omni tribu et lingua et populo et natione* [1]. Passio enim eius, sive sanguis, in quo vita est, res utique pretii infiniti, ab ipsomet oblata est Deo in gratissimum sacrificium, quo et gratia ad culpam delendam necessaria et satisfactio ad poenam tollendam sufficientissima, copiosissime exhibita sunt.

His positis, nunc ostendendum est quomodo alii praeter Christum dici possint nos redimere.

25. **Quomodo alii praeter Christum redimere nos dicantur.** - Et primo quidem supra Hominem Christum agnoscenda est Trinitas Beata, quae nos redemisse dicenda est, principaliter quidem, licet non immediate. Ad ipsam quippe, tanquam ad primam et mediatam causam, pertinebat Christi vita temporalis, et rursus ipsa inspiravit Homini Christo ut sacrificium vitae suae faceret: unde duo supra recensita ad ipsam pertinent, non tamen immediate, sed mediate seu remote, adhuc tamen principaliter, cum prima causa principalis sit: unde legimus in Psalmo [2]: *Redemisti me Domine, Deus veritatis.*

Nunc autem potest esse ut quis de suo utique solvat, non tamen ad utramque servitutem tollendam, verum ad tollendam tantummodo servitutem poenae: sic quippe sanctorum superabundantes passiones redemptiones quaedam sunt, quibus nobis applicatis, a reatu poenae solvimur. Revera, passiones sive dolores huius vitae habent vim satisfactionis; ipsa autem satisfactio, qua quis satisfacit sive pro se, sive pro alio, pretium quoddam dicitur, quo seipsum vel alium redimit a poena peccati, iuxta illud [3]: *Peccata tua eleemosynis redime.*

[1] Apoc., V, 9. — [2] XXX, 6. — [3] Dan., IV. 24. Cf. sequentes Michaelis Bai propositiones, a S. Pio V condemnatas: *Quando per eleemosynas aliaque poenitentiae opera, Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant, nam alioqui essemus, saltem*

Advertendum tamen est, has satisfactiones inniti satisfactioni Christi, tanquam imperfectum perfecto: unde redemptio, quae est a sanctis, non est certe independens a redemptione Christi; quapropter, ii qui sic redimunt, potius quam redemptores, dici debent *coredemptores*.

26. — Quid Beata Virgo in nostra Redemptione praestiterit. — In quo quidem supereminet privilegium Beatae Virginis; quia cum multi sint sancti qui superabundantes passiones habeant, nullus tamen est, cuius satisfactio accedat, etiam a longe, satisfactioni Beatae Virginis, propter tria: *primo*, propter immensitatem eius dolorum; *secundo*, propter dignitatem patientis, erat quippe Mater Dei, divinitati scilicet quodammodo affinis; *tertio*, potissime, quia nullo modo pro se, sed solum pro nobis passa est. Quapropter cum, ut dictum est, alii sancti possint etiam dici coredemptores, uni tamen Deiparae, quasi per antonomasiam, hic titulus decernitur; cui rei accedere etiam videtur auctoritas Ecclesiae, in Officio Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis [1]:

Nobis salutem conferant
Deiparae tot lacrymae,
Quibus lavare sufficis
Totius orbis crimina.
Sit quinque Iesu vulnerum
Amara contemplatio:
Sint et dolores Virginis
Aeterna cunctis gaudia.

Quibus cohaerenter additur [2]: *Per te salutem hauriamus, Virgo*

aliqua ex parte, redemptores; sed aliquid facimus, cuius intuitu, Christi satisfactio nobis applicatur et communicatur. — Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas, non proprie redimuntur nostram delicta, sed per communionem caritatis, nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus qui pretio Sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur. Prop. LIX et LX. Cf. Bullam *Ex omnibus*, 1 Oct., 1567. Denzinger — B., nn. 1059, 1060.

[1] Dom. III Sept., in Hymno ad Laudes. — [2] Vers. 3 Noct. ad Matut.

Maria, ex vulneribus Christi; et iterum [1]: *Maria Virgo, per virtutem tot dolorum, fac nos gaudere in regno caelorum* [2].

At ex alio quoque titulo, *Coredemptricis* denominatio Deiparae convenit.

Cum enim, ut diximus, prima peccati servitus sit illa quae macula culpae inducitur, ideo ad hoc ut quis plene redemptor sit, necesse est ut pretium ex hoc capite solvat, quod fit per sacrificium, cuius effectus est gratiam in anima producere, sine qua maculam culpae deleri impossibile est. Ex quo capite, solus Christus *redemptor* noster dicendus est, cuius passio vim efficientiae habet per respectum ad eos qui ipsi iunguntur, ad delendam maculam peccati, seu ad gratiam restituendam [3]. Et in hoc quidem impar est quaecumque creatura, citra Christi humanitatem propter suam coniunctionem ad Verbum, huic effectui producendo: unde de Christo dicitur [4]: *Non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est... datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Attamen, cum secundario, ut innuimus, aliquis redimere alium dici possit, in quantum scilicet pretium solvat quod est alterius, hinc etiam ex hoc capite Deipara quodammodo nos redemisse dici potest. Licet enim passio Christi, quae est pretium nostrae salutis, propria illius sit, tamen Christus ipse dici potest fuisse aliquid Mariae, ad quam veri filii relatione obstringebatur, et cui etiam aliqualiter subditus erat. Quocirca, quodammodo, id est secundaria ratione, Beata Virgo nos redemisse dici potest, *primo*, cum operi Incarnationis, utpote formaliter redemptivae generis humani, consensum ultro praebuit; *secundo*, cum Iesum in templo, et quidem tanquam mortem passurum, Deo obtulit; *tertio*, cum eumdem in ara Crucis pendentem, tanquam totius humani generis vices gerens, toto cordis affectu, obtulit.

[1] Vers. ad Laudes. — [2] Hanc veritatem haud satis a fidelibus pensitari, pie conquerebatur B. Grignion de Montfort, his verbis (Traité de la vraie dévotion à la Sainte Vierge, p. 42): *Je me tourne un moment vers vous, ô mon aimable Jésus, pour me plaindre amoureusement à votre Majesté, de ce que la plupart des chrétiens, même les plus savants, ne savant pas la liaison nécessaire qui existe entre vous et votre Sainte Mère.* — [3] Cf. 3. Quaest. XLVIII, art. 6. — [4] Act., IV, 12.

Porro, praecise qui Beata Virgo pretium quidem obtulit, tum quantum ad servitutem culpae, tum quantum ad servitutem poenae, sed tamen non tale pretium quod summe stricte foret, id o secundario tantum, et non principaliter nos redamisse dicenda est, quod tamen formaliter significatur, cum dicitur *Coredemptrix;* quo quidem non alius, prorsus primum, redemptor, aequo iure significatur, sicut quando, verbi gratia, rex colegatos ad aliquam civitatem mittit: sed proprie significat quendam ordinem et quandam dependentiam Deiparae ad Christum, utpote ad principalem Redemptorem, quemadmodum homo, dum divinae gratiae cooperatur, non ex aequo cum gratia operatur, sed dependenter ab ipsa.

Ceterum lex est, primum in unoquoque genere esse quodammodo causam eorum quae sunt in illo genere. Atqui Beata Virgo est prima inter redemptos a Christo. Ergo quodammodo causa est redemptionis hominum. Quod eo vel magis admirandum est quod, cum Deipara esset immaculata, nihil prorsus in ea fuit quod impediret quominus pretium ab ipsa solutum Deus perfectissime acceptaret.

27. — **Conclusio. - Beata Virgo rite vocatur generis humani Coredemptrix.**

Quibus sic constitutis, concludendum est, catholice omnino Deiparam vocari posse *Coredemptricem generis humani*, nec illis subscribendum esse, qui hoc negant in antiquitate reperiri. Esto enim, quod ad nomen spectat, titulus ille vix ante saeculum decimum sextum inveniatur usurpatum, tamen quoad rem significatam, dici potest implicite contentus in illis appellationibus, quibus etiam prisci scriptores usi sunt, cum Beatam Virginem vocitarunt humani generis *reparatricem*, *salutricem*, aut etiam aliquando *redemptionis cooperatricem*. Cum autem titulus Coredemptricis iam plurium saeculorum usu apud populum christianum, Ecclesia non contradicente, invaluerit, merito temerarius diceretur, qui de illius legitimitate ambigeret [1].

[1] Rationes ob quas Beatae Virgini titulus Coredemptricis conveniat, ita compendiose exponit P. Faber (The foot of the Cross,

28. — Patrum et Doctorum auctoritas. — Revera, nimis eloquentia sunt Patrum, seu scriptorum ecclesiasticorum testimonia, quam ut de hac re dubitare possimus. Sic, verbi gratia, S. Ephrem his Virginem alloquitur verbis [1]: *Tu captivorum redemptio et omnium salus*, pariter S. Petrus Chrysologus ait [2]: *Vere plena* (gratia Maria), *quae largo imbre totam funderet et infunderet creaturam.* INVENISTI ENIM GRATIAM APUD DEUM. *Haec cum dicit, ipse angelus miratur, aut feminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per feminam.* Pariter S. Idephonsus, Virginem compellans, dicit [3]: *Tu... pacem mundo impetrasti, diabolum superasti et vicisti, humanum genus reparasti.* Quibus cohaerenter Eadmerus ait [4]: *Hoc prom vait ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret*; et S. Laurentius Iustinianus de Deo dicit quod *Virginem voluit fieri genitricem, reparatricem saeculi* : unde concludit Innocentius III [5]: *Quod damnavit Eva, salvavit Maria*; et S. Bonaventura [6]: *In* (Mariae) *sacrosanctum uterum introduxit Dei Filius humanam naturam, ut cum sibi desponsaret, et omnium Creator, noster fieret frater, et Beata Virgo efficeretur omnium Sanctorum mater. Benedicta sit dies, in qua omnia haec facta sunt, quia per Virginem Matrem Deus effectus est noster pater; Dei Filius noster frater.* Qui iterum ait [7]: (Maria) *debet laudari et amari, quod placuit ei quod*

C. XI, Sect. 1): *Mary has three distinct rights to the title of Co-redemptress. She has a right to it, first of all, because of her co-operation with Our Lord in the same sense as the saints, but in a singular and superlative degree. She has a second right to it, which is peculiar to herself, because of the indispensable co-operation of her Maternity. She has a third right to it because of her dolours.*

[1] ORAT. AD VIRG., t. III, p. 195. — [2] Sermo CXLII, de Annunt. S. Mariae Virginis. Inter Opp. S. Leonis M., Paris., 1641, p. 125. — [3] IN CORONAM B. V. M., c. 11, dubium opus, ut supra. — [4] DE LAUD. VIRG., c. 9, inter opera S. Anselmi, liber de Excell. B. V. Mariae, auct. Eadm., t. III, p. 247. — [5] Serm. DE NATIV. MARIAE. — [6] Serm. II, DE ASSUMPT. — [7] Sermones de B. V. M. De Annunt., Sermo 10, t. IX, p. 672. Sex habet Doctor Seraphicus de Annuntiatione Sermones, in quibus doctrinam de mediatione Deiparae miro affectu et copiosa Scripturarum eruditione exponit atque illustrat. — [8] I, Dist. XLVIII, art. 2, Quaest. II, Dub. 4, t. I, p. 861.

Unigenitus suus pro salute generis humani offerretur. Et tantum etiam compassa est, ut, si fieri potuisset, omnia tormenta quae Filius pertulit, ipsa multo libentius sustineret [1].

Specialem ha in re merentur considerationem praeclara Benedicti XV verba [2]: *Tradunt communiter Ecclesiae Doctores, B. Mariam Virginem, quae a vita Iesu Christi publica veluti abesse visa est, si Ipsi mortem oppetenti et Cruci suffixo adfuit, non sine divino consilio adfuisse. Scilicet ita cum Filio patiente et moriente passa est et paene commortua, sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit placandaeque Dei iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit, ut dici merito queat, Ipsam cum Christo humanum genus redemisse.* Quid explicitius, quid gloriosius de dulcissima Matre nostra Maria potest praedicari [3]?

Sed non minus diserta sunt quae nuper Pius XI protulit [4]: *Virgo perdolens redemptionis opus cum Iesu Christo participavit, et, constituta hominum Mater, eos sibi veluti testamento divinae caritatis commendatos, amplexa* (est) *filios, amantissimeque* (tuetur).

29. — Scholion. — Sciscitanti in quonam Deipara aliis sanctis praecellat in cooperando operi redemptionis nostrae, responderi potest, ipsam excellere ex duplici capite: *primo* extensive, cum eius cooperatio, utpote Matris Christi et hominum, ad omnes illos extendatur, ad quos Christi operatio pertingit, dum sancti sua cooperatione definitum quemdam hominum numerum tantummodo complectuntur: *secundo* intensive, efficaciori scilicet ratione attingendo illosmet, ad quos aliorum sanctorum passio pervenit, et hoc tum propter immensitatem suorum dolorum, tum propter excellentiam caritatis, tum denique propter suam digni-

[1] Huc pertinet oratio quam Mariae Servi ad eam quotidie dirigunt (in Vig. B. M. V., lect. III): *Tuo pio interventu culpas nostras abluc, ut perennis sedem gloriae per te redempti valeamus scandere.* — [2] Breve, *Inter sodalicia*, 22 Mart. 1918. — [3] Notari etiam debet nomen hoc, *Coredemptrix*, a S. Rituum Congregatione non ita pridem Beatae Virgini aplicatum et veluti consecratum fuisse, 13 Maii, 1908. — [4] Litt. Apost. *Explorata res est*, 2 Febr., 1923, Acta Ap. Sedis, Vol. XV, pp. 104, 105.

tatem, utpote quae dignitatem omnium sanctorum longe supergreditur.

30. — **Solvuntur obietiones.** — I. **Obiicienti** haec verba Isaiae [1]: *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum*, quibus suadendum videretur redemptionem humani generis soli Christo tribuendam esse, responderi cum Angelico potest [2], quod propheta *dicit signanter* VIR, *propter Beatam Virginem, in qua fides nunquam defecit*; quibus cohaerenter ait B. Albertus Magnus [3]: *Quando igitur viros exclusit Isaias, constat quod aliquam feminam reliquit, quam non exclusit, quae torcular passionis secum sustinuit et calcavit.*

Posset ulterius opponi quod habet S. Thomas, qui commentans verba S. Pauli [4]: *Gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia*, ait [5]: *Passiones sanctorum proficiunt Ecclesiae, non quidem per modum redemptionis, sed per modum exempli et exhortationis, secundum illud* [6]: SIVE TRIBULAMUR PRO VESTRA EXHORTATIONE ET SALUTE.

At respondendum est, sanctum Thomam hic non considerare passiones sanctorum nisi communiter, scilicet secundum quod eisdem sufficiunt ad satisfaciendum pro peccatis.

Pro quo intelligendo, sciendum est passiones sanctorum posse tripliciter accipi: *primo*, communiter; *secundo*, specialiter; *tertio*, specialissime. Et primo quidem sensu, passiones omnium sanctorum ipsismet sufficientes sunt, et aliis non prosunt nisi per modum exempli et exhortationis. Secundo, aliquorum sanctorum passiones superabundantes sunt; ideoque non modo ipsis prosunt, sed etiam aliis, virtute caritatis, quae propria bona aliis communicat: et quidem ad istam superabundantiam meritorum seu passionum sanctorum pertinet indulgentiarum virtus in Ecclesia. At quia nullus est, etiamsi sanctissimus existat, praeter Beatam Virginem, qui peccato non sit obnoxius, ideo nullus

[1] LXIII, 3. — [2] IN IS. PROPH. EXPOS., h. l. — [3] H. l. — [4] COLOSS., I, 24. — [5] 3, Quaest. XLVIII, art. 5, ad 2um. — [6] 2 COR., I, 6.

est inter sanctos cuius passiones exclusive aliis prosint unde tertio, solius Beatae Virginis dolores habent rationem excellentissimi pretii, utique in virtute passionum Christi, quod ad redemptionem humani generis valuerunt, acceptissimum Deo fuit [1].

II. Cavendum autem est sedulo ne putetur gloriosa Deipara, in hoc quod redemptioni nostrae efficaciter cooperata est, ita de se praesumpsisse, ut operam suam veluti necessariam duceret, quod utique significare videtur, etsi solum dubitative, sequentia S. Ambrosii verba : (Maria) *non spectabat oculis Filii vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem. Aut fortasse quia cognoverat per Filii mortem mundi redemptionem, aula regalis putabat se et sua morte publico cuncti aliquid adiuturum. Sed fortasse quia non videbat adiutore ad omnium redemptionem, qui dixit*: FACTUS SUM SICUT HOMO SINE ADIUTORIO INTER MORTUOS LIBER : *Suscepit quidem Matris affectum, sed non quaesivit hominis auxilium.* — Haec nimirum verba, quatenus innuere videntur Beatam Virginem ultra quam fas esset cooperationem suam exaggerasse, tamquam illius eximiae sanctitatis indigna respuenda sunt.

31. — Conclusio. — Quae cum ita sint, cum B. Grignion de Montfort concludere fas esse : *C'est par Marie que le salut du monde a commencé, et c'est par Marie qu'il doit être consommé.*

Nous ne craignons point, ait Bourdaloue [4], *d'être des dévots indiscrets de Marie quand nous l'appellons notre* MÉDIATRICE *et notre* RÉPARATRICE *... quand nous disons qu'elle est pour nous une source de vie, qu'elle est dans cette terre d'exil notre consolation, qu'elle est au milieu de tous les dangers notre*

[1] Circa cooperationem Mariae in opere redemptionis, consuli possunt Al. SCHAEFER, *Die Gottesmutter in der Heiligen Schrift* Maria die Mitwirkende, pp. 145, seq. Münster, 1887; JEANJACQUOT, S. J., *Simples explications sur la coopération de la T. S. Vierge à l'œuvre de la Rédemption, et sur la qualité de Mère des Chrétiens*, Paris, 2me, Ed. 1875. — [2] Expos. S. Evang. sec. Luc., l. X, n. 132. Opp. t. III. — [3] TRAITÉ DE LA VRAIE DÉVOTION À LA SAINTE VIERGE, p. 30. — [4] 2me SERMON POUR LA FÊTE DE L'ASSOMPTION DE LA VIERGE, Paris, 1830, t. XVIII, p. 57.

espérance : pourquoi ? Parce que jusqu'à la fin des siècles, malgré le chagrin de l'hérésie, l'Église la réclamera et la saluera sous toutes ces qualités : VITA, DULCEDO ET SPES NOSTRA, SALVE.

Hoc quoque sensu iampridem Ambrosius Spiera, O. S. M.[1], commentans illud S. Ioannis [2] : *Ego sum lux mundi*, dixerat : *Tanta est unitas Virginis gloriosae ad dulcissimum Christum, ut dignitates quae Christo conveniunt per naturam, Virgini conveniant per gratiam... et per consequens, sicut hodie Christus per naturam ait :* EGO SUM LUX MUNDI, *si Virgo gloriosa per gratiam dicere potest :* EGO SUM LUX MUNDI.

ARTICULUS IV. — *De intercessione Beatae Mariae Virginis.*

1. — Haereticorum sententiae. — Cum mediationem suam inter Deum et homines Beata Virgo modo continuet, fusa multiplici ad Deum pro nobis oratione, hinc merito, postquam de illius mediatione actum fuerit, quaestio de eius intercessione pertractanda proponitur.

Ubi primo loco errasse perhibetur Vigilantius, qui posuit sanctos in caelo pro nobis minime orare, quem emphatice perstringit S. Hieronymus scribens [3] : *Dicis in libello tuo quod, dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus ; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio... Si apostoli et martyres, adhuc in corpore constituti, possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quando magis post coronas, victorias et triumphos ? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam, et Stephanus imitator Domini sui et primus martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur ; et postquam cum Christo esse coeperint, minus valebunt ? Paulus apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in nave animas condonatas, et postquam resolutus esse coeperit cum Christo, tunc ora cla-*

[1] QUADRAGESIMALE DE FLORIBUS SAPIENTIAE, Sabb., post IV Dom. Quadrag., de Virg. glor. Sermo, in ord. 32. — [2] VIII, 12. — [3] L. CONT. VIGIL., c. 3, t. II, p. I, col. 392.

surus est, et pro his qui in toto orbe ad suum evangelium crediderunt, mutire non poterit? Hinc patet vere Vigilantium dormitasse, qui tam absurda proferebat.

Vigilantii errorem magno fastu resumpserunt Novatores Lutherani et Calvinistae, docentes sanctos, nedum inutiliter, verum etiam cum Christi iniuria a nobis invocari. Quorum primum ex eo eruere contendebant, quod ea quae ad nos spectant, sanctos omnino latent, utpote quos alia prorsus regio detinet; aliud vero ex eo deduci volebant, quod, teste S. Paulo [1], *unus* (est) *mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus*, nec dari potest ad mediatorem mediator, maxime cum Christi meritum et intercessio superabundantia porsus exstiterint.

2. — Fidei catholicae professio. — At contrarium prorsus tenet fides catholica qua, iuxta Tridentinum Concilium [2], docemur sanctos cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, eosque impie sentire, qui negant illos Dei amicos pro nobis etiam singulis orare.

Enimvero, haud diffitendum est a sanctis in patria preces nostras utique cognosci, etiam citra specialem revelationem, qualis animabus in purgatorio detentis interdum conceditur. Nam sancti divinae Essentiae visione fruuntur, in qua, velut in sufficienti medio, omnia cognoscere possunt quae sua referunt, quod quidem ad perfectionem beatitudinis eorum requiritur. Haec quippe beatitudo plene consistere non posset, nisi ea omnia quae ad ipsos pertinent sancti cognoscerent, cum unusquisque cupiat cognoscere quae ad se spectant; unde *manifestum est*, concludit S. Doctor [3], quod sancti *in Verbo cognoscunt vota et devotiones et orationes hominum qui ad eorum auxilium confugiunt*: et sanctus Gregorius Magnus, cum dixisset mortuos communiter ignorare quid heic agatur, addit [4], *quod tamen* (hoc, *de animabus sanctis sentiendum non est; quia quae intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est quia foris sit aliquid quod ignorent.*

[1] 1 Tim., II, 5. — [2] Sess. XXV, Decr. de Invoc. SS. — [3] Supplem., Quaest. LXXII, art. 1. — [4] L. XII Mor., c. 14, t. I, p. 301.

Aliunde, ut habet Angelicus [1], *hoc ad eorum gloriam pertinet, quod auxilium indigentibus praestent ad salutem; sic enim dei cooperatores efficiuntur, quo nihil est divinius* [2]. Quod quidem nobis sine dubietate adserendum erit, recolentibus in Symbolo Apostolorum articulum de Communione Sanctorum, vi cuius verum et efficax intercedit commercium inter sanctos in caelo triumphantes, et fideles adhuc in hac mortalitate bella gerentes.

3. — Nullam Christo iniuriam irrogat sanctorum veneratio. — Falsum quoque omnino est quod imponitur, nempe sanctorum intercessionem Christi intercessioni praeiudicio cedere; quandoquidem Christus, ut supra innuimus, unus est immediatus et principalis mediator, caeteri vero mediatores secundarii sunt et ab ipso dependentes, ut pulcre tradit S. Augustinus, dicens [3]: *Si quis peccaverit, advocatum habemus ad Patrem Iesum Christum iustum. Sed dicet aliquis: Ergo sancti non petunt pro nobis? Ergo episcopi et praepositi non petunt pro populo? Sed attendite Scripturas et videte, quia et praepositi commendant se populo ... orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo.*

Reveva, solus Christus a fidelibus tanquam intercessor principalis et immediatus invocatur; sancti autem tanquam intercessores mediati et secundarii ac a Christo dependentes; unde concludendum est, verbis citatae Synodi Tridentinae [4], *bonum atque utile esse suppliciter eos* (nempe sanctos) *invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum Dominum Nostrum, qui solus Noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere.* Ubi, per id quod dicitur: *ob beneficia per Christum impetranda*, sat aperte indicatur, sanctorum invocationem non evacuare, immo magis supponere, Christi efficacissimam et, in suo genere, unicam intercessionem.

4. — Advertenda. — Hic quoque, quod ad propositum nostrum attinet, addendum venit, ut innuimus, sanctos in

[1] Suppl., l. c. — [2] Cf. L. de Caelesti Hierarch., c. 3. — [3] Tract. 1 in Ep. Io., n. 8. t. III, col. 831. — [4] Sess. XXV, loc. cit.

caelo pro nobis, non modo in communi, sed etiam *in particulari* orare: quod statuitur contra eos haereticos qui, catholicorum argumentis perstricti, concesserunt quidem sanctos pro nobis orare, sed hoc solum in communi, quatenus generali modo indigentiam nostram et pericula cognoscentes, pro sua caritate et misericordia, omnibus communiter bona desiderant.

Quod perperam sane dicitur, cum ipse Christus, cuius agendi ratio servis suis in exemplum proponitur, pro quibusdam singillatim rogaverit, ut puta, pro Petro, cui dixit [1]: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; sancti quoque viri saepius in Sacra Scriptura exhibeantur pro aliquibus signanter deprecati fuisse, ut cum de Hieremia propheta refertur quod *multum orat pro populo, et universa sancta civitate* (Hierusalem) [2]; quocirca in Tridentino Concilio [3], dicuntur illi *impie sentire, qui negant sanctos pro nobis, etiam singulis, orare*. Iampridem in Concilio Constantiensi [4], damnata fuerat sententia Wiclefi, dicentis, *speciales orationes, applicatas uni personae per praelatos vel religiosos, non plus prodesse eidem, quam generales, ceteris paribus*: ex quo iterum inferre licebit, sanctis competere ut speciales fundant orationes, utpote quae eorum perfectam caritatem misericordiamque satius commendant.

Denique hoc etiam advertendum erit, nempe sanctos pro nobis orare, non interpretative tantum, id est, mediantibus meritis quondam in via habitis, aut mediante actu amoris perfecti et perpetui erga Deum et fideles in communi, ut quidam posuerunt, *sed formaliter*, scilicet per verum actum supplicationis, Deo pro nobis in particulari exhibitum. Quod quidem ex eo ostenditur, quod specialiter de fratrum salute sollicitos eos caritas facit; ideoque Ecclesia particulares ad eos orationes dirigit, quod profecto inutiliter fieret, si non formaliter, sed interpretative tantum et modo communiori, sancti pro nobis orarent.

Quae cum ita generaliter de fide constiterint, iam propius ad praesentis articuli propositum accendendum est, in

[1] Luc., XXII, 32. — [2] 2 Mach., XV, 14. — [3] Loc. cit. — [4] Sess. VIII, prop. 19. Denzinger — B., n. 599.

quo tum de ratione, tum de universalitate et efficacia intercessionis Beatae Virginis quaestio instituitur.

5. — Beata Virgo pro seipsa oravit. — Hic tamen praemittendum est, a nobis non agi de orationibus quas Beata Virgo ad Deum pro semetipsa, mortalis vitae suae cursu, fuderit. Cum enim oratio, quam pulcre definit S. Ioannes Damascenus [1], *ascensum mentis in Deum, aut petitionem decentium a Deo*, sit *quaedam explicatio propriae voluntatis apud Deum, ut eam impleat* [2], hinc conveniens est ut voluntas humana convertat se ad Deum pro obtinendis iis quae per semetipsam inefficax evadit ad implendum. Atqui, quemadmodum Beata Virgo quaedam bona habebat a Deo sibi collata, ut verbi gratia, immaculatam conceptionem, divinam maternitatem, etc., ita etiam expectabat ab eo quaedam bona nondum habita, sed per eius gratiam percipienda, ut augmentum gratiae, perseverantiam finalem et gloriam beatitudinis. Igitur, quemadmodum pro bonis iam perceptis gratias Deo agebat, eum agnoscendo tanquam talium bonorum auctorem, ut constat ex toto Cantico *Magnificat* [3], ita etiam orando petiit ab eo quae sibi adhuc deerant: ut sic Deum tanquam omnium fontem bonorum agnosceret.

Cuius quidem oratio, quae erat secundum voluntatem deliberatam, seu, *ut ratio* est, semper exaudita fuit, cum haec conformis divinae voluntati semper exstiterit; potuit tamen Beata Virgo orare etiam secundum sensualitatem, scilicet Deo proponendo id quod erat in appetitu sensualitatis ipsius, puta orando, sicut oravit Christus, ut si fieri posset, transiret calix maternae suae compassionis, in quo profecto exaudita non fuit.

Sed in hoc nulla inconvenientia aut indecentia habebatur: quandoquidem Beata Virgo, cui erat vera natura humana, cum omnibus naturalibus affectibus illius, potuit, secundum naturalem affectum, aliquid velle quod Deus non volebat; in quo tamen magnae virtutis exercitium aderat;

[1] Προσευχή ἐστιν ἀνάβασις νοῦ πρὸς Θεὸν, ἤ αἴτησις τῶν προσηκόντων παρά Θεοῦ. L. III Orthod. Fid., c. 24, t. I, p. 248. — [2] 3, Quaest. XXI, art. 1. — [3] Luc., I, 46, seq.

nam naturalem hanc voluntatem divinae voluntati perfectissime subiiciebat, addens cum Christo [1]: *Verumtamen, non mea voluntas, sed tua fiat.* Unde, quia haec non erat nisi quaedam velleitas, non autem deliberata voluntas, et ratione superiori nolebat ut a Deo impleretur, hinc potest utique illud de Beata Virgine dici quod de Christo asseritur, nempe omnem eius orationem fuisse semper exauditam [2]. Quibus praemissis, iam potest statui sequens

6. — PROP. I. - α) **Beatissima Virgo in caelis orat pro nobis, non modo in communi, sed etiam in particulari:** β) **immo nulla gratia alicui mortalium post lapsum unquam conceditur, nisi per respectum ad illius aut intercessionem aut meritum.**

7. — **Prob. 1ª Pars.** — Cur dicatur Beata Virgo pro nobis orare in particulari, superius fuse declaratum est. Huius autem primae partis veritas ex hoc Angelici Doctoris principio evincitur [3]: *Quanto sancti qui sunt in patria, sunt perfectioris caritatis, tanto magis orant pro viatoribus qui orationibus iuvari possunt: et quanto sunt Deo coniunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces.* Atqui Beata Virgo omnes sanctos in caritatis perfectione superat: sed et illius divina maternitas, qua consanguinea Christo et deitati affinis efficitur, illam Deo intimius coniungit, quam quemlibet alium sanctum quantacumque gratia exornatum. Ergo concludere fas est, non solum Deiparam pro nobis in particulari intercedere, verum etiam illam in potentia impetrandi omnes sanctos longe superare.

Qua in re praeclara sunt eximii Suarezii verba [4]: *Ultimo colligitur ex dictis, non solum intercedere pro nobis Beatam Virginem, sed etiam eius intercessionem esse omnium efficacissimam, ut omnes sancti citati docent, et rationes factae convincunt: quin potius, si vera sunt quae de caritate et gratia Beatae Virginis in superioribus docuimus, existimo a Virgine in hac potestate et efficacia, non solum sanctos singulos, sed*

[1] Ibid., XXII, 43. — [2] Cf. 3, Quaest. XXI, art. 2. — [3] 2 2ae, Quaest. LXXXIII, art. 11. — [4] In 3 P., Quaest. XXXVII, art. 4, Disp. XXII, sect. 2.

omnem etiam caelestem curiam superari: itaque, si cogitatione fingamus Beatam Virginem aliquid postulare, totamque curiam caelestem illi resistere, sicut apud Danielem unus angelus alteri resistebat, potentior esset, maiorisque efficaciae et roboris apud Deum Virginis, quam reliquorum sanctorum omnium, oratio:... et ideo Ecclesia frequentius, et altiori quodam modo, orat ad Virginem, quam ad reliquos sanctos. Ex quibus ultimis verbis argumentum indirecte desumitur ad praesentis thesecos confirmationem: frustra enim tot, et tam frequentes orationes ad Deiparam Ecclesia funderet, nisi firma ipsi inesset fiducia summam hanc Reginam eas rite exaudire, Deum pro clientibus suis materna pietate exorando.

Denique, si cui adhuc hac super re dubium supersit, recolere illum oportet Beatam Virginem ex divino decreto fuisse constitutam hominum Matrem in ordine vitae supernaturalis. Atqui, in ordine naturali, matris praecipuae sunt partes, ea quae ad vitam prolis corporalem conservandam pertinent, procurare; unde et ad divinam Matrem potissime pertinebit hominibus caelestia gratiarum dona supplici ad Deum deprecatione postulare.

8. — Secundae partis terminorum expositio — Terminorum secundae partis thesecos tenor sedulo notandus est.

Primo dicitur, nullam dari alicui mortalium *post lapsum* gratiam, nisi intuitu Deiparae aut intercessionis aut meriti. Revera, hic agitur expresse de gratia Christi, ex quo, tanquam formaliter hominum Redemptore, nonnisi post lapsum Adae, gratia derivata est, cum Incarnatio decreta fuerit praecise in reparationem illius peccati [1]; quapropter, cum Beatae Virginis praedestinatio ex praedestinatione Christi pendeat, hinc illius influxus influxui Christi subordinatus manet, nempe ad ea quae post lapsum Adae contigerunt.

Insuper, cum ante suum ortum, Beatissima Virgo invocari haudquaquam posset, nec ipsamet pro hominibus intercedere, hinc in gratiam et salutem eorum qui se praecesserunt dicenda est habuisse influxum causae tantum meritoriae praevisae, in suo proprio ordine, quemadmodum, in alio

[1] Cf. tr. n. de Incarnat. Verbi, Vol. I, Quaest. I, art. 3, n. 3, p. 27.

excellentiori ordine, propter praevisa Christi merita, omnis gratia in Veteri Testamento dispensata fuit.

Eorum vero qui post Deiparae adventum salvantur, non omnes illam actu invocasse inveniuntur, cum aliqui ante adeptum rationis usum in Dei gratia decedant, ut parvuli et perpetuo dementes post acceptum baptismum, alii autem aut Beatam Virginem non cognoscant, aut de ea invocanda actu non cogitent, cum aliunde compertum sit Deiparae invocationem non esse ad salutem absolute necessariam. Pro his tamen intercessisse actu dicenda est Virgo Maria; quandoquidem, ut sua oratione alicui subveniat, non requiritur ut actu invocetur, cum etiam non invocata succurrat, quemadmodum Christus, non solum nobis illas gratias subministrat pro quibus illum deprecamur, sed etiam non exoratus plures ultro elargitur gratias, puta eas quibus ad efflagitandum excitamur, immo et illas quibus, in peccato obstinati, ad poenitentiam tandem provocamur.

9. — Prob. 2ª Pars. — Huius autem rei ratio demum illa est quam supra dedimus, nempe Beatam Virginem id omne de congruo nobis meruisse, quod Christus de condigno, cum ipsam in opere salutis humanae sociam universaliter Verbum adsciverit.

Quam vero alte sit haec sententia Ecclesiae menti defixa, tum ex illius liturgia, tum ex Patrum, Doctorumve doctrina colligere licebit.

Siquidem Ecclesia non solum efflagitat, ut Beatae Virginis *intercessio gloriosa nos protegat et ad vitam perducat aeternam* [1], et ut eiusdem apud Deum *intercessionibus adiuvemur* [2], verum etiam ita universaliter Deiparam alloquitur [3]: *Per te salutem hauriamus, Virgo Maria, ex vulneribus Christi;* et ex pio quodam auctore eamdem in illius Officio deprecatur [4]: *Sancta Maria, succurre miseris, iuva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro*

[1] Orat. *Beatae et gloriosae,* ad Complet. Offic. parvi B. M. V. — [2] Orat. *Deus qui de Beatae,* ad Laudes eiusd. Offic. — [3] In Officio VII Dolorum B. M. V., vers. ad 3ᵘᵐ Noct. — [4] Serm. CXCIV et II de Annunt. Dominica. Inter opera S. Aug., t. V, p. 323, n. 5.

devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum invamen. Sed et quod eamdem gloriosam Virginem Ecclesia, tum in illius Officio, tum maxime in mariali rosario, speciali ritu colendam fidelibus instanter proponat, evidenter ostendit eius mentem esse, omnem, quae aliquando conceditur, gratiam, ipsa intercedente, atque per beatas illius manus, ad nos usque transire debere.

10. — Ecclesiae traditio. — Hanc autem veritatem tum aliqui inter Patres, tum plures ex sacris Doctoribus profitentur. Ita celebria omnino sunt et notissima S. Bernardi verba [1]: *Totis medullis cordium, totis praecordiorum affectibus et votis omnibus, Mariam hanc reverenur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Nec silendus S. Bernardinus Senensis, qui ait [2]: *Omnia dona, virtutes et gratiae ipsius Spiritus Sancti, quibus vult, quando vult, quomodo vult, et quantum vult, per manus ipsius* (Virginis) *administrantur.* Qui et idipsum egregie commentatur [3]: *Ergo propter illam nobilem creaturam, salvavit Deus parentes primos de prima eorum transgressione, Noë de diluvio inundante, Abraham de caede regis Chodorlahomor: et, ut brevi sermone omnia comprehendam, omnes liberationes et indulgentias factas in Veteri Testamento non ambigo Deum fecisse propter huius benedictae puellae reverentiam et amorem.* Idem quoque pulcre tradit S. Petrus Damiani, dum Virginem alloquens, ait [4]: *In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini.* Illi autem praeiverat S. Ildephonsus, dicens [5]: *Omnia bona quae* (sanctis) *summa Maiestas decrevit facere, tuis manibus voluit commendare: commissi quippe sunt tibi thesauri..* (et) *ornamenta gratiarum* [6].

Quae cum ita sint, rite invocari potest Deipara hisce verbis Iosephi Hymnographi [7]: *Sancta Virgo, Christi Mater*

[1] Serm. DE AQUAEDUCTU, t. II, p. 127. — [2] Serm. V, c. 8, ed. Lugduni, 1650, t. IV, pag. 96. — [3] Tom. cod. Serm. DE NAT. B. V., art. unic., c. 2. — [4] Serm. I, IN NATIV. B. M. V. — [5] In CORON. VIRG., c. 15, ut supra. — [6] Cf. pulcherrimam Aligherii ad B. Virginem deprecationem superius (p. 117) relatam. — [7] MENOLOG., die XXXI Maii, Ode α'. Vide Passaglia, COMMENT., etc., II, p. 129.

gloria martyrum, angelorumque laetitia, cum hisce deprecare Filium tuum, ut servorum tuorum misereatur illosque servet. Ἁγία παρθένε, μῆτερ Χριστοῦ, μαρτύρων ἡ δόξα, καὶ ἀγγέλων ἡ καρμονή, σὺν τούτοις δυσώπει τὸν υἱόν σου, τοῦ οἰκτειρῆσαι καὶ σῶσαι τοὺς δούλους σου.

11. — **Scholion.** — Quod Beatissima Virgo hominibus tam potenti intercessione opituletur, minime excludit quin Deum alii etiam sancti pro nobis exorent, et quod ab eo ita honorentur, ut diversarum gratiarum diversi constituti sint dispensatores, ut etiam tradit S. Augustinus [1]. Attamen talis intercedit inter hos sanctos et Beatissimam Virginem differentia, ut, quemadmodum advertit Suarezius [2], *inter alios sanctos, non utamur uno ut intercessore ad alium, quia omnes sunt eiusdem ordinis; ad Virginem autem, tanquam ad Reginam et Dominam, alii adhibentur intercessores*, quos inter certe eminet castissimus illius Sponsus, S. Ioseph, quem plus ceteris sanctis Maria dilectione prosequitur [3].

Insuper, quaecumque potestas gratiam concedendi in aliis sanctis divisim reperitur, in una Virgine Beata ita tota collectim adinvenitur, ut rite ab Ecclesia invocetur: *Puteus aquarum viventium.* Quam veritatem egregie exponit S. Anselmus, dum ait [4]: *Quod possunt omnes isti tecum, tu sola potes sine illis omnibus:* et rursus [5]: *Te tacente, nullus orabit, nullus iurabit*; iterumque [6]: *Te orante, omnes orabunt, omnes iurabunt.* Pariter, auctor Speculi B. M. V. ait [7]: *Grande privilegium est quod ipsa prae omnibus sanctis apud Deum potentissima est.*

[1] Ep. LXXVIII, al. CXXXVII, n. 3, t. II, col. 184. — [2] In 3 P., Quaest. XXXVII, art. 4, sect. 3. — [3] Quapropter tanquam efficacissima habenda est sequens oratio a S. Bernardino composita (Sermo I de sancto Ioseph), quam Ecclesia indulgentia ditavit: *Memento nostri, beate Ioseph, et tuae orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede; sed et beatissimam Virginem sponsam tuam nobis propitiam redde, quae Mater est eius qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.* — [4] Orat. XLV ad Sanct. Virg. Mar. Migne, P. L., t. CLVIII, col. 943, 944. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Lect. VI. Inter Opp. S. Bonav., t. VI, ed. Vatic., 1596.

12. — **Corollarium**. — Ex hucusque dictis sequitur, Beatissimam Virginem rite dici posse *omnipotentem in impetrando*. Quod quidem non ita intelligendum est, quasi propria virtute producere possit quidquid habet rationem entis, aut etiam possit miracula propria efficientia patrare, hoc enim solius Dei est; sed quia nihil est in praesenti ordine divinae Providentiae, nihil quoque evenire potest, quod Beata Virgo suis precibus impetrare non valeat.

Quod egregie iterum exponit S. Petrus Damiani [1]: *Fecit tibi magna qui potens est, et data est tibi omnis potestas in caelo et in terra... Nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare.* Eadmerus quoque ita Beatam Virginem alloquitur [2]: *Rogamus ergo te, Domina, per ipsam gratiam, qua te... Deus sic exaltavit, et omnia tibi secum possibilia esse donavit... Tantummodo itaque velis salutem nostram, et vere nequaquam salvi esse non poterimus.* Et citatus auctor Speculi B. M. V. ait [3]: *Quia Dominus potentissimus potentissime tecum est, ideo et tu es potentissima secum: potentissima es per ipsum; potentissima apud ipsum, ita ut vere dicere possis illud* [4]: IN IERUSALEM POTESTAS MEA. Itaque, si Beata Virgo agnoscitur post Filium sapientissima, et post Spiritum Sanctum benignissima, profecto post Patrem ita potentissima praedicanda est, ut ei attribuenda veniat *omnipotentia supplex*.

Cuius omnipotentiae in supplicando effectus generaliter ita egregie exponit S. Bernardinus Senensis [5]: *Cum enim tota natura divina, totum esse, posse, scire et velle divinum, intra Virginis uteram extiterit clausum, non timeo dicere quod in omnium gratiarum effluxus quamdam iurisdictionem habuerit haec Virgo, de cuius utero, quasi de quodam divinitatis oceano, viri et flumina emanabant omnium gratiarum. Revera Mater Dei hanc in mundo naturali iure obtinuit dignitatem, ut Regina misericordiae merito nuncupetur. Hinc,*

[1] Serm. XLIV, qui est I DE NATIV. B. V. Migne, P. L., t. CXLIV, col. 740. — [2] L. DE EXCELL. B. VIRG. MAR, c. 12, inter op. S. Anselmi, t. III, p. 249. — [3] Lect. VIII. Inter Opp. S. Bonaventurae, ed. et t. cit. — [4] Eccli., XXIV, 15. — [5] Sermo V DE B. M. V., c. VIII, ed. cit., t. IV, p. 96.

concludit Leo XIII [1], *insignes illi tituli quibus* (Mariam) *catholicae gentes, christianorum auxiliatricem, opiferam, solatricem, bellorum potentem, victricem, paciferam consalutarunt.*

Particulares autem effectus potentissimae intercessionis gloriosae Deiparae duos potissimum recensere, cum eodem Leone XIII, possumus, nempe complementum mysterii Incarnationis, et Spiritus Sancti in Apostolos adventum. Siquidem, ita loquitur praefatus Pontifex, in epistola encyclica *Divinum illud* [2]: *Ipsius deprecatio Virginis multum profecto valuit et ad mysterium Incarnationis, et ad eiusdem Paraclyti in Apostolorum coronam adventum.* Quocirca, sicut Christus vocatur *caput* Ecclesiae propter suam eminentiam et propter influxum quem habet in omnia illius membra, et Spiritus Sanctus illius *cor* appellatur, propterea quod invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit [3], ita iure meritoque Beatissima Virgo *collo* comparari solet, per quod transire debet quidquid a capite, sub influxu cordis, vitae et virtutis in membra defluit.

Quod pulcre prosequitur Pius IX [4], qui, postquam Beatissimam Virginem vocaverat *tutissimum cunctorum periclitantium perfugium, et fidissimam auxiliatricem*, concludit, *nihil* (esse) *timendum, nihilque desperandum ipsa duce, ipsa auspice, ipsa propitia, ipsa protegente, quae maternum sane in nos gerens animum, nostraeque salutis negotia tractans, de universo hominum genere est sollicita, et caeli terraeque Regina a Domino constituta, ac super omnes angelorum choros sanctorumque ordines exaltata, adstans a dextris Unigeniti Filii sui Domini Nostri Iesu Christi, maternis suis precibus validissime impetrat, et quod quaerit invenit, ac frustrari non potest.*

13. — PROP. II. **Beatissima Virgo non aequaliter apud Deum pro omnibus hominibus intercedit.**

Adiicitur haec propositio ne, quia Beata Virgo, tanquam hominum Mater, eos omnes benevolo quodam affectu prosequitur, exinde concludatur illam pro omnibus pari ratione intercedere.

[1] Ep. Encycl. *Supremi apostolatus*, 1 sept., 1883. — [2] 9 maii, 1897. — [3] 3, Quaest. VII, art. 1, ad 3[m]. — [4] In Bulla INEFFABILIS.

14. — Exponitur. — Revera, alia est voluntas quae consideratur ut natura, ut docet Angelicus [1], alia quae consideratur ut ratio. Et illa quidem magis est dicenda velleitas quam absoluta voluntas, quia nempe hoc homo vellet, si aliud non obsisteret. Voluntas autem ut ratio est absoluta voluntas, secundum quam aliquid simpliciter per deliberationem rationis volumus. Atqui Beatissimae Virginis vuluntas Dei voluntati perfectissime conformis existit; unde quemadmodum Christus voluntate absoluta et efficaci nihil voluit, nisi quod scivit Deum velle, et pro hoc tantum oravit, quidquid voluntate antecedenti et inefficaci vellet, ita Beatissima Virgo voluntate efficaci et absoluta id tantum voluit et vult, quod Dei voluntati conforme esse novit; et ideo, quanquam voluntate antecedente omnium hominum salutem velit, tamen, cum propterea quod Coredemptrix generis humani existit, optime sciat quinam sint praedestinati, ideo non pro omnibus aeque orat, sed speciali modo pro his quos novit vitam per Filium suum consecuturos aeternam. Et hac de causa, potest etiam dici Beatissimae Virginis orationem semper exaudiri [2].

Porro, nec eis pro quibus orat, aequaliter sua intercessione benefacit potentissima Virgo: sed quemadmodum Christus, iustissimis de causis, erga aliquos beneficentiorem se exhibet quam erga alios, plura et efficaciora media ad salutem illis praeparando, ita etiam Beata Virgo, de qua solemne illud statuimus, videlicet illam de congruo nobis promeruisse quod de condigno meruit Christus, pro aliis plus, pro aliis minus orare dicenda est. — Nec in hoc ulla adest iniustitia; nam, ut probe iterum advertit Angelicus [3], licet *benevolentia* dilectionis inaequalis esse non debeat, homines enim aeque diligendi sunt, ut tradit S. Augustinus [4], oportet tamen servare inaequalitatem in *beneficentia*, eo quod omnibus aequaliter prodesse nequimus.

15. — Rationes huius inaequalitatis. — Huius autem inaequalitatis una quidem ratio accipienda est ex maiori

[1] 3, Quaest. XVIII, art. 3. — [2] Cf. 3, Quaest. XXI, art. 4. — [3] 2 2ae, Quaest. XXVI, art. 6, ad 1m. — [4] L. I de Doctr. Christ., c. 28, t. III, P. I, p. 13.

vel minori fidelium erga Beatam Virginem devotione, quae, ut par est, erga eos beneficentiorem se exhibet, quos sibi maioris coniunctionis titulus obstringit, qualis est bona fidelium voluntas Deiparam in Matrem et Patronam libere eligentium; quo faciunt illa [1]: *Ego diligentes me diligo.*

At, quoniam a Beatissimae Virginis intercessione pendet, ut ex dictis colligi potest, iuxta divinae Providentiae rationem, in ordine quidem executionis, electorum ad gloriam praedestinatio, nedum absolute, verum etiam comparative accepta: ex altero autem respectu cum, ex parte effectus praedestinationis in communi, nulla alia ratio adsignari possit, nisi ipsa divina Voluntas [2], hinc ultima tandem ratio inaequalitatis intercessionis aut beneficentiae Beatae Virginis in homines, refundenda est in divinam Voluntatem quae, sicut in mundo, ad complementum universi, *quibusdam effectibus aptavit causas necessarias quae deficere non possunt, ... quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles* [3], ita, in ordine executionis, ipsamet per praedestinationem, quae est pars providentiae, nedum causas secundas subtrahat, potius *sic providet effectus, ut etiam ordo causarum secundarum* (ipsi) *subiaceat* [4]: quocirca, *ita praedestinatur a Deo salus alicuius, ut etiam sub ordine praedestinationis cadat quidquid hominem promovet in salutem, vel orationes propriae, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid huiusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur* [5].

Sciscitanti ergo cur maiorem gratiae et gloriae gradum unus quam alius consequatur, responderi potest, quod ad nos modo attinet et iuxta praemissum sensum, quia Beata Virgo in illum sua intercessione beneficentior existit; ulterius vero quaerenti, undenam oriatur ratio maioris beneficentiae Virginis, resolvendum est ex maiori hominum in ipsam devotionis sensu; sed si quis ultimo velit huius ferventioris devotionis causam rimari, ipsi tandem recurrendum erit ad arcanam divinae Voluntatis bonitatem, quae non omnibus aequalia bona vult, sed diversis diversa, ut sint gradus in universo divinam gloriam manifestantes.

[1] Prov., VIII, 17. — [2] 1, Quaest. XXIII, art. 5, ad 2m. — [3] Ibid., Quaest. XIX, art. 8. — [4] 1, Quaest. XXIII, art. 8. — [5] Ibid.

16. — Efficacia intercessionis Deiparae in caelum assumptae. — Porro, hoc in praesenti re edicendum esse censemus, nempe ideo Deum voluisse ut Beata Virgo paulo post Ecclesiae dilatationem in caelum transferretur, ut pro eadem Ecclesia efficacius intercedere posset.

Equidem potuisset Deus ordinare ut divina Mater diutius in terra permaneret, ad aedificationem et consolationem Ecclesiae et ad augmentum meritorum illius; at opportunius eidem Ecclesiae auxilium providit in potentissima intercessione Deiparae in caelum assumptae. Quae quidem in caelo existens et melius cognoscit Ecclesiae necessitates, et perfectiori caritate (est enim eius in caelo caritas consummata) fideles prosequitur. Unde Deus, cum omnia suavissime provideat, benigne decrevit ut Beata Virgo tunc in caelum transferretur, laborum praemium acceptura, simulque pro hominibus advocatae partes actura, cum Ecclesia iam satis dilatata maiorem divini auxilii necessitatem persentiret.

Sic quippe legimus [1]: *Quam* (Dei Genitricem) *ideirco de praesenti saeculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat;* et rursus [2]: *Famulorum tuorum quaesumus, Domine, delictis ignosce: ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini Nostri intercessione salvemur:* et iterum [3]: *Subveniat Domine plebi tuae Dei Genitricis oratio, quam etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in caelesti gloria apud te pro nobis intercedere sentiamus.*

17. — PROP. III. — Devotio erga Beatam Virginem rite in Ecclesia habetur tanquam singulare praedestinationis indicium.

18. — Exponitur. — Veritatem hanc, quae ex anteactis rite deducitur, per quatuor orbis plagas inclamari cupit pius quidam auctor, sub nomine Seraphici Doctoris. *Audite haec omnes gentes,* ait [4], *auribus percipite qui ingredi cupitis regnum Dei: Virginem Mariam honorate, et invenietis vitam et salutem*

[1] In Orat. Secret. in Vigil. Assumpt. B. M. V. — [2] Collecta festi Assumpt. B. M. V. — [3] Orat. Secret. in eod. festo. — [4] In Psalt., Ps. XLIII.

perpetuam. Quippe ipsa pie invocata est signum nobis ad salutem a Domino datum. Quod antea a S. Germano, Constantinopolitano Antistite, clare fuerat expressum his verbis [1]: *Sicut continua respiratio non solum est signum vitae, sed etiam causa, sic sanctae Mariae nomen, quod in servorum ore versatur, simul argumentum est quod vere vivant, simul etiam hanc vitam efficit et conservat, omnemque eis laetitiam et opem a Domino impertitur.*

S. Ephrem quoque non diffitetur Mariam vocitare *peccatorum refugium atque diversorium, portarum caelestis paradisi reseramentum, firmam salutem universorum christianorum ad illam sincere recurrentium* [2]; quinimmo eamdem vocat *iucundam libertatem* [3]; ex quo inferri potest, solidam devotionem in Deiparam esse veluti verae libertatis chartam. Nec tacendus pius quidam auctor, qui Deiparam cum arca noëtica egregie comparat. *Arca Noë*, ait [4], *significavit arcam gratiae, excellentiam scilicet Mariae: sicut enim per illam omnes evaserunt diluvium, sic per istam peccati naufragium. Illam Noë, ut diluvium evaderet, fabricavit; istam Christus, qui est pax nostra et requies, ut humanum genus redimeret, sibi praeparavit. Per illam octo animae tantum salvantur, per istam omnes ad aeternam vitam, quae per octonarium numerum significata est, vocantur. Per illam paucorum facta est liberatio: per istam, humani generis salvatio.*

Hisce cohaerenter S. Ioannes Berchmans fidenter asserere solebat: *Mariam diligens, securus sum salutis meae et vocationis: quidquid voluero, obtineam, ero omnipotens* [5]. Similiter Venerabilis Petrus Cardinalis Pieri, Ordinis Servorum Mariae olim Prior Generalis († 1743), dictitabat devotionem in Deiparam doloribus transfixam, necnon internam orationem, hominem certo ducere in consecutionem aeternae salutis [6].

[1] In Orat. de Deip. P. G., t. XCVIII. col. 341. — [2] Sermo de V. M. Laudibus. — [3] Ibid. — [4] Sermo de B. M. V. Inter opp. S. Bernardi, t. V, p. 277. — [5] S. Ioannis Berchmans documenta vitae spiritualis clericis proposita. Romae, 1910, p. 34. — [6] Quae cum ita de devotione erga Sanctissimam Virginem constiterint, iam cum Bossuet (3me Sermon pour la fête de la Conception. de la Sainte Vierge,

Notandum tamen hic est, devotionem in Beatam Virginem, quae ponitur praedestinationis signum, debere cum odio peccati et adimpletione officiorum vitae christianae coniungi. Sic quippe S. Alphonsus Ligorius edisserit, hanc propositionem: *Servum Mariae damnari haudquaquam posse, dum ei fideliter servit et se illi commendat*, intelligendam esse de eo qui desiderium emendationis communit fidelitate serviendi Deiparae, illamque invocandi.

19. — Deiparae pro peccatoribus intercessio. — At vero perperam quis ex dictis subinferret, Mariam pro solis iustis intercedere: siquidem, pro materno suo affectu, ipsos peccatores beneficentia sua prosequitur, quippe quae et ab Ecclesia [1], et a sanctis Doctoribus [2], *Refugium peccatorum* solet appellari, cuius intercessioni et boni Latronis in cruce pendentis conversio a S. Petro Damiani non immerito refertur accepta. *Idcirco resipuit bonus Latro*, ait [3], *quia Beatissima Virgo inter cruces Filii et latronis posita, Filium pro latrone deprecabatur*. Pariter S. Pauli mirabilem ad Christum conversionem non pauci graves auctores Beatissimae Virginis precibus adscribendam decernunt [4]. Hinc Beatae Virgini applicari possunt illa verba Apocalypseos [5]: *Mulier amicta sole... in utero habens, clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat*. Quae enim sine dolore Unigenitum peperérat, non sine magno cruciatu et inenarrabili supplicatione, homines, suos filios, ad vitam aeternam parturivit.

1* Point. (Œuvres, etc., p. 666), concludere possumus: *Puisqu'elle* (la dévotion envers la Vierge Bienheureuse) *est si bien fondée, anathème à qui la nie et ôte aux Chrétiens un si grand secours! Anathème à qui la diminue; il affaiblit les sentiments de la piété!*

[1] In Litaniis lauret. — [2] Verbi gr., a S. Ephrem, in cit. serm. DE LAUD. B. V.; a S. Germano, in orat. IN ZONAM; a S. Damasceno, in CAN. DE S. TRIN.; a S. Antonio Paduano, IN DOM. 3 QUADRAG. — [3] Apud Silveira, COM. l. 8, c. 14, q. 8, t. V, p. 583, Lugd., 1668. Cf. Salmeron, tr. XL, t. X, p. 331, Col. Agr., 1604. — [4] Ita Cornelius a Lapide, in cap. VII ACT. Rutilius Benzonius, in EXPOS. Ps. LXXXVI, etc. — [5] XII, 1, 2.

20. — Advertendum. — At, licet Beata Virgo, pro munere quo fungitur, pro omnibus peccatoribus quoad sufficientiam, et pro multis etiam, ut in casu Latronis et Pauli, etiam efficaciter, Deum exoret, ut illis conversionis gratiam largiatur, tamen ne quis falsa securitate decipiatur, duo sedulo attendere debet: *alterum*, eos Virginis auxilio ad salutem efficaci, regulariter loquendo, carere, qui omni devotione erga illam destituuntur, aut, ut sunt haereticorum plures, obstinate se ab illa avertunt: *alterum*, devotionem, quae cum actuali affectu ad peccatum coniungitur, aut qua quis Deiparam colere praesumit ad liberius peccandum, nonnisi vanam spem talis praesidii ingenerare, immo falso appellari devotionem, cum, iuxta receptam Angelici doctrinam [1], devotio sit voluntas prompta ea quae Deo et Beatae Virgini grata sunt exsequendi. — Hoc tamen non impedit quominus habitualis peccator, qui utique citra praesumptionem, certos obsequii actus Deiparae exhibet, ab illius benignissima misericordia favores spirituales aut etiam temporales se recepturum esse confidere possit, etsi efficacia media a peccato surgendi actualiter forsan minime amplectatur.

21. — Triplex in Deiparam devotio. — Quapropter, triplex in Dei Matrem devotio distingui debet: una est *perfecta*, qualem supra descripsimus, et quae est tanto certius signum praedestinationis, quanto ferventior extiterit. Alia est *falsa*, qua quis abutitur ad delicta perpetranda, et quae potius hominem maiori peccato et poenae obnoxium facit, quam Virginis praesidium conciliet [2]. Alia denique est *imperfecta*, qua quis ex fine honesto Deiparam colit, scilicet cum desiderio et intentione conversionis, saltem in mortis periculo,

[1] 2 2ae, Quaest. LXXXII, art. 1. — [2] *Rien n'est si damnable*, scribit beatus Grignion de Montfort (TRAITÉ DE LA VRAIE DÉVOTION A LA S. V., pp. 73, 74), *dans le christianisme, que cette présomption diabolique: car peut-on dire avec vérité qu'on aime et qu'on honore la sainte Vierge, lorsque, par ses péchés, on perce, on crucifie et outrage impitoyablement Jésus-Christ son Fils? Si Marie se faisait une loi de sauver par sa miséricorde ces sortes de gens, elle autoriserait le crime, elle aiderait à crucifier, à outrager son divin Fils: qui l'oserait penser?*

licet peccato actu inquinetur, nec ad conversionem se accingat. Et haec quidem devotio non est dicenda iniuriosa, immo magnam spem conversionis includit, cuius quidem rei multa extitisse exempla historia testatur. — *Hoc certo scimus*, ait Fulbertus Carnutensis [1], *quia iusti quidquid a* (Deo) *postulant per intercessionem Matris, celerius impetrant: peccatores quoque saepius misericordiam sunt consecuti.* Cui congruit illud pii cuiusdam auctoris [2]: *Qui perstat in obsequio tuo procul fiet a perditione... Pax multa diligentibus te, Domina, anima eorum non videbit mortem in aeternum*: et Ludovicus Blesensis ait [3]: *Fieri non potest ut pereat, qui Mariae sedulus et humilis cultor extiterit.*

22. **Mariae adsistentia in divino iudicio.** — At neque hoc silendum est, nempe Deiparam non deserere eos in morte, quos valida sua intercessione in vita protexit; quin potius in divino iudicio eis benefica adsistit, quod profecto secumfert titulus quo ab Ecclesia decoratur *advocatae nostrae*, et quo a Patribus saepius celebratur. Sic sanctus Ephrem Deiparam ita alloquitur [4]: *Adesto mihi nunc et semper, o Virgo Dei Genitrix, Mater misericordiae, benigna et clemens, in praesenti quidem vitae cursu ferrens protectrix atque auxiliatrix: ...in tremendo autem die iudicii ab aeterna me damnatione liberans;* quibus haud dissimilia habet Doctor Seraphicus [5]: (Virgo Maria) *tanquam Mater misericordiae pro nobis interpellat, iram Dei mitigat contra peccata nostra.*

Attamen sedulo cavendum est ne haec Beatae Virginis in morte adsistentia hoc sensu intelligatur, quod aut divinae iustitiae decretum sua supplicatione immutare, aut aeterno igni iam deputatos eripere valeat; nam, ut ait S. Ioannes Damascenus [6], ὅπερ ἐστὶ τοῖς ἀνθρώποις ὁ θάνατος,

[1] Serm. II DE NATIV. B. M. V. Bibliotheca Vet. Patrum et Script. Eccles. Coloniae Agrippinae, 1618. — [2] Comment. in Ps. CXVIII, inter Opp. S. Bonaventurae. — [3] In Cant. Vitae Spir., c. 18. — [4] In deprec. ad C. V. t. II, p. 708, Colon. 1603. — [5] Serm. VI DE NATIV. B. M. V., t. XI, p. 718. — [6] DE FIDE ORTHOD., l. II, c. 4, t. I, p. 160.

τοῦτο τοῖς ἀγγέλοις ἡ ἔκπτωσις. Μετὰ γὰρ τὴν ἔκπτωσιν οὐκ ἔστιν αὐτοῖς μετάνοια, ὥσπερ οὐδὲ μετὰ τὸν θάνατον, — *quod hominibus mors, hoc angelis est lapsus. Post lapsum enim non est illis poenitentiae locus, uti neque post mortem hominibus.* Et rationem adiicit [1], *non quod Deus poenitentiam non recipiat, ...sed quia anima non mutatur amplius.* ἡ ψυχὴ οὐκέτι τρέπεται [2].

Igitur hoc pacto intelligenda est gloriosa Virgo clientibus suis suppetias ferre, quod eis, vel in vitae decursu divini iudicii severitatem in mentem reducit, ne quando lethaliter peccent; vel in mortis articulo, qui iudicii porta rite vocatur, contra exitiosi serpentis insidias succurrit. Nec silendum Deiparam piis quandoque precibus impetrasse ut alicui parvulo ante baptisma defuncto et alias aeternaliter a regno Dei excludendo, vitam Deus misericordi benignitate largiretur, quatenus baptismum recipere valeret.

23. — Scholion. — Cum hoc tamen stat, dici non debere Mariam interdum obtinere a Deo ut aliquis adultus, inferno finaliter deputatus, ad vitam revocetur ut poenitentiam agat et salvetur: esto enim talis eventus, absolute loquendo, impossibilis non sit, cum Deus voluntatem etiam finaliter damnati mutare in melius valeat, tamen de facto admittendus non est, cum inservire posset vanae aliquorum praesumptioni fovendae, sperantium mutationem post hanc vitam in sua aeterna sorte forsan inducendam, et sic negligentium suae aeternae saluti providere. Hoc tamen non tollit quin Beata Virgo precibus suis iudicium alicuius defuncti, alias damnandi, suis precibus suspenderit, quemadmodum colligi posse videtur ex aliquibus factis [3].

Quae cum ita sint, quod interdum legitur, Virginem Beatam vim divinorum decretorum frangere, aliud non est,

[1] DIAL. CONTRA MANICH., n. 75. Ibid., p. 460. — [2] Cf. Tract. DE NOVISSIMIS, Quaest. II, art. 4, nn. 9, seq., p. 104; tr. n. DE BAPTISMO, Quaest. LXVI, art. 9, p. 71, n. 2. — [3] Cfr. quod narratur in vita S. Ignatii (Vita per il P. Fr. Mariani L. I, c. 12, p. 66), et S. Francisci Xaverii (Bulla Canoniz. Urbani VIII), qui peccatores vel idolatras ad vitam revocasse leguntur. Cf. J. B. Terrien, *La Mère de Dieu*, t. IV, pp. 353, seq.

nisi illius precum efficacia id obtineri, quod utique, suppositis illius precibus, secundum praefinitum divinae Providentiae ordinem, eventurum erat: quo sensu intelligendi sunt elegantes Aligherii versus, quibus Virgilium inducit sequentia verba, quibus Deipara Virgo designatur, tanquam ei a Beatrice directa, referentem [1]:

Donna è gentil nel ciel, che si compiange
Di questo impedimento, ov' io ti mando,
Sì che duro giudicio lassù frange.

24. — Deiparae in animas in purgatorio detentas beneficia. — Sciendum etiam, ab huius potentissimae intercessionis beneficio excludendas non esse animas in purgatorio detentas: cum enim minima poena istarum sanctarum animarum, iuxta Angelicum Doctorem [2], *excedat maximum huius vitae* dolorem, Beata Virgo autem tenerae Matris visceribus erga eas afficiatur, fieri haudquaquam potest quin propensam se ad illis suffragandum persentiat. Praeterea, animarum liberatio in Dei gloriam maxime cedit, quippe qui *glorificatur in consilio sanctorum* [3], dum illi eum perfectius vident et intensius diligunt; cum autem Virgo benedicta divinae gloriae studiosissima sit, hinc minime dubitandum est quin liberandis illis animabus iustis addictissimam sese exhibeat.

Nec desunt profecto modi quibus hanc suam Maria exerceat caritatem: aut enim impetrare a Christo potest ut ex infinitis suis meritis aequam Deo satisfactionem pro eis offerat, aut ipsamet praesentare Deo, quantum satis sit ex superabundantibus vitae suae meritis ad illas liberandas, aut aliquem hominem iustum vitam adhuc mortalem agentem efficaciter incitare ad opera satisfactoria pro eis persolvenda; aut denique potenti sua intercessione a Deo impetrare ut suffragia, quae quibusdam vel iam salvatis, vel irremediabiliter damnatis destinantur, hisce animabus signanter applicentur.

[1] Inferno, cant. II, vers. 94, seq. — [2] 4, Dist. XXI, q. 1, art. 1, Quaest. 3. Vide tr. de Novissimis, Quaest. V, art. 3. — [3] Ps. LXXXVIII, 8.

25. — Privilegium sabbatinum. — Denique, silendum non est magnum illud intercedentis Deiparae beneficium, quod sabbatinum privilegium audit, cuius quidem privilegii origo ab aliquibus adscribitur Ioanni XXII, cui Beata Virgo apparuisset, edicens se in Purgatorium descensuram sabbato post obitum fratrum qui Ordinem carmeliticum fuissent professi eosque gratiose liberaturam.

Porro, licet Bullae, in qua primo huiusmodi privilegium recolitur, authenticitas in dubium rite vocetur, de ipso tamen privilegio, attento fidelium sensu, cui et Ecclesiae declarationes favent, non est diffidendum: dummodo videlicet hoc sensu intelligatur, ut Beata Virgo *filios in scapularis societatem relatos qui abstinentiam modicam, precesque paucas eis praescriptas frequentarunt, ac pro sui status ratione castitatem coluerunt, materno plane affectu, dum igne purgatorii expiantur, solari, ac in calestem patriam obtentu suo quantocius pie credatur afferre* [1].

Verum celebris privilegii sensum pandit Summus Pontifex Pius XI, dum ait [2]: *Diligentes enim se diligit Virgo, nec quisquam sperare iure potest se eam habiturum adiutricem in morte, nisi in vita eius inierit gratiam, tum abstinendo a culpa, tum quidpiam praestando quod cedat in eiusdem honorem.*

[1] Verba sunt Breviarii Rom., in festo B. M. V. de Monte Carmelo, 16 Iul., lect. VI, quae verba mentem Pauli V, 15 Febr., 1615, referunt. Cf. P. F. Beringer, S. I., *Les Indulgences*, t. II, n. 32, p. 244; J. B. Terrien, *La Mère de Dieu*, t. IV, p. 332, etc. Cfr. etiam Can. Prof. Em. Campana, *Le Forme del Culto di Maria*, in Eph. period. Regina dei Cuori, 7 Iul., 1923, pp. 137, seq. — [2] Epist. *Petis tu*, ad R. P. Eliam Magennis, Mod. gen. ord. Carm., 18 Martii, 1922.

CAPUT II.

De iuribus Beatae Mariae Virginis in homines.

PROLOGUS.

Ratio et ordo capitis. — Postquam de officiis Beatae Virginis erga nos peractum fuerit, sequitur ut ultimo loco de illius iuribus specialis investigatio instituatur. Porro, quoniam operari sequitur esse, hinc, ubi de officiis Deiparae erga nos agebatur, primo loco stabilita fuerunt momenta quibus, ex divino decreto, Maria hominum Mater fuit constituta; ex quo, veluti ex radice, sponte sua ortum ducunt cetera officia quae erga nos flagrantissima caritate exercet, sive qua Mediatrix, sive qua Coredemptrix, sive etiam qua supplex pro hominibus ad Deum Oratrix.

Igitur, haud dissimili ratione in praesenti argumento procedendum erit: nam, primo loco, momenta statuentur, quibus creaturae, et speciatim homines, Deiparae potestati aut dominio subduntur, ut postea modus investigetur quo illi sua in Beatam Virginem officia adimplere debeant. Quorum primum in priori articulo, ubi de Virginis potestate, maxime in creaturam rationalem, agetur, tractabimus; alterum vero in sequenti articulo, in quo expendetur ratio cultus quo homines Beatam Virginem prosequi debeant.

ARTICULUS I. — *De Beatissimae Virginis potestate sive dominio in mundo.*

1. — Praenotandum. — Claritudinis gratia, huius articuli doctrinae praemittenda est distinctio, circa id quod dicitur potestas aut dominium: non enim uno modo aliquis alterius potestati subditur.

Nimirum, dominium, ut advertit Angelicus Doctor[1], *uno*

[1] 1, Qnaest. XCVI, art. 4.

modo accipitur, secundum quod communiter refertur ad subiectum qualitercumque; et sic ille qui habet officium gubernandi et dirigendi liberos, *dominus* dici potest, in quo attenditur distinctio potestatis patriae, magistralis, aut regiae, secundum quod dominus bonum commune intendit, vel in societate domestica, vel in civitate, vel in regno. *Alio modo*, attenditur dominium secundum quod opponitur servituti, et sic *dominus* ille dicitur, cui aliquis subditur ut servus.

Circa quod ulterius advertit Aquinas quod, dum liber est causa sui, servus e contra ordinatur ad alium; tunc enim quis dominatur alicui ut servo, quando dominus illum ad sui ipsius utilitatem refert. Et ista quidem servitus, licet in peccati poenam sit inducta, quia contristabile unicuique est quod illud bonum quod deberet esse suum cedat alteri, intrinsece tamen mala non est, quia homini libertatem non adimit. Attamen, sedulo cavendum est, ne ista servitus cum illa alia servitute confundatur, quae per oblivionem legis divinae necnon humanae dignitatis inducta est, qua videlicet servus habetur tanquam res quaedam domini et vile mancipium [1]; quam servitutem Dominus Noster, qui *instaurare omnia* venit [2], e medio auferri voluit, dum hominibus ingenitam libertatem in memoriam reduxerit, et efficaci Ecclesiae suae opera, revera restituerit.

Hic igitur, ut ordinatim procedamus, *primo* loco dicendum erit de dominio quod Beatae Virgini competit, in quantum *Regina* hominum angelorumque appellatur *secundo*, de dominio quod habet, in quantum *Domina* vocatur, cui omnes creaturae famulantur; *tertio* demum, de iure proprietatis, quo in *res* huius mundi ex speciali titulo gaudet.

2. — PROP. I. — **Deipara Virgo merito appellatur Regina hominum et angelorum.**

3. — **Exponitur.** — Sic quippe Mariam Ecclesia invocat in litaniis lauretanis: *Regina angelorum*, *Regina patriarcha-*

[1] Haec servitus, ait Leo XIII (Ep. *In plurimis*, 5 maii, 1888), *cum improbitate et superbia tanta exercebatur, ut servorum turbae nihil supra censerentur quam bona, non personae sed res, omnis expertes iuris, ipsa adempta facultate retinendae fruendaeque vitae.* — [2] Eph., I, 10.

rum, etc.; quae rursus eam ita compellat [1]: *Salve, Regina: ave, Regina caelorum: ave, Domina angelorum*: pariter eam deprecatur: *Gloriosa Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum*; aliisque similibus titulis eam passim condecorat.

Porro, ad huius propositionis evidentiam advertendum est, non hic sumi nomen *Regina* sensu improprio, scilicet ad significandam aliquam praecellentiam in homines et angelos, quo sensu, verbi gratia, sol astrorum rex, aut S. Thomas theologorum princeps solent appellari; sed sumitur sensu proprio, scilicet ad significandam potestatem regiam, ius nempe verum regendi et gubernandi subditos. Quod enim Beata Virgo excellentior sit omnibus hominibus, imo supremis spiritibus angelicis, ex superius traditis abunde constat; unde hic proprie quaeritur, qua ratione iure regiae potestatis in homines et angelos, tanquam sibi subiectos, gaudeat.

4. — Prob. prop. — Huius autem veritatis summa ratio est, quia illud quod Christo iure hereditario, tanquam Filio Dei naturali convenit, hoc etiam Beatae Virgini, tanquam Christi Matri naturali, et primogenitae Dei per adoptionem Filiae, quantum humana natura patitur, tribuendum est. Atqui Christus Dominus iure hereditario est supremus Rex hominum atque angelorum. Ergo Deipara Virgo iure meritoque appellatur hominum angelorumque Regina.

Maior huius argumenti fundatur in hoc legum principio [2]: *Princeps... eadem* (Augustae) *privilegia tribuit quae et ipse habet. Confirmatur* autem hoc principium vulgo recepto apud iurisperitos axiomate, scilicet, quadam iuris fictione, naturalem filium nondum emancipatum non censeri quid distinctum a patre aut a matre. Atqui, iuxta plures Patres [3], Christus emancipationis et a patria potestate exemptionis iuri ultro cessit: qui enim nulli hominum obedire tenebatur, propterea quod Deus erat, remansit *subditus* suis parentibus [4]. Ergo ad Mariam quodammodo pertinent ea quae Christi propria sunt.

[1] In antiph. fin. — [2] Cf. DE LEGIBUS, Lege XXXI, II, tit. 3. — [3] Quos videsis apud Salazar. IN CAP. VII PROV., in vers. 15 et 16. — [4] Luc., II, 51.

Quod pulcre figuratum invenimus in illo quod de Salomone scriptum legitur [1], qui matrem suam Bethsabee regiis honoribus excepit; cum enim illa ad regem accessisset, ut loqueretur ei pro Adonia, *surrexit rex in occursum eius, adoravitque eam, et sedit super thronum suum, positusque est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram regis.* — Accedit in rem nostram superius enunciatum principium [2], nempe Beatam Virginem ea de congruo meruisse, quae Christus de condigno, non modo relate ad alios homines, verum etiam relate ad semetipsam.

Minorem, scilicet quod Christus iure hereditario sit supremus rex hominum et angelorum, sacrae Paginae abunde declarant. Sic de eo legitur [3]: *Ego autem constitutus sum rex ab eo:* pariter cum interrogaretur a Pilato [4]: *Ergo rex es tu?* respondit expresse Iesus: *Tu dicis quia rex sum ego:* et S. Paulus hereditaria Christi iura resumens, ait [5]: *Quem constituit heredem universorum:* quae aliunde haud dissimilia sunt ab eis quae Iesus iamdiu de semetipso edixerat [6]: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.*

5. — Tacita obiectio. — Nec his contraria sunt quae Christus de semetipso dixit [7]: *Regnum meum non est de hoc mundo:* — non enim dixit regnum suum non esse *in hoc mundo*, sed *de hoc mundo*; ut significaret se illud non ab hominibus, sed a Deo accepisse; aliunde non ius et potestatem regiam sibi ipse denegat, sed tantummodo usum temporalis dominii, et quidem pro illo tempore; nam fides docet Christo competere iudiciariam potestatem; atqui, ut observat Angelicus Doctor [8], *iudiciaria potestas consequitur regiam dignitatem: Christus autem, quamvis esset rex constitutus a Deo, non tamen in terris vivens, terrenum regnum temporaliter administrare voluit.* Concludendum est igitur Christum esse vere *Regem regum et Dominum dominantium* [9], ut etiam ostenditur ex eis quae gessit, sicut cum Hierusalem triumphator ingredi voluit [10].

[1] 3 Reg., II, 19. — [2] Supra, C. 1, art. 3, n. 9. — [3] Psalm., II, 6. — [4] Io., XVIII, 37. — [5] Hebr., I, 2. — [6] Matth., XXVIII, 18. — [7] Io., loc. cit., vers. 36. — [8] 3, Quaest. LIX, art. 4, ad 1m. — [9] Apoc., XIX, 16. — [10] Cf. Tr. n. de Incarnat., Quaest. VIII, art. 2, Vol. I, p. 369.

Ita coronaberis, ait Repertus Abbas, Virginem alloquens [1], *ut et in caelis Regina sanctorum, et in terris Regina sis regnorum... Praedicabitur et de te, quod sis, o dilecta et Mater huius coronati, ac proinde Regina caelorum, totum iure possidens Filii regnum; itaque hoc intuitu reges atque imperatores coronis suis te coronabunt...* Qua de re egregie olim disseruerat magnus Athanasius, scribens [2]: *Quandoquidem ipse Rex est, qui natus est de Vergine, idemque Dominus est Deus, caepropter et Mater quae eum genuit et Regina et Domina et Deipara proprie et vere censetur.* Unde Ecclesia Beatae Virgini applicat illa [3]: *Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt.*

6. — Confirmatur, argumento ex S. Thoma deprompto. — Si unus homo habeat super alium supereminentiam scientiae et iustitiae, inconveniens est, ait ille [4], nisi hoc exsequatur in utilitatem aliorum, iuxta illud S. Petri : *Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes*; sic etiam S. Augustinus [5]: *Neque enim iusti, dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed providendi misericordia. Hoc naturalis ordo praescribit, ita Deus hominem condidit.* Atqui Beatissimae Virgini competit super quamcumque creaturam, etiam angelicam, supereminentia scientiae et iustitiae. Ergo aequum est ut cumulum istum scientiae et virtutum Mater Dei in aliorum bonum exerceat, illos tanquam summa Regina regendo et gubernando.

Praeterea, mirabiles effectus qui in iustorum animabus operante Deipara, complentur, profecto huius in homines potestatem, quae certum constituit dominium, evidenter commonstrant. - *Marie*, ait B. Grignion de Montfort [7], *a reçu de Dieu une grande domination dans les âmes des élus : car elle ne peut pas faire en eux sa résidence comme Dieu le*

[1] C. IV, in Cantic., l. III, super illud: *Veni, coronaberis*, t. II, p. 30. — [2] Serm. de Deip. — [3] Prov., VIII, 15. — [4] 1, Quaest. XCVI, art. 4, ad 1[m]. — [5] 1 Ep.. IV, 10. — [6] L. XIX, de Civ. Dei, cc. 14, 15, t. VII, col. 559. — [7] *Traité de la vraie dévotion à la Sainte Vierge*, p. 23.

Père le lui a ordonné, les former en Jésus-Christ et Jésus-Christ en eux, jeter dans leur cœur les racines de ses vertus, et être la compagne indissoluble du Saint-Esprit pour tous ses ouvrages de grâce : elle ne peut pas, dis-je, faire toutes ces choses, qu'elle n'ait droit et domination dans leurs âmes par une grâce singulière du Très-Haut, qui, lui ayant donné puissance sur son Fils unique et naturel, lui a donné aussi pouvoir sur ses enfants adoptifs, non seulement quant au corps, ce qui serait peu de chose, mais aussi quant à l'âme. Marie est la Reine du ciel et de la terre par grâce, comme Jésus en est le Roi par nature et par conquête.

Concludamur igitur cum S. Bernardino Senensi [1]: *Cum autem Beata Virgo Regina sit caeli et Mater Filii Dei, tantum habet servorum numerum, quod Filii sui implent mysteriam... omnes igitur angelici spiritus sunt huius gloriosae Virginis ministri atque servi... Vere igitur Domina dici potest; atque merito habent de illa omnes caelestes spiritus confiteri et dicere illud* [2]: SERVI TUI SUMUS, QUAECUMQUE IUSSERIS FACIEMUS.

7. — PROP. II — **Beatissimae Virgini, tanquam summae Dominae, famulari debent et angeli et homines, immo et ipsi daemones.**

8. — Prob. — Non dissimili ratione ab ea quae in praecedenti propositione adducta est, potest et thesis praesens comprobari. Revera Christus est universi orbis Dominus, non solum qua Deus, scilicet in omnibus aequalis Patri, sed etiam qua homo, quod sibi passione sua et laboribus promeruit [3]; unde de illo dicitur [4]: *Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius: in eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei*. Rursus, de illo praenunciavit David [5]: *Omnes gentes servient ei;* et de angelis expresse dicitur [6]: *Ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.*

[1] Sermo III, DE GLORIOSISSIMO NOMINE MARIAE, t. III, p. 91. Venet., 1591. — [2] 4 Reg., X, 5. — [3] Cf. 3, Quaest. XIX, art. 3. — [4] HEBR., II, 7, 8. — [5] Cf. Ps., VIII, 8. — [6] IBID. LXXI, 11. — [7] MATTH., IV, 11.

De daemonibus autem, aliisque Christi hostibus dicitur [1]: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quocirca vix Christus sive ab Ecclesia in liturgia, sive a fidelibus in suis orationibus invocari consuevit, absque hac appellatione, *Dominus.*

Atqui Beata Virgo utpote naturalis Christi Mater, non solum divinitatis fines quodammodo attigit, ut dictum est, sed etiam Filii iurium particeps exstitit. Ergo ipsi competit ius dominii in homines et angelos, sive bonos, sive malos, tum propterea quod Christi Mater effecta est, tum etiam quia Deo affinis existit; ideoque tum homines, tum angeli ipsi famulari debent; nam, ut ait Angelicus [2], *cum servus dicatur ad dominum, necesse est quod, ubi est propria et specialis ratio dominii, ibi sit specialis et propria ratio servitutis.*

9. — Traditionis vox. — Hanc autem veritatem ex mente Ecclesiae signatam videre possumus in illo [3]: *In Hierusalem potestas mea*, ubi per *Hierusalem* intelligi potest universaliter omnis creatura rationalis; unde auctor *Speculi B. M. V.*, haec verba de Deipara interpretans, ait [4]: *Virgo est revera Domina caelestium, terrestrium et infernorum.* Quod pulcre exponit S. Bernardinus Senensis, dicens [5]: *Tot creaturae serviunt gloriosae Virgini Mariae, quot serviunt Trinitati: omnes nempe creaturae, quemcumque gradum teneant in creatis, sive spirituales ut angeli, sive rationales ut homines, sive corporales ut caeli et elementa, sive damnati, sive beati.* Qui etiam expresse dicit [6]: *Omnes angelici spiritus sunt huius gloriosae Virginis ministri atque servi.* Sed huius dominii rationem fundamentalem non aliam assignat Damascenus a ratione quam supra exposuimus; ait enim [7]: (Maria) *omnium rerum creatarum Domina facta est, cum Creatoris Mater exstiti.* κυρία ὄντως γέγονε πάντων τῶν ποιημάτων, τοῦ

[1] Ps., CIX, 1. — [2] 2 2ae, Quaest. LXXXI, art. 1, ad 3m. — [3] Eccli., XXIV, 15. — [4] Lect. III, p. 455 T. VI. — [5] Serm. V de B. M. V., c. VI, ed. cit., t. IV, p. 96. — [6] Serm. III de gloriosissimo Nomine Mariae, ed. Venet., t. III, p. 91. — [7] L. IV de Fid. orthod., c. 14, t. I, p. 275.

δημιουργοῦ χρηματίσασα μήτηρ. Idipsum eleganter Aligherius exponit [1]:

Ma guarda i cerchi fino al più remoto,
Tanto che veggi seder la Regina
Cui questo regno è suddito e devoto.

Nec huic obstat quod Virgo regia ancillam se Domini professa sit: nam, ut rite advertit Arnoldus Carnutensis [2], *licet ipsa se Christi profiteatur ancillam, hoc servitutis genus omni regno sublimius esse intelligit: constituta quippe est super omnem creaturam; et quicumque Iesu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat et acclinis.*

10. — Ordo Servorum Mariae. — Porro, quanquam universa Ecclesia sit Virgini Deiparae, ut summae Dominae, iure subdita, et omnes proinde homines obsequii sui munera eidem praestare teneantur, tamen, non absque iustissima ratione factum est et interdum fit, ut aliqui ex christifidelibus huius magnae Dominae servitio se penitus devoveant, ut eam habitu, moribus, cultu, universa denique professione prosequentes, in illius obsequia specialiter incumbant. Tales profecto sunt sodales Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, ad quem pertinere nostra maxima gloria est, cuius peculiaris forma in specialibus officiis Deiparae praestandis reponitur.

Historia refert, ab ipsa Virgine gloriosa Ordinem hunc originem duxisse, excitatis, anno salutis 1233, in die suae in caelum Assumptionis, septem nobilibus Florentiae viris, quos e mundo discedere et suo servitio penitus mancipari iussit. Erant isti Bonfilius Monaldus, Bonaiuncta Manettus, Manettus Antellensis, Amedeus de Amedeis, Sosteneus de Sosteneis, Uguccio Ugucciorum, et Alexius Falconerius; qui omnes mox Virgini obtemperantes, apud Senarium Montem, in Etruria, novi Ordinis fundamenta iecere, adscitis undequaque in suis consortium sodalibus. Qui etiam suis laboribus id obtinuere, ut ex illa tempestate dulcissimae Dominae nostrae nomen, cultus, honorque longe lateque propagarentur;

[1] Parad., cant. XXXI, vers. 115-117. — [2] Tract. de Laud. B. Virg., ed. cit., p. 119.

cuius devotionis ope magna pacis salutisque incrementa in totam Ecclesiam promanarunt, maxime ex quo populis exhibuerunt imaginem Deiparae Virginis doloribus sub Cruce Nati confixae, Redemptionis simul invictae testis et cooperatricis divinitus institutae. Quî enim potest pietatis maternae viscera claudere quae sic devote invocatur:

Virgine, que' begli occhi,
Che vider tristi la spietata stampa,
Ne' dolci membri del tuo caro Figlio,
Volgi al mio dubbio stato,
Che consigliato a te vien per consiglio [1].

Hos autem septem inclytos viros, una vitae ratio informavit, unum in morte retinuit sepulcrum, una denique populorum veneratio prosecuta est, quam coronavit suoque infallibili decreto sanecivit Summus Pontifex Leo XIII, dum illos Sanctorum fastis solemniter adscripsit. Ordinem vero Servorum Beatae Virginis, ab ipsis fundatum, primo a summis Pontificibus Innocentio IV (1251) Alexandro IV (1256) et B. Gregorio X (1272) adprobatum, tandem B. Benedictus XI, O. P., solemni decreto confirmavit (1309) [2].

Haec disseruisse non pigebit, cum inde probetur, ex auctoritate ipsius Ecclesiae, quam legitimum, immo quam commendabile sit speciale obsequium gloriosae Virgini magnaeque universi Dominae exhibitum.

11. — **Servitus mariana**. — Hic tamen advertisse iuvabit, haud eiusdem rationis esse servitutem quae Deiparae praestatur, cum illa quae inter homines exhiberi consuevit. Haec nimirum inter utramque intercedit differentia quod, ut docet Angelicus Doctor [3], quae est inter homines servitus, inducta est a peccato, ideoque in statu innocentiae non adfuisset. Cum enim appetibile sit unicuique pro-

[1] Franc. Petrarca, Canzone VIII, st. II. — [2] Vide Histoire des sept Saints Fondateurs de l'Ordre des Servites de Marie, par le P. Sosthène M. Ledoux, O. S. M. Paris, Delhomme et Briguet, 1889; Vie de S. Philippe Bénizi, Propagateur de l'Ordre des Servites de Marie, par le P. Pérégrin M. Soulier, O. S. M. Bar-le-Duc, 1885. — [3] 1, Quaest. XCVI, art. 4.

prium boum, et per consequens tristitiam adferat id quo hoc bonum, quod suum esse deberet, cedit tantummodo alteri, hinc servitus qua quis subiicitur alteri ut servo, hunc ad illius utilitatem ordinans, poenae rationem habet; ideoque in caelo aberit, ubi non habebitur distinctio servi et liberi, sed omnes erunt liberi, *qua libertate Christus nos liberavit* [1].

At vero, cum de lege naturae sit quod homo Deo, tanquam supremo Domino, obsequium servitutis suae exhibeat, hinc servitus quoque mariana lex naturalis dici potest, quia naturale est quod summi Dei Matri universus orbis famuletur; et ideo servitus haec in caelo perdurabit, sicut etiam in statu innocentiae adfuisset, profecto in hypothesi quod Incarnatio in omni casu locum habuisset.

Rursus, ista servitute nulla irrogatur iniuria libertati: quia cum nihil velit Beatissima Deipara, nisi illudmet quod Deus vult, hinc non aliud libertati vinculum adfert, quam illud quod ipsamet lex divina imponit.

Denique, servitus ista non est tantummodo in bonum illius cui praestatur, scilicet in bonum Beatissimae Virginis; sed maxime in bonum illiusmet, qui ita famulatur, ultimo redundat. Exinde fit quod si hominibus servire non est absque aliquo dignitatis detrimento, e contra, famulari Virgini excelsae causa honoris est et gloriae, ita ut servire Mariae vere regnare sit [2].

12. — Scholion. — Profecto, servitus quae Beatae Virgini exhibetur, non magis quam servitus quae Deo et Christo praestatur, libertatem aut tollit aut minuit; quandoquidem sicut Dei iussa sancti in patria et iusti in via liberrime exequuntur, ita nil libentius servi Deiparae Virginis opere prosequuntur, quam obsequia erga tantam Dominam exhibere. Et hac quidem de causa, ut videtur, illos minime probavit Ecclesia qui, sub specie pietatis erga Dei Matrem,

[1] Gal., IV, 31. — [2] Hunc loquendi modum sacri scriptores mutuati sunt ex hoc sancti Leonis Magni (Ep. ad Demetriadem, c. IV in fine Venetiis, 1756): *Ambiunt Creatorem, cui appropinquare clarescere est, quem timere gaudere est, cui servire regnare est.*

libertati suae se abdicasse profitebantur. Cum enim nonnulli confraternitatem *Mancipiorum Matris Dei* (Les esclaves de la Mère de Dieu) variis in locis instituere coepissent, catenulas distribuentes a confratribus collo brachiisque circumponendas, perinde ac si hoc signo Beatae Virgini mancipatos se esse profiterentur, imagines quoque et numismata catenatos sodales exprimentia divulgantes, re ad Sacrae et Universalis Inquisitionis Congregationem delata, praefata confraternitas abolita fuit, datis litteris, sub die 5 iulii 1673 [1].

Attamen, per hanc condemnationem nihil omnino detrahitur excellentiae illius cultus erga Deiparam, cuius sub nomine *Verae devotionis erga Beatam Virginem* (La vraie dévotion à la sainte Vierge), insignis propagator exstitit beatus Grignion de Montfort, quamque sodales societatis Mariae ab ipso fundatae suscipiunt et confovent. Siquidem in hoc consistit iste cultus, ut quis totum id quod est aut operatur, Deiparae tanquam Dominae consecret et devoveat, ita ut illius captivus *(esclave)* dici valeat; ut quia omnia per Mariam accepimus, ita per eam facilior nobis ac securior ad Christum Dominum accessus pateat, Iesuque regnum per Mariam tandem adveniat [2].

Nec obstat vox ista *captivus* aut *mancipium*; nam, ut docet Catechismus Romanus [3], *aequum est nos ipsos, non se-*

[1] Vid. Ann. Ord. Serv. Cent. V, lib. V, t. III, p. 287, 2, C. D. Cf. Antiquam Indicis legislat. V, § III, n. 3, apud Boudinhon, La Nouvelle législation de l'Index, p. 373. Eodem tempore, a S. Indicis Congregatione reprobatur est opus: Lo schiavo della Madona SS.ma, *ò vero prattica di conservarsi perfettamente per servo alla b. Vergine Maria*. Vide Ind. libr. prohib. Legi quoque de hac re potest *Votum Consultoris S. Officii, reprobans falsam devotionem illorum qui captivos B. M. V. se profitentur, adhibitis catenulis*, etc. Analecta Ecclesiastica, A. D. 1907, fasc. Maii, p. 211. — [2] Notandum quoque est, praedictam S. Inquisitionis condemnationem haud afficere praxim ad eodem B. Grignion de Montfort commendatam (*Traité*, etc., p. 179), catenulas gerendi in signum potestatis quam habent in nos Iesus et Maria, de qua supra diximus. Cf. Analecta *iuris pontif.*, 1ère série, col. 757. Videsis, *Les Carmes déchaussés de France*, par le P. Albert du Saint-Sauveur, Paris, 1889, t. II, pp. 571, seq. — [3] P. I, c. III, n. 12.

eus ac mancipia Redemptori nostro et Domino in perpetuum addicere et consecrare; imo S. Paulus se servum Christi appellat [1], quo nomine mancipium (*esclave*) intelligi, hoc ipso suadetur, quod servi, quales nunc audiunt, tunc temporis, non habebantur [2]. Revera, ex eo quod quis se totum Deo aut Mariae, tanquam mancipium, devoveat, minime sequitur libertatis, quae profecto inalienabilis est, abdicatio, qualem forsa intendebant, catenularum, quas gerebant, symbolo praedicti confratres.

Ceterum iuvabit, ad omnem de hac re controversiam rite dirimendam, sequentia Angelici verba attentius considerare [3]: *Sciendum est quod servus proprie est qui non est causa sui: liber vero qui est sui causa. Est ergo differentia inter operationes servi et liberi: quia servus operatur causa alterius: liber autem causa sui operatur, et quantum ad causam finalem operis, et quantum ad causam moventem: nam liber propter se operatur, sicut propter finem, et a se operatur, quia propria voluntate movetur ad opus: sed servus nec propter se operatur sed propter dominum, nec a se sed a domini voluntate, et quasi quadam coactione. Sed contingit aliquando quod aliquis servus operatur causa alterius, sicut causa finali, operatur tamen a se in quantum se movet ad opus: et haec est bona servitus, quia ex caritate movetur ad bona opera facienda; sed non operatur propter se: quia caritas non quaerit quae sua sunt, sed quae sunt Iesu Christi et salutis proximorum. Qui autem omnino causa alterius operantur, sunt mali servi. Patet ergo quod discipuli servi erant, sed bona servitute, quae ex amore procedit.*

13. — PROP. III. — Beatae Virginis competit ius proprietatis super omnes res creatas.

14. — Exponitur. — Haec est plurimorum Ecclesiae Patrum et Doctorum sententia, cui libenter subscribimus, hac potissimum ducti ratione, quia quidquid in honorem et gloriam Vir-

[1] Gal., I, 10, et alibi. — [2] Huc facit illud S. Pauli (2 Cor., X, 5): *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Cf. Traité de la vraie dévotion, etc., p. 53. — [3] Comment. in h. l. S. Io., XV, 15: *Iam non dicam vos servos.*

ginis cedit, nisi repugnantiam involvat, illi debet tribui, cui Deus liberalitate sua aliquid omni creato maius concessit, scilicet divinam maternitatem, cuius intuitu tantos ei gratiae et scientiae thesauros contulit, ut omnia creata ipsis comparata, nonnisi vile lutum aestimari debeant. Porro, hic agitur de *rebus* huius universi, non autem de *personis*, de quibus superius actum est, et circa quas proprietatis ius uni summo Creatori reservatur, qui solus est vitae et mortis auctor.

15. — **Prob. prop.** — Suadebitur autem facili negotio enunciata thesis recolenti id quod supra expositum fuit, scilicet omne illud Beatae Virgini, propter divinam maternitatem, ex Dei largitate, collatum fuisse, quantum purae quidem creaturae conditio patitur, quod Christus ut Filius Dei naturalis iure nativo habuit; quod ita expressit S. Laurentius Iustinianus [1]: *Illi* (Mariae) *datum est, quantum capax est pura creatura.* Huc quoque facit illud S. Bernardi [2]: *Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est auspicari tantae Virgini fuisse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam.* Atqui communiter docent theologi [3], iure nativo Christo Domino competere proprietatis ius in omnes res creatas, iuxta illud [4]: *Omnia subiecisti sub pedibus eius: oves et boves universas, insuper et pecora campi.*

Quocirca, concludere possumus cum S. Bernardino Senensi [5]: *Mater Domini omnis creaturae, affecta est Domina omnis creaturae*, quod aliis verbis iamdudum exposuerat S. Ioannes Damascenus, dicens [6]: (Maria) *omnibus creatis imperat, quae ancilla Materque simul extitit Creatoris*, (Μαρία) πάντων κτισμάτων δεσπόζουσα, δούλη καὶ μήτηρ τοῦ δημιουργοῦ. Pariter, S. Anselmi discipulus, Eadmerus, comparationem instituens inter Christum et Matrem eius, ait [7]: *Deus est Dominus omnium, singula in sua natura propria iussione*

[1] L. de Casto Connubio animae et Verbi, c. 9. — [2] Ep. 174, ad Can. Lugd., n. 5, t. II, p. 76, Lugd. 1679. — [3] Videsis Salmanticenses, t. X, de Incarn. Disp., XXXII, n. 7; Suarez, 3 Part., Disput., XLVIII, etc. — [4] Psal. VIII, 8. — [5] De glorioso Nomine Mariae, Serm. III, t. IV, p. 91. — [6] L. IV de fide orthod., c. 14, t. I, p. 276. — [7] L. de Excellentia B. Virg. Mar., c. 11, t. III, p. 249.

constituendo, et Maria est Domina rerum, singula congenitae dignitati per illam, quam meruit, gratiam restituendo. Gersonius quoque [1]: *Melius eam appellare non possumus, quam Matrem Dei; quoniam per hoc habet veluti auctoritatem et naturale dominium in totius mundi Dominum et a fortiori ad omne id quod subiectum est Domino.* Denique tacendus non est Dionysius Cartusianus [2]: *Universi sancti, qui utique ministri sunt vel ancillae Sancti Sanctorum, etiam sunt ministri aut famulae Matris illius.... quae privilegio, iure et auctoritate maternitatis suae, qua Mater et vera Dei et comparentalis aeterno Patri, praeest ac praecipere potest omni creaturae in caelo et in terra.*

Porro, cum in rebus universi distingui debeant, *primo*, animalia, *secundo*, vires naturales proprii corporis, *tertio*, plantae et corpora inanimata, ideo singillatim nunc inquirendum erit, utrum et quo pacto super haec omnia dominium habeat Virgo gloriosa.

16. — Quomodo Beata Virgo animalibus dominatur. — Primo, de *animalibus* hoc statui tuto potest, illa Mariae subiici ad nutum. Revera, in statu innocentiae animalia naturaliter homini subiiciebantur, et, nonnisi per inobedientiam Adae inducta est animalium rebellio ad hominem [3]. Ergo Beatissima Virgo, quae universaliter peccato caruit, huic poenae subiacere non debuit, scilicet ut animalia eius famulatui subducerentur.

Quod autem homini innocenti parere debuerint animalia ad nutum, ex triplici ratione S. Doctor eleganter ostendit [4]. *Primo*, scilicet, quia naturaliter imperfectiora cedunt in usum perfectiorum: nam et plantae utuntur terra ad sui nutrimentum, animalia vero plantis, homines vero plantis et animalibus; unde naturaliter homines dominantur animalibus. *Secundo*, quia hoc divinae Providentiae ratio habet, quod semper inferiora per superiora gubernantur; ideo, cum homo sit supra caetera animalia, utpote ad imaginem Dei

[1] Serm. II. DE ANNUNT. — [2] Expositio Hymni, *Ave Maris stella*, t. XXXV, Opp. Min., t. III, p. 83. — [3] 1, Quaest XCVI, art. 1. — [4] Vide tr. n. DE PRIMA HOMINIS FORMAT., p. 206.

conditus, hinc conveniens est quod cetera animalia eius gubernationi subdantur. *Tertio*, quia in animalibus invenitur quaedam participatio prudentiae et rationis, secundum aestimationem naturalem, ad aliquos particulares actus, unde contingit quod grues sequuntur ducem, et apes obediunt reginae; in homine autem adest universalis prudentia, quae est ratio omnium agibilium. Atqui omne quod est per participationem, subditur ei quod est per essentiam; ideoque omnia animalia per seipsa homini in statu innocentiae obedivissent, sicut videmus quod quaedam animalia domestica nunc ei obediunt; ideoque Beatae Virgini, quae innocentiam nunquam amisit, parere debuerunt et debent.

17. — **Quomodo viribus naturalibus corporis Deipara dominaretur.** — At vero viribus naturalibus proprii corporis, Beata Virgo dominabatur, non quidem imperando, sed absque impedimento utendo earum auxilio. Huius rei ratio est, quia hoc ad iustitiam originalem non pertinebat, quod anima hominis possideret virtutem transmutandi proprium corpus in quamcumque formam, sed solum quod posset ipsum conservare absque omni nocumento, et eo uti absque impedimento; ideoque vires naturales proprii corporis Beata Virgo immutare non potuit, sicut nec anima ipsius Christi, secundum propriam naturam aut virtutem considerata, hoc facere poterat, ut docet Angelicus [1].

18. — **Solvitur obiectio.** — Nec *obiiciatur* corpus naturaliter immutari ad imaginationem animae, et hoc quidem tanto magis, quanto anima fuerit fortioris imaginationis: anima autem Beatae Virginis virtutem perfectissimam habuit quantum ad imaginationem, sicut quantum ad alias vires. — Cui cum S. Doctore respondetur [2], imaginationi naturaliter obedire corpus quantum ad motum localem, puta quantum ad casum de trabe in alto posita, similiter quantum ad ea quae consequuntur ad motum localem, ut est alteratio quae est secundum calorem et frigus et alia huiusmodi; quia ex imaginatione sequuntur animae passiones, secundum quas

[1] Cf. tr. n. DE INCARNAT. VERBI, Quaest. XIII. art. 3, t. I, p. 491. — [2] Ibid., n. 3, p. 492.

movetur cor, et sic per commotionem spirituum, totum corpus alteratur. Sed citra has alterationes, aliae depositiones naturales non sunt natae transmutari ab imaginatione, quantumvis illa sit fortis, ita ut ad nutum hominis mutari possit, verbi gratia, manus vel pedis configuratio; et proinde Beata Virgo non est dicenda habuisse imperium in vires naturales proprii corporis.

19. — **Quomodo Beata Virgo dominaretur plantis ac corporibus inanimatis.** — Quantum vero ad plantas aut corpora inanimata, idipsum decernendum est, scilicet Beatam Virginem eisdem fuisse dominatam utendo, non imperando: quia, cum secundum vires naturales homo conveniat cum plantis, et secundum corpus conveniat cum inanimatis, ex eo quod homo nec viribus naturalibus, nec proprio corpori imperio dominatur, concludi legitime potest, nec corpora inanimata Mariae obedisse ad nutum [1], licet uti facile posset illis rebus, absque ullo impedimento, et quin ab eis nocumentum ullum perciperet.

20. — **Corollarium.** — Igitur, cum de Beatissimae Virginis dominio in res creatas aut in proprii corporis vires agitur, caute procedere debet mens devota, ne quidquid imaginationi succurrit praefracte asserat. Huic rei normam praebebit canon iste, ex Angelici fonte depromptus [2], videlicet non omnem immutationem, quae fieri potest circa creaturam, a creatura fieri posse: quaedam enim immutationes propriae sunt virtutis divinae. Sed nec quaecumque possibiles immutationes, per creaturam, qualiscumque demum ista sit, possunt compleri; quaedam enim huiusmodi immutationum non pertinent ad creaturam, neque secundum ordinem naturae, neque secundum ordinem gratiae.

Denique advertetur, hanc potestatis limitationem, in Beata Virgine, respectu proprii corporis, necnon respectu plantarum aut corporum inanimatorum, adseri respectu habito ad tempus eius vitae mortalis necnon ad ordinem naturae consuetum: multa enim potest Mater Dei, iam in caelis

[1] Ibid, art. 2, p. 481. — [2] Ibid., p. 483.

coronata, per virtutem gloriae, quae adhuc viatrix non poterat, et maxime si consideretur ut est instrumentum mirabilium Dei [1].

21. - **Quaestio.** — *Utrum Beata Virgo, cum in terris degeret, legi humanae aut mosaicae esset subiecta?*

Resp. Beata Virgo, antequam Mater Dei fieret, utique subiecta mansit legibus humanis, sive hae essent leges principum terrenorum, sive praecepta suorum parentum: plenitudo enim gratiae et scientiae in ipsa non tollebat quin, in ordine civili et domestico, homines haberet seipsa superiores. At mox ac Mater Dei effecta est, ipso facto dominium obtinuit totius universi, omni humana lege superior existens, et soli divinae legi subiecta. — Quantum vero ad legem mosaicam, tenendum est Mariam, sicut eius Filium secundum humanam naturam, eidem subditam fuisse, cum lex illa, licet ab homine promulgata, Deum tamen principalem auctorem habebat, unde proprie erat divina lex; quocirca tenebatur Beata Virgo officio, puta, se in templum post quadraginta dies a nativitate Christi sistere, non quidem ut ab aliqua immunditia liberaretur, quam non contraverat, sed ut Dei se ordinationi subiiceret. Huius autem obligationis signum est quod in Scriptura solet commemorari, scilicet eam id fecisse *secundum legem Domini*, vel quid simile [2].

Articulus II. — *De cultu Beatissimae Virgini debito.*

1. — **Ratio et ordo articuli.** - Cum cultus sit species quaedam honoris, honor enim etiam aequalibus et subditis praestatur, quandoquidem importat meram *de alicuius excellentia testificationem* [3], cultus vero nonnisi superioribus tribuitur, hinc *primo* loco, determinandum veniet utrum Beatae Virgini debeatur generaliori ratione honor quidam, aut quae-

[1] Vide quae diximus supra, C. I, art. 2, n. 13. Circa Deiparae potestatem quantum ad miracula, cf. Dionys. Cartus., l. I de Dignitate et Laud. B. M. V., art. 21, p. 43. t. XXXVI, Opp. min., t. 4. — [2] Cf. Luc., II, 24, 27, 39, etc. — [3] 2 2ae, Quaest. CIII, art. 1.

dam de illius excellentia testificatio; *secundo* autem, agetur de cultu proprie dicto Deiparae tribuendo; *tertio* demum, de huius cultus natura fusius pertractabitur.

2. — **Haereticorum sententiae**. — Porro, circa cultum Deiparae debitum haeretici in contrarios errores declinasse inveniuntur. Dum enim alii Deiparam plus aequo extollentes, divinos ei honores latriaeque cultum exhiberent, placentas, sive collyridas illi in sacrificium offerentes, unde *Collyridiani* dici sunt, alii, e contra, Beatae Virginis honoris osores effecti, illius cultui detrahere conati sunt, unde *Antidicomarianitae* appellati sunt, propterea quod de ipsa nimis demisse sentirent [1].

Lutherus vero, primo quidem haec scripsit [2]: *Eo ipso quod Maria Mater Dei facta est, tam praeclara et ingentia ei dona data sunt, ut superent captum cuiuscumque; hinc enim omnis honor ac beatitudo provenit ut in universo genere humano unica persona sit superior cunctis, cui nemo sit par, quod cum caelesti Patre Filium habeat communem.* Nihilominus alibi, commentans illud S. Pauli [3]: *Factum ex muliere*, sibi ipse contradicens, sequentia protulit [4]: *Paulus, ut apparet, quasi per contumeliam Matrem Filii Dei mulierem tantum appellat;* ex quo in promptu ipsi fuit ut inferret [5]: *Omnes evangelica fide renati pares ei* (Mariae) *sumus in honore: tam sancti sumus atque ipsa, dummodo in Christo credamus.* Similem in Oecolampadio contradictionem reperire est: dum enim in sermone de Laudibus Mariae haec protulerat: *Quid mirum, si parabolice Maria nobiliori creaturae comparetur, pulcra ut luna, electa ut sol, clarior sideribus enuntietur?* in Concione tamen de omnibus Sanctis, Virginis venerationem, *cultum idolorum vocat.*

Porro hic advertendum est, mirum non esse si illi, qui catholicam fidem, omni nisu impetere conati sunt, Deiparae quoque honori infensi extiterint: qui enim Verbo In-

[1] Cf. S. Epiphan., Haer. LXXVII, LXXVIII, LXXIX. — [2] In Comment. sup. Magnificat, t. V, p. 85, Wittenbergae, 1554. — [3] Gal., IV, 4. — [4] Comment. secund. in Ep. ad Gal., c. 4, t. V, p. 374. — [5] Concio VIII de Sacr. Bapt. t. I, p. 72.

carnato bellum inferre, hominumque saluti insidias parare non desistunt, haud facile ei parcere possunt, quae serpentis caput virgineo pede contrivit, haereseon monstra destruxit, et de hominum salute potenti mediatione interposita, sollicitiorem se ubique et in omnibus exhibet. — Sit igitur contra praefatos mariani cultus hostes sequens

3. — PROP. I. — **Beata Virgo est omnino digna quae plus quam alia quaecumque creatura honoretur.**

4. — **Prob. I. — Ex ipsa honoris ratione** — *Honor*, ait S. Thomas [1], *exhibetur alicui propter aliquam eius excellentiam, et ita est signum et testimonium quoddam illius excellentiae quae est in honorato.* Atqui in Beatissima Virgine est excellentiae cuiusdam titulus, nempe divina maternitas, quo profecto maior in pura creatura inveniri haudquaquam potest, cum *Beata Virgo, ex hoc quod est Mater Dei,* (habeat) *quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus* [2]. Praeterea, ex divino decreto Maria constituta fuit hominum mater; ex quo illa ei dignitas accedit, quam iure naturae confert ipsa parentis auctoritas. Ergo omnino digna est Deipara quam homines maiori prosequantur honore, quam cuicumque alteri creaturae competere unquam possit.

Maria, ait Dionysius Cartusianus [3], *honoranda est nobis ratione suae dignitatis, quae dignitas est maternitas Dei, per quam comparentalis est Patri aeterno; id est parens eiusdem Filii, cuius et ille est Pater. Per hanc dignitatem mirabilem, excellentior omni pura est creatura, et cunctis creaturis praelata.* Quod si, ut habet S. Damascenus [4], *illos honore prosequi decet, qui famuli, amici et filii Dei sunt*, quo putanda est honore digna illa qua sanctior nemo unquam exstitit, quam intimae vitae societas Christo coniunxit, quae est Patris primogenita filia, et tanquam Spiritus Sancti integerrima sponsa, illius bonorum concors et heres existit?

Pulcre Dantes veritatem hanc expressit, dum in solemni illa electorum processione, quam sibi in paradiso terrestri

[1] 1 2ae, Quaest. II, art. 2. — [2] 1, Quaest. XXV, art. 6, ad 4m. — [3] De Visit. B. M. V., Serm. I. t. XXXII, p. 234. — [4] Lib. IV Fid. Orthod., c. 15, t. I, p. 277.

per visum ostensam fingit, viginti quatuor seniores introducit, qui primo loco Deiparam, ipsis Angeli et Elisabeth verbis acclamant [1]:

Sotto così bel ciel, com'io diviso,
Ventiquattro seniori, a due a due,
Coronati venian di fiordaliso.
Tutti cantarono: Benedetta tue
Nelle figlie di Adamo e benedette
Siano in eterno le bellezze tue.

5. — II. Ex iis quae Beatissima Virgo operata est. — Idipsum dilucide ostenditur ex hoc S. Pauli principio [2]: *Gloria et honor et pax omni operanti bonum.* Atqui Beatae Virgini nedum Matris Dei et Matris hominum dignitas collata est, verum et iam nihil defuit, quin optima quaeque in utriusque officii qualitate operaretur. Nam, ut Dei hominumque Mater, Christi indivisa socia extitit in divina gloria promovenda, hominumque salute indefesse procuranda; quinimmo, sicut de Christo, ita et de Maria dici potest, angelos ipsos ab eius influxu non omnino fuisse remotos [3]. Ergo digna prorsus existit quam omnes, nedum homines, verum etiam angeli, specialiter praedicent ac venerentur, quae iustissime a Pio IX [4] vocatur *prophetarum apostolorumque praeconium, honor martyrum, omnium sanctorum laetitia et corona, praeclarissimum Ecclesiae sanctae decus et ornamentum, firmissimumque praesidium.*

6. — III. Ex eo quod iste honor redundat in honorem Christi, necnon in bonum Ecclesiae ac totius societatis. — Accedit quod quicumque honor huic gloriosae Deiparae confertur, redundat α) in ipsius Christi Domini honorem, β) in bonum Ecclesiae, et γ) in emolumentum ipsius civilis societatis.

α) Honor qui Beatae Virgini tribuitur *in ipsius Christi honorem et gloriam cedit.* Revera, quemadmodum Verbi ae-

[1] PURG., cant. XXIX, vers. 85, seq. — [2] ROM., II, 10. — [3] Cf. tr. n. DE INCARNAT., Quaest. VIII, art. 4, n. 7; Vol. I, p. 380. — [4] In Bulla INEFFABILIS.

terni dignitati incongruum erat quod illius secundum carnem Mater, nedum ullo actuali peccato inficeretur, ab omni originalis labis inquinamento immunis evaderet, *gloria* (enim) *filiorum patres eorum* [1]; ita quaecumque huic Beatae Virgini laus tribuitur, in Filium Christum redundet necesse est, quatenus impossibile est Matri iniuriam rependi, quae prolem non afficiat. Quocirca, id Christus, historia teste, sibi pluries assumpsit, ut vituperia in Matrem suam a nefandis hominibus directa, ipsemet vindicaret.

β) *Cedit quoque in Ecclesiae bonum.* Nam, cum tota christianae religionis ratio Incarnationis mysterio, quod per Virginem completum est, innitatur, hinc ex quo Beata Virgo tanquam Dei Mater speciali honore celebratur, fides in Christum, et veritas religionis ab eo fundatae non solum confirmantur, verum etiam mirum in modum propagantur. Hinc factitum quod Ecclesia, quae in primo generali Concilio fidem in Filium Dei et consequenter in Deum Patrem solemniter vindicaverat, et in secundo doctrinam de Spiritus Sancti divinitate obfirmaverat, in tertio necesse duxerit, ob impugnationes Nestorii, gloriosae Virginis maternitatem decreto suo sancire: ne quis circa illius dignitatem dubius haereret, naufragiumque in fide faceret.

γ) Demum honor qui Mariae tribuitur, *in bonum ipsius societatis* haud redundare non potest. Cum enim praeclara exempla incitamento sint ad bonum prosequendum, hinc moralis populorum profectus valde augeatur necesse est, ex proposito sibi tam absoluto perfectionis humanae typo, qualem in se exhibuit Immaculata Deipara. Quod adeo verum est, ut ibi moralis vitae altius incrementum, omnibus fatentibus, reperiatur, ubi huius gloriosae Virginis laudes abundantius praedicantur; ita ut et ipsimet homines christianae religioni infensi, interdum agnoscere coacti sint, ex huius nobilissimi typi influxu, tum catholicae religionis excellentiam patescere, tum etiam catholicarum nationum, quantum ad vitae moralis rationem spectat, praestantiam derivari [2].

[1] Prov., XVII, 6. — [2] Vide quod scripsimus: Il Culto di Maria Addolorata. Il Congresso Mariano di Torino, 4-8 sett. 1898. Torino,

7. — IV. Ex honore qui Mariae in Sacra Scriptura tribuitur. — At vero propositae thesi robur adhuc adiiciunt quae hac super re in divinis Scripturis consignata reperiuntur. Siquidem inibi invenitur gloriosissima Virgo specialiter honorata, nedum α) ab angelis et β) a sanctis hominibus, verum etiam γ) ab ipso suo Unigenito Filio.

α) Imprimis, *angelus* a Deo, tanquam illius praeco, ad hanc Virginem missus, *Ave*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum*. Porro, similis salutatio ad alium quempiam nunquam facta fuerat; secus Beata Virgo, cui Legis scientia inerat et prophetarum vaticinia comperta erant, hac salutatione, quasi peregrina, territa non fuisset. *Angelus*, ait Origenes [1], *novo sermone Mariam salutavit, quem in omni Scriptura invenire non potui, et de hoc pauca dicenda sunt. Id enim quod ait:* AVE, GRATIA PLENA,... *ubi in Scripturis alibi legerim non recordor; sed neque ad virum istiusmodi sermo est: Salve, gratia plena. Soli Mariae haec salutatio servatur.*

Praeclara quoque sunt et ad rem nostram accommoda ea quae Angelicus Doctor, salutationem angelicam commentans, scripta reliquit. Qui advertens rem valde magnam antiquitus fuisse quod hominibus angeli apparerent, aut quod ab illis honorarentur, id tamen dicit nunquam inventum esse, quod homines ab angelis reverentiam acciperent, *quousque aliquis inveniretur in humana natura qui in his tribus* (nempe in dignitate, in familiaritate ad Deum, et in plenitudine gratiae), *excederet angelos: et haec fuit Beata*

1899, pp. 400, seq. Haud abs re erit hic retulisse egregia verba quibus Longfellow, licet e protestantium castris, influxum Beatae Virginis in societatem praedicat:

And if our faith had given us nothing more,
Than this example of all womanhood,
So mild, so merciful, so strong, so good,
So patient, peaceful, loyal, loving, pure,
This were enough to prove it higher and truer
Than all the creeds the world had known before.

PRINCE HENRY.

[1] In Luc., Homil. VI, Migne, P. G. t. X. Orig. t. III, col. 1192.

Virgo [1]. Ex quo iam, contra mariani honoris hostes, conclusio prodit verbis S. Bernardini Senensis [2]: *Cogita angelicum exemplum. Si enim angeli salutant eam, quanto magis ad hoc tenetur homo. Disce ergo ab angelo salutare Mariam.*

3) Non minus efficaciter rem nostram comprobant *S. Elisabeth* ad Beatissimam Virginem verba, quippe quae, *repleta Spiritu Sancto,... exclamavit voce magna et dixit:* BENEDICTA TU INTER MULIERES ET BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI [3]. Quae profecto verba specialem reverentiam sanctae Elisabeth erga Beatam Virginem portendunt. Nam, ut advertit Benedictus XIV [4], *Hebraeorum mos erat, ut si qua mulier egregium aliquod facinus edidisset, eam ita salutarent:* BENEDICTA TU IN MULIERIBUS. *Ad hunc modum, Debora Iahelem salutavit uxorem Haber, quod Sisaram interfecisset, ut est in libro iudicum* [5]: BENEDICTA INTER MULIERES IAHEL, UXOR HABER. *Et Booz salutavit Ruth, illis verbis* [6]: BENEDICTA ES, A DOMINO FILIA. *David itidem Abigail benedixit, quae se abstinuit ab internecione familiae Nabal* [7]: BENEDICTA TU, QUAE PROHIBUISTI ME HODIE NE IREM AD SANGUINEM. Unde, lege parallelismi biblici hoc unum deduci potest, videlicet sanctam Elisabeth aliquid magni in Beatissima Virgine agnovisse, pro quo illa utique honoranda et praedicanda erat. Porro, suae reverentiae sensus ulterius explicat Baptistae mater, dum addit [8]: *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? — Non ignorans* (hoc) *dicit*, advertit Origenes [9],... *quasi nesciat quod iuxta Dei voluntatem Mater Domini venerit ad eam: sed isto sensu loquitur: Quid boni feci? Quae opera mea tanta sunt, ut Mater Domini ad me veniat? Per quam iustitiam, ex quibus bonis, de qua fidelitate mentis hoc merui, ut Mater Domini mei veniat ad me?*

Has reverentiae significationes Beatae Virgini propter illius divinam maternitatem deberi, quasi naturali instinctu *turbae* ipsae iudicaverunt, quarum animi interpretem se fecit

[1] Opusc. VI in Salut. Angelic. — [2] Serm. VI DE B. M. V., circa initium, ed. cit., t. IV, p. 98. — [3] Luc., I, 41, 42. — [4] De Festis B. M. V, t. II, c. 3, n. 7, p. 53. — [5] V, 24. — [6] Ruth, III, 10. — [7] 1 Reg., XXV, 33. — [8] Luc., I, 43. — [9] Hom., VII, IN Luc., t. X, col. 1144.

mulier illa quae coram multitudine in voces erupit, dicens [1]: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti.*

γ) Nec putandus est *Christus* huius mulieris devotionem aegre tulisse, aut ei quidquam utcumque detrahere voluisse, cum addidit [2]: *Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud;* nam, ut advertit Venerabilis Beda [3], *pulcre Salvator attestationi mulieris annuit, non eam tantummodo, quae Verbum Dei corporaliter generare meruerat, sed et omnes qui idem Verbum spiritaliter, auditu fidei, concipere... studuerint, asseverans esse beatos; quia et eadem Dei Genitrix, et inde quidem beata, quia Verbi incarnati ministra facta est temporalis: sed inde multo beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat aeterna.* Quapropter et ipse *Deus*, ne lum Matri suae debitum honorem detraheret, dicendus potius est turbarum venerationem erga eamdem oraculo suo confirmasse.

Ex hisce omnibus sequitur rite omnino gloriosam Virginem, utique prophetico afflatam spiritu, de semetipsa dixisse [4]: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes:* huius enim vaticinii veritatem eventus ultro confirmavit, gentibus undequaque consentientibus in gloriam, honoremque benedictae Deiparae tribuendo.

8. — PROP. II. — **Beatissimae Virgini α) debetur cultus, β) et quidem religiosus, γ) necnon externus.**

9. — **Exponitur.** — Huius propositionis probationi praeponenda est notio eius quod significat cultus, necnon distinctio cultus civilis a religioso, et cultus interni a culto externo.

Cum honor dicat meram testificationem de alicuius excellentia, de ratione tamen cultus est, *primo*, aliquid ad intellectum spectans, nempe ut quis agnoscat colendae personae excellentiam, *secundo*, ut huic se libera submittat voluntate; unde cultus soli superiori praestatur; quae quidem excellentia, propter quam alteri reverentiam praestamus, si ordinis sit naturalis, cultus civilis aut politicus habetur, quo cultu servus dominum, discipulus magistrum, miles ducem prosequitur; si autem ista excellentia ordinis

[1] Luc., XI, 27. — [2] Ibid., 28. — [3] Homil., l. IV, c. 49, in Luc., XI, Migne P. L., t. XCII, col. 479. — [4] Luc., I, 48.

sit supernaturalis, scilicet gratiae et gloriae, *religiosus* habetur cultus. Demum, cum submissio signis exterioribus significatur, cultus *externus* habetur; si vero in mente tantum consistat, cultus est mere internus. — Quibus praehabitis, sic potest per partes propositio probari.

10. — Prob. propositionis prima pars. — Imprimis, deberi cultum Beatissimae Virgini, ex Ecclesiae doctrina de cultu sanctis exhibendo, patenter eruitur. — Siquidem, cum isti, post huius mortalis vitae labores, iam gloriosi in caelis cum Christo regnent, et ita nobis superiores existant, ut, iuxta ipsius Christi Domini sententiam [1], *qui minor est in regno caelorum, maior* sit ipso Ioanne Baptista, hinc aequum est ut eos cultu quodam prosequamur [2]. *Colimus ergo martyres*, ait egregie S. Augustinus [3], *eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro evangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tanto devotius, quanto securius post certamina superata; quanto etiam fidentiore laude praedicamus iam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes.*

Porro, si hoc de omnibus sanctis dici potest, a fortiori de Beatissima Virgine debet asseri, quae, ut ait Seraphicus Doctor [4], *tantam habuit bonitatis dignitatem, quod nulla mulier amplius capere potuit. Si enim omnes creaturae, quantumcumque ascenderent in gradibus nobilitatis, essent praesentes, omnes deberent reverentiam Matri Dei.* Exinde Deiparam salutat S. Ioannes Damascenus [5]: *Salve, Dei Mater, quae in saecula adoranda es, quae in saecula es praedicanda, laudandaque per interminata saecula.* Χαίροις, μόνη μήτηρ θεοῦ, ἡ προσκυνητή εἰς τοὺς αἰῶνας.

11. — Scholion. — Ubi, ne quis circa hanc vocem *adorare*, quatenus ad Beatam Virginem refertur, scandalum su-

[1] Matth., XI, 11. — [2] Cf. Conc. Trid., Sess. XXV, de Invoc. et Vener. Reliq. SS. — [3] Contra Faustum, l. XX, c. 21, t. VIII, col. 347. — [4] In Sent., Dist. XLIV, Dub. 4, T. III, p. 793. — [5] Homil. in Annunciat. B. M. V., t. II, p. 838.

mat, quasi eumdem ipsi ac Deo cultum tribuamus, advertisse iuvabit, non uno modo, etiam penes sacras Paginas, verbum illud usurpari. Nimirum, aliquando sumitur *late* pro reverentia quae creaturae excellenti debetur, quo sensu et Nathan dicitur adorasse David [1]; et secunda Nicaena Synodus dicit: *Adoramus homines, angelos et sanctos.* Aliquando vero sumitur *stricte*, scilicet pro reverentia quae soli Deo debetur; secundum quem sensum Mardochaeus noluit adorare Aman, *timens ne honorem Dei transferret ad hominem* [2]. Quinimmo, saepius in Sacra Scriptura *adorare* aliud non significat, nisi actum civilis cuiusdam obsequii superiori exhibibitum [3].

Igitur licet vox ista saepius usurpetur ad significandum supremum cultum Deo debitum, et vix hodiedum alio sensu sine piarum aurium offensione adhiberi soleat, non est tamen cur quisquam haereticorum offendi debeat, si quando ab aliquo ex sacris Doctoribus Beatissima Virgo digna praedicetur, quae ab angelis et hominibus adoretur [4].

12. – Probatur secunda pars. — At vero, non de quocumque cultu hic agitur, sed de cultu vere religioso, qui nempe alicui propter excellentiam ordinis supernaturalis exhibetur. Porro, potissima huius veritatis probatio ex traditione Ecclesiae, quae est *columna et firmamentum veritatis* [5], desumenda est; quandoquidem, ut tradit S. Augustinus [6], *quod universa tenet Ecclesia nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Sed quoniam argumentum istud longius nos abduceret quam huius tractatus natura patitur, ideo rem per summa capita hic tetigisse sufficiet.

Invero, traditio Ecclesiae circa cultum Beatissimae Virgini exhibendum erui potest: I. ex Patribus atque Doctoribus; II. ex liturgia; III. ex historiae monumentis; IV. ex ordinibus et sodalitatibus marianis.

[1] 3 Reg., I, 23. — [2] Esth., XIII, 14. — [3] Ut videre est 3 Reg., I, 16, 31, etc. — [4] Cf. 2 2ae, Quaest. LXXXIV, art. 1, ad 1m. — [5] 1 Tim., III, 15. — [6] De Bapt. c. Donat., l. IV, n. 31, t. IX, col. 140.

13. — I. Patres et Doctores Ecclesiae. Patres Ecclesiae, quemadmodum curam habuerunt ut gloriosae Deiparae cultum aut promoverent, aut contra hostium conatus defenderent, ita sollicitos semper sese exhibuerunt de Virgine Maria laudibus extollenda, hoc nempe consilio, ut in lucem clare prodiret quam catholicus sit specialis ille cultus quo gentes, velut Spiritu Dei afflante, illam prosequuntur. Revera, vix sive in Occidente, sive maxime in Oriente, aliquem Patrum Doctorumve reperire est, qui de ista gloriosa Virgine egregia quaeque non protulerit. Ut ceteros omittam, satis erit nominasse quatuor illos Doctores, qui velut Ecclesiae columnae habentur, videlicet Augustinum, Hieronymumque apud latinos, Basilium et Chrysostomum apud graecos, quorum in hanc Beatam Dei Matrem laudes passim in hoc opere retulimus. Patribus autem doctoribusque adnumerandi sunt Summi Pontifices, qui invicem pie aemulati sunt in extollenda praeconiis laudibusque Deipara; quos inter potissime recenseri debent Leo XIII, qui totam theologiam marianam, editis mirabilibus Encyclicis, excoluit [1], necnon Pius X, qui ab initio sui pontificatus Beatae Virginis praerogativas dignitatemque diserte exposuit, et fideles ut ad illius validum patrocinium recurrerent, fervide excitavit [2].

14. — II. Sacra liturgia. — Praeter Patrum, Doctorumque Ecclesiae auctoritatem adduci potest, in probationem catholicitatis mariani cultus, sacra etiam *liturgia*, ex cuius documentis ipsamet doctrina exponi utique et comprobari potest, cum *legem credendi supplicandi lex statuat*. Quo loci,

[1] Encycl. *Supremi Apostolatus*, 1 Sept., 1883. Acta Leonis XIII, t. III, p. 280, seq.; *Superiore anno*, 30 Aug. 1884, t. IV, p. 123, seq.; *Vi è ben noto*, ad Episcopos Italiae., 20 Sept. 1887, t. VII, p. 191, seq.; *Octobri mense*, 23 Sept., 1891, t. XI, p. 299, seq.; *Magnae Dei Matris*, 8 Sept., 1892, t. XII, p. 221, seq.; *Laetitiae sanctae*, 8 Sept., 1893 t XIII, p. 283, seq.; *Iucunda semper expectatione*, 8 Sept., 1894, t. XIV, p. 305, seq.; *Adiutricem populi Christiani*, 5 Sept., 1895, t. XV, p. 300, seq.; *Fidelem piumque animum*, 20 Sept., 1896, t. XVI, p. 278, seq.; *Augustissimae Virginis Mariae*, 12 Sept., 1897, t. XVII, p. 285, seq.; *Diuturni temporis spatium*, 5 Sept., 1898, t. XVIII, p. 153, seq. — [2] Encycl. *Ad diem illum*, 2 Febr., 1904.

praeter festa, officia, et orationes ab Ecclesia instituta et passim ab eius ministris in sacrorum ritibus adhibita, potissime recensione dignae sunt illae quae vocantur particulares *liturgiae*, ex quibus singularum Ecclesiarum fides diserte personatur.

Et in Ecclesia quidem *orientali*, α) liturgia *S. Iacobi* haec habet: *Commemorationem agamus sanctissimae, immaculatae, gloriosissimae, benedictae Dominae nostrae Matris Dei et semper Virginis Mariae.* β) In liturgia *S. Cyrilli Alexandrini* legitur: *Memento... praecipue... sanctae gloriosissimae Deiparae, semper Virginis, purae et illibatae sanctae Mariae* γ) In liturgia *S. Basilii*, praedicatur Christus, *qui ex Spiritu Sancto et sancta Domina nostra Deipara semper Virgine Maria carnem assumens et homo factus est.* Demum δ) in liturgia *S. Ioannis Chrysostomi* haec leguntur: *Tutos fac gressus nostros precibus et supplicationibus gloriosae Deiparae et semper Virginis Mariae.*

Non minus eloquentur laudes Virginis resonantur in liturgiis Ecclesiae *occidentalis*. Sic α) liturgia *ambrosiana* seu *mediolanensis* haec habet: *Communicantes, et memoriam celebrantes imprimis gloriosissimae, semperque Virginis Mariae.* β) In liturgia *mozarabica* sic legitur: *Per virtutem sanctae Crucis, et per intercessionem Beatae Mariae Virginis*, etc. γ) Pariter liturgia *gallicana* haec continet: *Meritis et intercessionibus sanctorum tuorum, Mariae Genitricis Domini Nostri Iesu Christi*, etc. [1].

Sed super has omnes liturgias particulares eminet liturgia κατ' ἐξοχήν, id est *romana*, quae ex testimonio gravium auctorum, quos inter eminet S. Thomas [2], auctorem habet S. Petrum, et ex qua sola tuto potest sumi argumentum ad dogma faciendum: porro, huius vox constans est, divinos favores per intercessionem Beatissimae Virginis implorantis, ut pluries videre est in Ordinario Missae [3].

Accedit mos ille, ubique terrarum diffusus, scilicet Dei-

[1] Cf. HAINE, citatum a Christiano Stamm, MARIOLOGIA, Paderbonae, 1881, pp. 513, 514. — [2] 3, Quaest. LXXVIII, art. 2, ad 5[m]. — [3] Argumentum hoc egregie prosequitur R. P. I. Le Rohellec, in opusc. *Marie, dispensatrice des grâces divine*, pp. 63, seq.

param per Rosarium deprecandi, cuius excellentiam Pontifices Romani tam egregie extulerunt. *Sic Urbanus IV quotidie per Rosarium christiano populo bona provenire testatus est. Sixtus IV hunc orandi ritum ad honorem Dei et Virginis, et ad imminentia mundi pericula propulsanda opportunum; Leo X adversus haeresiarchas et gliscentes haereses institutum, et Iulius III Romanae Ecclesiae decorem dixerunt. Itemque de eo sanctus Pius V. hoc, inquit, orandi modo evulgato, coepisse fideles iis meditationibus accensos, iis precibus inflammatos, in alios viros repente mutari, haeresum tenebras remitti, et lucem catholicae fidei aperiri. Demum Gregorius XIII, Rosarium a beato Domenico ad iram Dei placandam et Beatae Virginis intercessionem implorandam fuisse institutum* [1].

15. — III. **Historiae monumenta**. — Aliud argumentum, quo egregie vindicari potest legitimitas cultus qui Beatae Virgini in Ecclesia catholica praestatur, suppeditatur ex illis omnibus *monumentis*, quae fidelium pietate, saeculorum lapsu, in illius honorem intituta sunt. Et primo quidem loco succurrunt illae imagines Deiparam repraesentantes, quae in coemeteriis Romae olim depictae adhuc supersunt, tanquam priorum fidelium in hanc inclytam Virginem pietatis, cultusque aperta ac disertissima significatio [2].

Accedunt illa sanctuaria per orbem dispersa, in quibus Maria, tanquam potentissima regina, beneficia sua impertiri consuevit. Nec tacendi libri et tractatus in eius honorem conscripti, nec denique omnigena artis monumenta, quae recensuisse longius foret, quam huius tractatus natura permittat, et quibus illustrandis haud pauci scriptores operam navaverunt [3]. Denique a remotissimis aevi christiani tem-

[1] Leo XIII, Ep. Encycl. Supremi Apostolatus, 1 sept., 1883. Acta, Vol. III, p. 284. — [2] Vide Hor. Marucchi, Éléments d'Archéologie chrétienne. Desclée, 1889, pp. 315, seq. Cf. etiam P. Sixtus Scaglia, Notiones Archaeol. Christ., Vol. II, P. II, c. 4, Romae, 1910. — [3] Vide J. Hoppenot, La Sainte Vierge dans la tradition, dans l'art, dans l'âme des saints et dans notre vie, Desclée. Legi etiam omnino debet Auguste Nicolas, la Vierge Marie et le plan divin, t. IV, Paris, 1876. Etsi quaedam ibi minus forsan ad theologicum rigorem exacta proferantur, opus tamen egregium fovendae erga Deiparam pietati plu-

poribus, altaria fuerunt in eius honorem erecta, templaque consecrata [1]; quae quidem, labentibus annis, tanta frequentia succrevere, ut illa omnia singillatim enumerare facultatis humanae capacitatem superet; ita ut orbem universum perlustranti, vix locum aliquem reperire sit, in quo Virginis excelsae praeconia speciali cultu non celebrentur [2].

16. — IV. Ordines ac Sodalitates marianae. — Demum legitimitatem simul et excellentiam cultus qui Deiparae praestatur, comprobant *religiosae familiae*, necnon *sodalitates* quae, approbante Ecclesia, a viris sanctis, in huius Magnae Reginae speciale obsequium, interdum excitatae sunt. Et legitimitas quidem mariani cultus ex praefatis piis Institutionibus inde deducitur, quod illas certe Ecclesia haud approbasset, nisi hoc ipso praefatum cultum sancire voluisset, cum hunc finem sibi specialiter praefixum habeant huiusmodi piae familiae ac sodalitates, nempe Deiparae honorem aemulari, cultumque latius diffundere.

Eiusdem quoque mariani cultus excellentia atque utilitas nullo negotio patebit cuique parumper considerranti, ex historiae annalibus, quantum illarum Institutionum operâ, et quidem vi ac virtute specialis cultus, quem earum sodales Deiparae tribuunt, fidei catholicae et societatis christianae bono incrementum accesserit, atque in dies accedat; ita ut huic devotioni optime accommodari valeant ea quae de divina Sapientia scripta referuntur [3]: *Omnia bona venerunt mihi pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius* [4].

---

rimum inservire compertum est. Sed prae ceteris, commendamus librum P. I. B. Terrien, S. I., La Mère de Dieu, etc., t. IV, pp. 179, seq.

[1] Silenda hic non est pervetusta Ecclesia S. Mariae Antiquae, non ita pridem in foro Romano adinventa, quae labente saeculo quarto Deiparae dedicata est. — [2] Vide Armellini, Le Chiese di Roma, Roma, 1891. Cf. Notizie storiche intorno all'antichità del culto di M. V. Roma, 1887. Cf. etiam Dissert. G. F. Pfaeler, *The earliest cultus of Our Lady at Rome*. The Month. Oct., 1902, p. 377, seq. — [3] Sap., VII, 11. — [4] De Sodalitatibus marianis egregie scripsit R. P. Elder Mullan, S. I., edito opere, La Congregazione Mariana, studiata nei documenti, Romae, 1911.

17. — Solvuntur obiectiones. – I. Contra cultum Sanctorum in genere, et in specie contra cultum religiosum Beatissimae Virgini exhibitum, obiici primo loco solet, cultum soli Deo deberi, iuxta illud [1]: *Deum timebis, et illi soli servies*; cultus enim est species servitutis. Qua in re S. Augustinus expresse dicit [2]: *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia si pie vixerunt, non sic habentur ut tales quaerant honores; sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante, laetantur meriti sui nos esse consortes.*

At ista et similia, quae ex Sacra Scriptura, sanctisque Patribus passim a protestantibus adducuntur, de facili solventur, si modo distinctio instituatur inter cultum supremum et independentem, et cultum inferiorem atque illi priori subordinatum. Et illo quidem, utpote soli infinito Numini conveniente, vetamur et verbo Dei et Ecclesiae magisterio, quamcumque creaturam revereri; alio autem cultu venerari sanctos non vetamur, hic enim in ipsius Summi Dei cultum refundatur necesse est. *Honoramus reliquias martyrum*, ait egregie S. Hieronymus [3], *ut eum, cuius sunt martyres, adoremus.* Et S. Augustinus: *Populus christianus*, ait [4], *memoriam martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur atque orationibus adiuvetur, ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum sacrificemus.* Pius quoque auctor, sub nomine S. Augustini, ait [5]: *Beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat excellentia imperatorum, inimanem credentium persecutorem Paulum veneratur gentium multitudo credentium.*

Ceterum, in quonam distinguatur formaliter cultus ille supremus, quem *latriae* vocamus, a cultu inferiori qui *duliae* appellatur, dicemus in mox subsecutura propositione. Igitur, Beatissimae Virgini non illum cultum tribuimus qui summus est et uni Deo competit, sed inferiorem, qui idcirco in Dei honorem, gloriam, cultumque refunditur.

[1] Deut., VI, 13. — [2] L. de vera Relig., C. 55, n. 108, t. I, col. 786. — [3] Ep. CIX (al. LIII), ad Riparium, n. 1, t. I, col. 726. — [4] L. XX, contra Faustum, c. 21, t. VIII, col. 347. — [5] Serm. CCIV in natali App. Petri et Pauli, n. 3, in append. ad T. V., col. 339.

II. Rursus, a quibusdam contra Beatae Virginis cultum obiicitur illum nonnisi post multa saecula a fundata christiana religione, aut introductum, aut saltem ampliatum fuisse, et in primaeva Ecclesia illius vestigia vix ac ne vix quidem reperiri.

Cui difficultati responderi potest, imprimis, haud deficere etiam priscis Ecclesiae temporibus monumenta, quibus evincitur originem cultus in Deiparam ab ipsis christianae religionis exordiis esse repetendam [1].

Sed praeterea notandum est, hanc esse tum dogmatis, tum disciplinae conditionem, ut gradatim, volventibus saeculis, profectum acceperint, quatenus tum veritatis revelatae cognitio, tum christianae praxes proportionaliter cum temporum necessitatibus augescerent. Quam in rem faciunt pulcherrima verba S. Vincentii Lirinensis [2]: *Ita etiam christianae religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut annis, scilicet, consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur aetate... Intelligatur... illustrius quod antea obscurius credebatur;... posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur.* Eodem sensu scribit S. Gregorius Magnus, per successiones temporum crevisse divinae cognitionis argumentum [3].

Cur autem decrevit Deus ut Beatissimae Virginis cultus tamdiu velut in umbra delitesceret, antequam in lucem prodiret meridianam? Plures pro modulo nostro, quin certe divinam voluntatem scrutari praesumamus, afferre possumus rationes, ob quas cultus iste nonnisi temporis decursu evolvendus erat.

Et prima quidem exinde deduci potest, quod omnino necesse erat ut longe lateque diffunderentur fides ac homi-

[1] Circa cultum Deiparae prioribus Ecclesiae saeculis exhibitum, cf. Dr. F. A von Lehner, *Die Marienverehrung in den ersten Jahrhunderten*. Stuttgart. 1881, ubi antiquiores Deiparae imagines Patrum Doctorumque scriptis auctor illustrat; H. F. J. Liell, *Die Darstellungen der allerseligsten Jungfrau und Gottesgebärerin Maria auf den Kunstdenkmäler der Katakomben*. Freiburg im Breisgau. 1887, ubi auctor istas imagines ad dogma catholicum refert, etc. — [2] Commonit., nn. 24 et 22. — [3] Hom., XVI in Ezech., l. II, quoad sensum.

num devotio in Verbum Incarnatum, hominum Redemptorem, antequam fideles discerent venerari et colere illius Matrem, humani generis Coredemptricem.

Deinde, periculum erat ne homines, ex idolatria ad christianam fidem conversi, ad novam religionem illud transferrent, quod in gentilitate retinuerant, nempe esse in caelo deorum multitudinem, queis divini honores aeque competunt.

Denique, cum divina Providentia opportuna, pro temporum necessitatibus, societati christianae remedia conferat, hinc in novissimis diebus, cum videlicet multorum caritas refrigescere noscitur, beneficium huius cultus fidelibus uberius communicandum esse voluit, et quidem potissime sub speciali forma dolorum quos Maria sub Filii Cruce pertulit, ut inde maiorem fovendae in Deum devotionis causam sumerent, ubi divini amoris ignis intensior conflagravit et altiorum virtutum exempla splendidius emicuere.

Ex quibus concludi luculenter potest, Dei hanc esse voluntatem, ut cultus erga gloriosam Matrem magis magisque nunc dilatetur, solideturque; nec, quod antea notabamus, illi de propria salute desperandum esse, cui cordi sit Beatissimam hanc Virginem, caeli terraeque Reginam, speciali devotionis significationibus venerari [1].

18. - **Tertia praefatae propositionis pars,** nempe Beatissimam Virginem esse colendam cultu religioso etiam

[1] Sequentia interna exercitia verae sinceraeque devotionis erga Beatam Virginem enumerat B. Grignion de Montfort (*Traité de la vraie dévotion à la Sainte Vierge*, P. II, p. 82): 1° *l'honorer comme la digne Mère de Dieu, du culte d'hyperdulie*;... 2° *méditer ses vertus, ses privilèges et ses actions*; 3° *contempler ses grandeurs*; 4° *lui faire des actes d'amour, de louange et de reconnaissance*; 5° *l'invoquer cordialement*; 6° *s'offrir et s'unir à elle*; 7° *faire ses actions en vue de lui plaire*; 8° *commencer, continuer et finir toutes ses actions par elle, en elle, avec elle et pour elle, afin de les faire par Jésus-Christ, en Jésus-Christ, avec Jésus-Christ et pour Jésus-Christ, notre dernière fin.* — Qui Deiparae virtutes privilegiaque pia contemplatione revolvere capit, adire potest S. M. Ledoux, O. S. M., qui mysteria vitae Beatae Virginis in meditationum formam redegit, in opere *Marie Méditée*, 5 vol. Bar-le-Duc (Meuse), imprimerie de l'Œuvre de S.-Paul, 36, rue de la Banque.

actibus externis significato, facillimo negotio expeditur, si tantum in memoriam revocetur solemne illud principium, nempe hominem, quia non ex spiritu tantummodo, sed etiam ex corpore, quo visibilis est, constat, ideo sensus internos debere externis significationibus manifestare, ut, *primo*, extrinsecus pateat quod intra animae suae potentias persentiscit, et sic alios ad Dei cultum suo exemplo provocet; *secundo*, semetipsum magis excitet ad animi reverentiam erga illum quem colit; ideoque exterior cultus non in eius, qui colitur, utilitatem cedit, cum intimos sensus satis ille cognoscat, sed tum in colentis emolumentum, tum in aliorum qui et ipsi illum colere debent [1].

Externa igitur cultus mariani manifestatio plurimum valet, tum ut ipsemet qui Deiparam colit ad maiorem erga eam devotionis sensum provocetur, tum ut alios quoque inducat ad illam sincere colendam, quae est *Mater pulcrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei* [2]. Signa autem quibus animi submissionem per actus exteriores exprimimus, sex recenseri solent, scilicet *genuflexio capitis inclinatio* aut *detectio, corporis prostratio, osculatio, manuum oculorumve elevatio, pectoris tunsio*; ex quibus tamen genuflexio et corporis prostratio, ex fidelium usu, pro solius Dei cultu adhibentur.

Res vero externae, quibus utimur ad Dei sanctorumque cultum, plurimae sunt: verbi gratia, *altarium, templorumve erectio; consecratio statuarum, aut numismatum cum aureolis; coronae precatoriae; incensatio; luminum accensio; ieiunia; vigiliae; festa; peregrinationes*, aliaque id genus bene multa. In quibus tamen, sicut in omnibus quae ad Dei sanctorumque cultum pertinent, sequendus est legitime receptus in Eccesia usus, a cuius norma nemini discedere fas est [3].

[1] Cf. 2 2ae, Quaest. XCI, art. 1. — [2] Eccl., XXIV, 24. Notanda sunt verba Dion. Cart. in hunc locum: *Sicut increata Sapientia mater est harum virtutum et actionum eas... auctoritative et principaliter producendo..., sic* (Maria) *earumdem Mater est meritorie et instrumentaliter ac secundarie*. Enarr. in h. l., t. VIII, p. 155. — [3] Quibusnam externae devotionis ritibus Deiparam fideles prosequi valeant, require in citato aureo libello *Traité de la vraie Dévotion*, pp. 83. seq.

19. — Solvitur difficultas. — Pro huius propositionis coronide, non abs re erit breviter referre et solvere potissimam *difficultatem*, quam contra cultum externum adducere solent protestantes. Qui verbis Domini Nostri insistentes, quibus ille ait [1]: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate;* abutentes quoque verbis S. Pauli [2]: *Orabo spiritu, orabo et mente,* — docent cultum Dei, et idem profecto de cultu Beatae Virginis dicendum foret, exterioribus actibus perfici haudquaquam debere.

Quam obiectionem S. Doctor iamdiu sibi proposuerat et solverat. Cum enim advertisset [3], id quod est exterius, in actibus cultus, referri ad id quod est interius sicut ad principalius, unde et exteriores actus fiunt propter interiores, ut per sensibilia signa mens humana provocari valeat ut tendat in Deum, *respondens* adductae ex citatis locis obiectioni, ait quod *etiam adoratio corporalis in spiritu fit, in quantum a spirituali devotione procedit, et ad eam ordinatur* [4]. Et iterum [5]: *Sicut oratio primordialiter est quidem in mente, secundario autem verbis exprimitur, ita etiam adoratio principaliter quidem in interiori Dei reverentia consistit, secundario autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis: sicut genuflectimus, nostram humilitatem designantes in comparatione ad Deum, prosternimus autem nos, quasi profitentes nos nihil esse ex nobis.* Ceterum, etiam actiones corporales, seu externae, in spiritu et veritate fieri utique possunt, ita ut ad eas quoque Christi verba referri valeant.

Hisce praestitutis, iam dirimenda quaestio est, qualis species cultus Deiparae debeatur. Porro, hic non de cultu civili qui respicit excellentiam quae ad hominum civilem societatem pertinet, ut iam notatum est, agitur, sed de cultu sacro, qui respicit excellentiam ordinis gratiae et gloriae, et qui proinde illo cultu civili generice superior existit, quique religiosus propterea vocatur, quod a virtute religionis imperatur.

20. — Cultus latriae et cultus duliae. — Iamvero, celebris est et iamdiu in Ecclesia recepta distinctio cultus sa-

[1] Io., IV, 23. — [2] 1 Cor., XIV, 15. — [3] 2 2^{ae}., Quaest. LXXXIV, art. 2 — [4] Ibid., ad 1^{m}. — [5] Ibid., ad 2^{m}.

cri in *latriam*, qui est cultus supremus soli Deo, rerum omnium conditori, debitus, et *duliam*, qui est inferior cultus, quo aliquem dignitate praecellentem prosequimur. Hanc distinctionem ita egregie tradit S. Augustinus [1]: *Ea servitus quae debetur hominibus, secundum quam praecipit Apostolus servos dominis suis subditos esse debere* [2], *alio nomine graece nuncupari solet* (sc. δουλεία); λατρεία *vero... ea dicitur servitus, quae pertinet ad colendum Deum.*

Porro, discrimen formale inter latriam et duliam non penes vocum significationes attendi debet, sed penes res ipsas quas usus hisce nominibus applicuit. Latria enim (λατρεία a λατρεύω) et dulia (δουλεία a δουλόω), graecae voces, idem omnino significant; at *usus primum Iudaeorum hellenistarum, deinde christianorum*, ait Grotius [3], voci δουλείας *relicto significatu generali*, λατρείας *nomen divino cultui* assignavit; qui usus, ut recte advertit sanctus Petrus Canisius [4], ut plurimum in Sacra Scriptura observatur, ubi *duliae nomen creaturis assignatur; latria vero, ut servitus Deo soli reddenda, in Novo Testamento semper accommodatur*; quod autem Deo aliquando dulia tribuatur, ratio inferius reddetur. Ex quibus apparet quam fatue Lutherus [5] et Theodorus Beza [6] harum vocum distinctionem irrideant, quasi nullo Scripturarum usu obfirmetur.

At vero in quonam consistat praefati discriminis ratio, egregie exponit Doctor Angelicus [7]. Quia, arguit ille, alia ratione Deo, alia homini dominium competit, ideo alia etiam ratione servitus Deo, alia homini debetur. Revera, Deus plenum et summum dominium possidet respectu totius creaturae, homo autem nonnisi similitudinem divini dominii, cum potestatem habeat solum super aliquam particularem creaturam. At ubi est alia ratio debiti, ibi necesse est esse aliam virtutem quae hominem moveat ad reddendum debitum; ideoque, alia est *latriae* virtus, quae debitam servitutem divino dominio exhibet, at alia virtus *duliae*, quae de-

[1] L. X, DE CIV. DEI, c. 1, n. 2, t. VII, col. 238. — [2] Eph., VI, 6. — [3] In MATTH. IV. — [4] DE MARIA VIRGINE, libri quinque, p. IV, sect. II, c. 15. — [5] In POSTILLA CIRCA FEST. EPIPH. — [6] In ANNOT. AD C. IV MATTH. — [7] 2 2ae, Quaest. CIII, art. 3.

bitam exhibet servitutem homini dominanti, et quae est quaedam species observantiae, quia per observantiam honoramus quascumque personas dignitate praecellentes, per duliam autem proprie sumptam, servi dominos suos venerantur.

Aliquando tamen et ipsi Deo, ut supra innuimus, adoratio vel cultus duliae tribuitur, quemadmodum Glossa super illud [1]: *Domine, Deus meus, in te speravi*, ait [2]: *Dominus omnium per potentiam, cui debetur dulia; Deus omnium per creationem, cui debetur latria.* Huius autem rei ratio ab Angelico assignatur [3] ex duplici titulo quo cultus fundatur, quia nempe Deo Patri debetur honor latriae propter deitatem, et honor duliae propter dominium quo gubernat creaturam. Cuius distinctionis aliud suppeditatur exemplum in persona Christi, quae adoratur adoratione latriae propter suam divinitatem, et adoratione duliae propter perfectionem humanae naturae [4].

21. — Distinctio hyperduliae a dulia. — At, praeter *latriam* et *duliam*, recenseri et debet, ex doctrina Ecclesiae, et propter exigentiam praesentis quaestionis, *hyperdulia* (ex graeco ὑπέρ, *supra*, et δουλεία) de qua, ut sciatur qua ratione se habeat ad duliam, recurrendum denuo est ad S. Thomae doctrinam [5].

Nimirum, dulia potest sumi sensu stricto, prout scilicet secundum eam servus exhibet reverentiam domino; at potest etiam accipi communiter, nempe secundum quod exhibet reverentiam cuicumque homini ratione cuiuscumque excellentiae. Et hoc quidem modo accepta, dulia habet partes specie distinctas; continet enim sub se pietatem, observantiam et, quamcumque virtutem per quam homini reverentia exhibetur. Nam diversa ratione honorantur diversi proximi, puta, rex, pater et magister; diversa autem ratio obiecti diversificat speciem virtutis; unde dulia communiter accepta dividitur in virtutes specie differentes, et inter has species potissima est hyperdulia, quae exhibetur creaturis

[1] Psalm. VII, 2. — [2] Interlin. — [3] 3, Quaest. XXV, art. 2. — [4] Ibid. — [5] 2 2ae, Quaest. CIII, art. 4.

habentibus specialem affinitatem ad Deum. Huiusmodi est humanitas sanctissima Domini Nostri Iesu Christi, considerata ut separata a Dei Verbo [1]; nam ut in ipsa subsistit persona Verbi, est adoranda adoratione latriae; pariter Beatissimae Virgini, in quantum est Mater Dei, cultus hyperduliae debetur, ut mox dicemus.

At vero, si dulia stricte sumatur, non dividitur in diversas species, sed est una specierum observantiae; alia enim ratione servus reveretur dominum, miles ducem, discipulus magistrum, et sic de aliis; unde ponendae sunt diversae species observantiae, inter quas est dulia, qua servus exhibet reverentiam domino; et in hoc sensu hyperdulia contradistinguitur duliae, quia alia ratione servus reveretur dominum, et alia ratione homo reveretur creaturam, quae habet specialem ad Deum affinitatem.

22. — **Distinctio cultus absoluti et cultus respectivi.** — Demum, nec silentio praetereunda est distinctio cultus in cultum *absolutum* et cultum *respectivum*: quae distinctio in hoc consistit, quod cultu *absoluto* adoratur res propter seipsam, scilicet propter excellentiam propriam et intrinsecam rei, quo cultu, verbi gratia, persona Domini Nostri Iesu Christi adoratur; cultu autem *relativo* adoratur res propter aliud, scilicet propter excellentiam alterius personae, ad quam res ista habet habitudinem, vel quia illam repraesentat, sicut imago Crucifixi repraesentat Dominum Nostrum Iesum Christum, vel quia ad illam quoquo modo pertinet, sicut adorantur instrumenta passionis, quibus Salvator Noster salutem nostram operatus est.

Et haec quidem distinctio valet pro omni specie cultus: sic rex ipse absolute colitur, vestimentum autem regis aut eius imago nonnisi cultu relativo. In genere, hoc statui potest, scilicet, cultu absoluto solas res quae intellectualis sunt naturae coli posse, eo quod submittere se homo non potest nec debet, nisi rei eiusdem aut excellentioris naturae [2]; cultu vero relativo coli possunt etiam res ratione

[1] 3, Quaest. XXV, art. 2, ad 1[m]. — [2] 2 2[ae], Quaest. CIII, art. 4, ad 3[m].

carentes, cum non propter se colantur, sed propter personas quas repraesentant aut ad quas pertinent.

Necessarium duximus longiori sermone haec quae ad cultus rationem, eiusque varias distinctiones pertinent, expendere; secus enim in incerto mansissent ea quae de cultu Deiparae conveniente dicturi sumus. His igitur expositis, sit

23. — PROP. — Deipara Virgo α) non est colenda cultu latriae, sive absoluto, sive etiam relativo; β) neque solum simplicis duliae cultu; γ) sed proprie et formaliter cultu hyperduliae.

24. — Prob. 1ª Pars. De ratione cultus latriae est, ut supra dictum est, quod per eum exhibeatur debita servitus divino dominio, quatenus nempe ille cui latria exhibetur, plenarium et principale dominium habet respectu totius creaturae, et cuiuslibet creaturae, quae totaliter eius subiicitur potestati. Ergo cultus latriae illi soli debetur, a quo est totum id quod est in homine, seu a quo dependet homo, in quantum est ens simpliciter. Atqui solus iste est Deus, qui est primum Ens, Ens infinitum, a quo omne id quod in unaquaque re invenitur, absolute dependet, seu qui solus est infinitae excellentiae. Ergo cultus latriae soli Deo debetur, nec ulli creaturae, etiam nobilissimae, qualis profecto est Beata Virgo, praestari permittitur [1].

Illo cultu, ait egregie S. Augustinus [2], *quae graece λατρεία dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quaedam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum qui hoc etiam idolis exhibent; nullo modo tale aliquid offerimus aut offerendum praecipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctae animae, vel cuiquam angelo.* Consonat S. Hieronymus, qui Vigilantium haereticum ita carpebat [3]: *Quis enim, o insanum caput, aliquando martyres adoravit? Quis hominem*

[1] 3, Quaest. XXV, art. 5. — [2] Contra Faust. Manich., l. XX, c. 21, t. VIII, col. 347. — [3] L. contra Vigilantium, t. II, col. 390.

putavit Deum? Et alibi [1], protestatur nec martyrum reliquias, nec angelos, nec aliquid creatum adorari et coli, videlicet cultu latriae, posse [2].

25. — Solvitur tacita difficultas. — Sed difficultas ex hoc exsurgit quod Beata Virgo, licet non sit colenda cultu latriae absoluto, videtur tamen posse coli cultu latriae respectivo. Nam concesso quod non debeat coli latriae cultu absoluto propter seipsam, cum sit pura quaedam creatura, quaestio exsurgit, utrum coli valeat latriae cultu respectivo, quemadmodum tali cultu adorantur imagines Christi Domini, necnon Crux eius et instrumenta passionis illius. Profecto Beata Virgo est hisce rebus longe dignior et nobilior.

Ast nullo modo debet Beata Virgo cultu latriae etiam *respectivo* seu relativo coli. Ad cuius rei evidentiam, sciendum est quod aliquid ad Christum pertinens in tantum adoratur, in quantum Christus ipse in hac re subsistere videtur: adorari enim non est nisi rei subsistentis. Et ita humanitas Christi, et caro, et omnia membra eius cultu latriae adorantur, quia in ipsis subsistit Verbum Dei. Imagines quoque Christi adorantur cultu latriae; nam, ut ait S. Thomas [3], *quia idem motus est in imaginem in quantum est imago, et in imaginatum, ideo unus honor debetur imagini et ei cuius est imago: et ideo, cum Christus adoretur latria, similiter et eius imago.*

Quocirca imago, ut res quaedam est, non est capax alicuius adorationis, cum sit res materialis tantum, quae non habet aliquam excellentiam propter quam sit honore digna; sed si adoratur, adoratur unice propter excellentiam eius cuius ipsa imago est. Unde idololatrae quidem, credentes in ipsis imaginibus aliquod numen esse, ipsis deserviebant non solum ut imaginibus, sed etiam ut rebus [4]; iconoclastae vero non minori stultitia quam impietate in cultum sacrorum imaginum irruebant, dum non intelligerent id quod Damascenus inducit Basilium dicentem [5]: *Imaginis honor ad prototypum pervenit,* ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸν πρωτότυπον διαβαίνει.

[1] Ep. CIX (Al. LIII) ad Ripar., t. I, col. 726. — [2] Cf. supra, n. 17. p. 561. — [3] 3 Sent., Dist. IX, quaest. 1, art. 2, quaest. 2, solut. — [4] Ibid., ad 2[m]. — [5] L. IV Orthod. Fid., c. 16, t. I, p. 280.

Sed creaturae rationali debetur reverentia propter seipsam: unde si creaturae rationali, propterea quod est imago Dei, exhiberetur adoratio latriae, motus adorantis sisteret in ipsa creatura rationali et non ferretur in Deum, quod profecto de imagine sculpta vel picta in materia sensibili nequit contingere.

Porro, inter omnes creaturas eminet Beatissima Virgo Maria, quae secundum gratiae dona propinquius ad Dei similitudinem accedit; unde si ipsi adoratio latriae praestaretur, haec adoratio sisteret in ipsa et non ferretur in Deum, essetque cultus vere idololatricus: quocirca Beata Virgo non est adoranda cultu latriae etiam respectivo. Hinc S. Epiphanius ait [1]: *Sanctum erat Mariae corpus, fateor, non tamen Deus illa fuit; eadem et Virgo exstitit, minime tamen nobis ad adorandum proposita, sed cum adorans ipsum qui e sua carne genitus, e caelo ac paterno sinu descenderat.* Et rursus, Collyridianos gravissime obiurgans, quod sacrificia, quae soli Deo debentur, Mariae offerrent, ait [2]: *Quamvis optima fuerit, ac sancta et honore dignissima, non idcirco tamen adoratione prosequenda. — καὶ εἰ καλλίστη ἡ Μαρία, καὶ ἁγία, καὶ τετιμημένη, ἀλλ'οὐκ εἰς τὸ προσκυνεῖσθαι.*

Pariter, vestes Christi Domini et instrumenta passionis eius, necnon sacra eius tabernacula, ut sunt praesepe, spelunca et huiusmodi, cultu latriae adoramus, propterea quod sacra illius membra contigerunt; quod quidem longe excellentius fecit Beatissima Virgo, cum et meruerit in suo ventre illum novem mensium spatio portare; sed illae res non sunt per se et propter semetipsas adorationis capaces, ideoque cultu latriae, qui profecto respectivus est, adorantur: Mater Dei autem, cum propriam habeat excellentiam, ideo latriae cultu, etiam respectivo, adorari non debet [3].

Nec dicatur: honor matris refertur ad filium: ergo et mater, sicut filius, adorari potest adoratione latriae. — Nam, quod honor matris refertur ad filium ex eo est, quia mater est propter filium honoranda: non tamen exhinc sequitur quod eodem cultu mater debeat adorari, quo adoratur fi-

[1] Haer., LXXIX, § 4, p. 1061. — [2] Ibid., § 7, p. 1065. — [3] 3, Quaest. XXV, art. 5.

lius, quemadmodum eodem cultu adoratur imago et exemplar: nam imago, prout in se consideratur, nullo modo est honoranda, sed mater est in semetipsa veneratione digna [1].

26. — Prob. 2ª pars. — Quod in secunda parte enunciatae propositionis dicitur, nempe Beatam Virginem non solum cultu simplicis duliae coli debere, sibi vult posse utique duliae cultum Beatae Virgini tribui, et quidem duliae non communiter, sed proprie sumptae, hoc tamen pacto, quod iste non sit formaliter cultus qui ipsi, in quantum est Dei Mater, debeatur.

Nam, quod possit cultus duliae proprie sumptae Beatae Virgini exhiberi, exinde constat, quod per istam duliam debita servitus exhibetur alicui creaturae rationali, participanti quamdam similitudinem divini dominii [2]. Atqui Beata Virgo, ex hoc quod est gratia plena in caelis coronata, quamdam similitudinem divini dominii participat, et quidem perfectius quam quilibet sanctus aut angelus. Ergo Beatae Virgini duliae cultus exhiberi potest: per duliam enim proprie sumptam servi dominos suos venerantur.

At Beata Virgo, ex eo quod est Dei Mater, ordinem quemcumque creatum transcendit, scilicet propter illius cum Deo affinitatem, sicut et humanitas Domini Nostri, propterea quod Verbum in ea subsistit. Ergo in Beata Virgine, sicut in humanitate Domini Nostri praecise accepta, est alia similitudo divini dominii, scilicet non modo similitudo quantum ad esse divinum et operari divina participative, qualis est similitudo quae fundatur in gratia et gloria, sed similitudo altioris formaliter ordinis, quae fundatur per respectum ad Beatam Virginem in ratione cuiusdam consanguinitatis et affinitatis ad Deum: est enim Dei vera et propria Mater; quemadmodum per respectum ad humanitatem Christi ista similitudo fundatur in ratione verae personalitatis et subsistentiae, cum illa humanitas sit vere et proprie humanitas Verbi Dei.

27. — Prob. 3ª pars. — Quae cum ita sint, iam appareat, cultum qui proprie et formaliter debetur Beatae Virgini

[1] Ibid., ad 2ᵐ. — [2] 2 2ᵃᵉ, Quaest. CIII, art. 3.

esse cultum hyperduliae, prout haec distinguitur specifice a dulia proprie dicta.

Revera, hoc Beatissimae Virginis proprium est, quod ipsa est vere et formaliter Mater Dei, quae dignitas est radix et ratio ultima omnis eius dignitatis gratiae et gloriae, ut ex dictis in hoc tractatu abunde constat; nam omnis gratiae plenitudo ipsi collata a Deo fuit, utpote congrua ad maternitatis dignitatem dispositio, iuxta illud celebre S. Augustini [1]: *Unde enim scimus quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum?* Quocirca, cum divina maternitas quamdam dignitatem infinitam Beatae Virgini conferat, iuxta Angelicum [2], et ita cum haec dignitas sit velut principium et radix omnium gratiarum et privilegiorum Beatissimae Virginis, se habens ad ista, tanquam prima forma ad proprietates inde profluentes, hinc, quamquam si abstractio fiat a dignitate Matris Dei, cultu duliae, quo alii sancti coluntur, coli et Maria valeat, tamen cultus specialis ipsi omnino proprius debetur, nempe cultus hyperduliae, quatenus est vere et proprie Mater Dei.

Hac de causa, cum aliqui a S. Sede postulassent ut centenaria commemoratio Nativitatis B. M. V., anno 1885 in toto orbe celebraretur, S. Rituum Congregatio respondit *non expedire*: cuius rei haec ratio dabatur: *Eminentiori veneratione supra ceteros sanctos colit Ecclesia caeli Reginam et Dominam angelorum, cui,* IN QUANTUM IPSA EST MATER DEI... DEBETUR... NON QUALISCUMQUE DULIA, SED HYPERDULIA [3]. *Ideoque plus quam centenaria solemni commemoratione, eadem semper cultus praestantia, eodemque honoris tributo Ecclesia celebrat recurrentes eius mysteriorum solemnitates; cum de cetero cultus Deiparae in Ecclesia sit plane quotidianus, ac prope nulla temporis mensura limitatus* [4].

[1] Lib. DE NAT. ET GRAT., c. 36, t. X, col. 145. — [2] 1, Quaest. XXV, art. 6, ad 4[m]. — [3] S. Thom., 3 part., quaest. XXV, art. 5. — [4] Epistola S. Congregat. Rituum, *Vir eminentissimus*, ad omnes catholici orbis episcopos, 1 iunii, 1884. Acta Leonis XIII, t. IV, p. 91.

28. — Auctoritas. — Hoc quod balbutientibus labiis de cultu Mariae debito disseruimus, eloquenter figuratum in Sacra Scriptura reperitur, in eo quod legitur [1]: *Positusque est thronus matri regis* (Salomonis), *quae sedit ad dexteram eius. — Thronum Dei et thalamum caeli Domini*, ait pius quidam auctor [2], *domum atque tabernaculum Christi dignum est ibi esse ubi est ipse.* Quae verba exponens Angelicus Doctor, ait [3]: *Matri regis, non debetur aequalis honor honori qui debetur regi; debetur tamen ei quidam honor consimilis, ratione cuiusdam excellentiae: et hoc significant auctoritates inductae.*

Eximia quoque sunt in hac re Seraphici Doctoris verba. *Beatissima Virgo Maria*, ait [4], *pura creatura est, et ideo ad honorem et cultum latriae non ascendit. Sed... ex eo quod Mater Dei est, praelata est ceteris creaturis, et eam prae ceteris decens est honorari et venerari. Hic autem honor consuevit a magistris hyperdulia vocari, et accipitur verbum illud de Glossa* [5], *ubi dicitur dulia maior et dulia minor.* Ex quo, ut patet, deduci potest, contra haereticorum calumnias, vocabulum *hyperdulia*, iam ante S. Bonaventurae tempora sensu quo nunc accipitur, usitatum fuisse.

Nec praetereunda est S. Bernardini Senensis luculenta oratio. Ait quippe [6]: *Prima dignitas, seu excellentia Virginis gloriosae, quae eius gloriam magnam ostendit, maternitas dicta est, maxima nempe excellentia, quod Virgo Beata sit Mater Dei: maius est enim quod ipsa sit Mater Dei, quam quod sit Domina creaturarum Dei; hoc enim dependet ab illo sicut ramus a radice... Nam ut dicitur* [7], *sicut Filius Dei* SEDET A DEXTRIS MAIESTATIS IN EXCELSIS, TANTO MELIOR ANGELIS EFFECTUS QUANTO DIFFERENTIUS PRAE ILLIS NOMEN HEREDITAVIT, *quod nomen est, ut sit vere Deus per gratiam unionis: sic et Mater Domini Nostri Iesu Christi gloriosa Maria, tanto melior est angelis affecta, quanto prae omnibus creaturis hereditavit ut obtineret dignae Matris nomen.*

[1] 3 Reg., II, 19. — [2] In serm. de Assumpt., c. 6, App. Opp. S. August., t. VI, col. 252. — [3] 3, Quaest. XXV, art. 5, ad 1[m]. — [4] In 3 Sent., Dist. IX, art. 1, q. 3, resp. T. III, p. 206. — [5] Sup. 1 Regum, C. VII. — [6] Serm. XIII de B. M. V., a. 1, c. 4, ed. cit., t. IV, pp. 133, 134. — [7] Hebr., I, 3, 4.

29. — Scholion. Attamen perperam exinde alicui concludendum videretur, omnibus Christi consanguineis pariter deberi cultum hyperduliae, qualis Beatae Virgini tribuitur; nam, ut advertit Cardinalis Caietanus [1], hyperdulia quam sanctus Thomas Beatae Virgini tribuit, huic soli inter omnes Christi consanguineos debetur, eo quod ipsa sola fines deitatis propria operatione naturali attigit, dum Deum concepit, peperit, genuit, et lacte proprio pavit. Quinimmo, ex affinibus Deiparae quidam forte sunt damnati, de quibus scriptum est quod non credebant in Christum, unde soli Beatae Virgini ex consanguineis Christi, debetur cultus supradictus.

30. — Corollaria. — Ex doctrina exposita sequitur, eodem cultu hyperduliae, quo colitur Beata Virgo, coli debere eius *nomen, imagines*, necnon *reliquias.*

I. – Revera cum *nomina* sint signa intellectuum, intellectus autem sint rerum similitudines, hinc nomina ad ipsas personas significandas referuntur mediante conceptione intellectus [2], et ita in esse significativo nomen est idem ac persona ipsa significata. Ergo qui honor aut cultus tribuitur Nomini Mariae, sponte sua refertur ad ipsammet Beatissimam Virginem; unde S. Bonaventura scribit [3]: *Quoniam* (Maria) *excellentissimum nomen habet, ita quod excellentius purae creaturae convenire non potest, ideo non tantum debetur ei honor duliae, sed hyperduliae: hoc autem Nomen est, quod Virgo existens, Dei Mater est; quod quidem tantae dignitatis est, quod non solum viatores, sed etiam comprehensores, non solum homines, verum etiam angeli, eam revereantur quadam praerogativa speciali.* Nec minus eloquenter doctissimus Raymundus Iordanus, qui et Idiota dicitur, Beatam Virginem alloquens, ait [4]: *Dedit enim tibi tota supersancta Trinitas nomen quod, post nomen superbenedicti Filii tui, est nomen super omne nomen.*

Confirmatur autem legitimitas cultus sanctissimo Ma-

[1] In 2 2ae, Quaest. CIII, art. 4, ad 2m. — [2] 1. Quaest. XIII, art. 1. — [3] 3 Sent., Dist. IX, art. 1, q. 3, resp., T. III, p. 206. — [4] Piae Lect., seu De Contempl. B. V., c. 5. Migne, Summa Aurea, t. IV.

riae Nomini praestiti, ex mirabilibus effectibus quos illud devote ac fiducialiter invocantes passim experiuntur, ut superius innuimus [1]. Quanta vero fuerit in populis persuasio de efficaci huiusmodi invocationis virtute, diserte testatur Alighierius, dum fingit Buonconte di Montefeltro sui obitus vices poetae enarrantem, ac suam salutem aeternam invocationi Nominis Mariae adscribentem [2]:

Quivi perdei la vista, e la parola
Nel nome di Maria finì, e quivi
Caddi, e rimase la mia carne sola.
Io dirò 'l vero, e tu 'l ridi 'tra i vivi:
L'Angel di Dio mi prese, e quel d'Inferno
Gridava: O tu dal Ciel perchè mi privi?
Tu te ne porti di costui l'eterno
Per una lagrimetta che 'l mi toglie [3]...

Porro huius benedicti Nominis festum in Ecclesia universa celebrari iussit Innocentius XI ob insignem victoriam, sub gloriosae Dei Matris praesidio, de immani Turcarum tyranno, Viennae in Austriae partam, adsignata die Dominica infra octavam Nativitatis eiusdem Beatae Mariae Virginis, sub ritu duplicis maioris [4]; ex quo etiam argui potest, hyperduliae cultum, a dulia sancris debita distinctum, huic Nomini propter tantae Virginis excellentiam, ex mente Ecclesiae, decernendum esse.

II. — Praeterea, quod *imagines* Beatae Virginis sint cultu hyperduliae colendae, ex eodem principio deduci facile potest, nempe quia imago idem est in esse repraesentativo cum prototypo. Ad cuius rei evidentiam, recolendum ex Angelico venit [5], duplicem esse motum animae in ima-

[1] P. I, C. I, art. 2, n. 21. — [2] Purg., cant. V, v. 100, seq. — [3] Ex hoc poetico excursu, tria in rem nostram deduci possunt: primo, magnam viguisse media aetate in populo christiano fiduciam ac devotionem in sanctissimum Mariae Nomen; secundo, hanc non minus penes nobiles et doctos, ac penes rudes et simplices viguisse; tertio, eamdem in populi mente haud disiunctam fuisse a vera cordis contritione, qua peccata remittuntur. — [4] Nunc autem celebratur die 12 sept. — [5] 3, Quaest. XXV, art. 3.

ginem: unum in imaginem secundum quod est res quaedam, alium in imaginem, in quantum est imago alterius. Et primus quidem motus est alius a motu animae in prototypum; secundus autem motus est unus et idem cum motu qui est prototypum. Igitur imagini, in quantum est res quaedam, puta lignum aut lapis, nulla quidem debetur reverentia, cum reverentia non debeatur nisi rationali creaturae. At imagini, in quantum est formaliter imago alterius, eadem reverentia debetur ac prototypo, et ideo quemadmodum imagines Christi adoramus adoratione latriae, ita imagines Beatae Virginis cultu hyperduliae venereri debemus.

Hac in re, prae oculis sunt habenda verba Hadriani Papae I, quae in Concilio Nicaeno II ex S. Ioanne Chrysostomo recitata sunt [1]:

Ἔνδυμα βασιλικὸν ἐὰν ὑβρίσῃς, οὐχὶ τὸν ἐνδυόμενον αὐτὸν ὑβρίζεις; οὐκ οἶδας, ὅτε ὅστις τῇ εἰκόνι τοῦ βασιλέως ὕβριν προσάγει, πρὸς αὐτὸν τὸν βασιλέα, ἤγουν τὸ πρωτότυπον καὶ τὴν ἀξίαν αὐτοῦ ἐπιφέρει τὴν ὕβριν; οὐκ οἶδας, ὅτι ὅστις τὴν εἰκόνα τὴν ἐκ ξύλου καὶ χρωμάτων λοιδορεῖ, οὐχ ὡς πρὸς ἄψυχον τολμήσας κρίνεται, ἀλλὰ κατὰ τοῦ βασιλέως;

Indumentum imperiale, si contumeliis affeceris, nonne ei qui induitur contumelias irrogas? Nescis quia si quis imagini imperatoris iniuriam infert, ad ipsum imperatorem, id est, ad ipsum principalem et ad eius dignitatem refert iniuriam? Nescis quod si quis imagini quae ex ligno et coloribus est, maledicit, non iudicatur veluti si contra inanimatum quiddam praesumptuose se gesserit, sed tamquam is qui contra imperatorem egerit?

Afferenti vero, ad impugnandum cultum imaginum Deiparae, ista verba [2]: *Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem*, responderi cum Angelico potest [3], illo praecepto non vetari ut fiant sculpturae aut similitudines, sed ut fiant ad adorandum; ideoque subditur [4]: *Non adorabis ea, neque coles.* Nam, cum idem motus sit in imaginem et in

[1] Mansi, t. XII, col. 1067, 1868, B. — [2] Exod., XX, 4. — [3] Ibid. ad 1m. — [4] Exod., ibid., 5.

prototypum, aliunde, cum in Veteri Testamento nulla imago Dei fieri potuerit, cum nondum Deus factus fuerat homo, ideo ibi prohibebantur fieri imagines Dei, quales gentiles ad adorandum faciebant. In nova autem Lege imagines Christi, qui Deum in se visibilem reddidit, fiunt ad adorandum; imagines autem Beatae Virginis non ad adorandum latriae cultu, sed ad colendum cultu hyperduliae. Cultus autem quem sacris imaginibus praestamus, longe diversus est a cultu quem suis idolis praestabant gentiles: nam isti adorabant idola ut res quasdam, credentes in eis esse aliquid numinis, propter responsa et alios mirabiles effectus qui in eis fiebant; et insuper imagines fingebant de aliquibus creaturis quas in illis imaginibus latriae cultu prosequebantur [1].

III. — Pari ratione, exteriores quae possidentur Beatae Virginis *reliquiae*, ut vestes et his similia, corpus enim eius totum et integrum in caelum assumptum est, congruo honore dignae existunt, utpote quae ad Deiparam, quae Dei et nostra Mater existit, aliquando pertinuerint. *Si enim*, ut ait S. Augustinus [2], *paterna vestis et annulus, ac si quid huiusmodi, tanto carius est posteris, quanto erga parentes maior affectus*, multo magis ea quae ad Matrem et Mediatricem nostram, dum mortalem vitam ageret, pertinuerunt, digna sunt, ut ab hominibus, quos ipsa filios in dolore genuit, cultu speciali honorentur.

Nec opponant protestantes, veteris Vigilantii calumniarum instauratores, hoc ad idololatriam pertinere; nam, ut advertit S. Hieronymus [3], *nos, non dico martyrum reliquias, sed ne solem quidem et lunam, non angelos, non archangelos... adoramus;... honoramus autem reliquias martyrum, ut eum cuius sunt martyres, adoremus*; et addere possumus: adoramus vel honoramus Matrem Dei, ut honor Matris in Filium redundet.

Ceterum, sicut generaliter cultum sanctarum reliquiarum Deus celeberrimis miraculis comprobavit, quorum plura etiam in Sacra Scripura consignantur, verbi gratia, cum

[1] Thom., l. c., ad 2[m]. — [2] L. I DE CIV. DEI, c. 13, t. X, col. 13. — [3] Ep. CIX (al. LIII) AD RIPARIUM, t. I, col. 726.

Elisei cadaver vitam mortuo restituit [1], aut mulier per tactum vestimenti Christi a profluvio sanguinis liberata est [2], aut umbra Petri infirmos sanavit [3], etc.; ita specialiter infinitis prope gratiis prodigiisque, saeculorum cursu, Deus ipse testatus est, quam sibi gratus evaderet honor exterioribus Beatae Virginis reliquiis exhibitus.

31. — Conclusio. — Quae cum ita de gloriosissima Dei Genitrice et dulcissima nostra Matre probe constiterint, mirandum non est, si in illius honorem Ecclesia festa per universum orbem celebranda instituerit: siquidem, ut testatur Angelicus Doctor [4], *festo neomeniae succedit festum Beatae Virginis, in qua primo apparuit illuminatio solis, id est, Christi, per copiam gratiae.* — (Beatae Virgini), concludit Doctor Seraphicus [5], *nullus nimis potest esse devotus... Et ideo mirandum non est, si Spiritus Sanctus inhabitans in cordibus fidelium, devotionem ipsorum magis erga Virginem inflammat quam erga alios Sanctos et Sanctas. Hac etiam de causa quotidie de Virgine gloriosa facimus officium speciale iuxta ordinem Romanae Ecclesiae, licet pro beato Petro, Apostolorum principe, solummodo ter in anno faciamus officium. Quacumque igitur hora, quacumque die aliquis fidelium cum totis praecordiis et visceribus honoret Virginem, increpandus non est pertinaciter, ne ipsius Virginis animadversio incurratur, quae auxiliatrix et amatrix est omnium fidelium suorum laudatorum, sicut illi qui tales sunt, experimento multiplici cognoverunt.*

Quod autem iidem extiterint devotionis sensus etiam in fidelibus qui per orientales plagas disseminati sunt, diserte testatur Gregorius III, Armenorum Patriarcha, dum gloriosam Deiparam ita fidenti animo supplex compellat: *Virgo Maria, iubilans, laetitia naturae nostrae contristatae, quae salutifero nuntio accepto, illum in te gestati, qui talis salutationis modum ipse edocuerat, apud eumdem semper intercede pro animabus nostris* [6].

[1] 4 Reg., XIII, 21. — [2] Marc., V, 25-29. — [3] Act., V, 15. — [4] 1 2ae. Quaest. CIII, art. 3, ad 4m. — [5] L. III, Sent., Dist. III, p. I, art. 1, quaest. 1, ad 4um t. III, p. 64. — [6] Ex Op. Laudes et Hymni ad SS. Mariae Virginis honorem, pp. 16-17. Venetiis, in sancti Lazari insula, 1877.

APPENDIX I.

Bibliographia marialis.

1. — Quanta unquam fuerit de gloriosa Deipara hominum existimatio, apparet ex innumeris libris atque opusculis quae de illa, temporum decursu, prodierunt, quorum aliqualem catalogum reperire est apud Ulysse Chevalier, in opere *Répertoire des Sources historiques du Moyen Age* [1].

Multum tamen abest quin huiusmodi, nomenclatura, etsi aliunde commendabilis, illas omnes operum indicationes contineat, quae de Deipara unquam prodiere, cum nec omnium europaeorum auctorum elucubrationes, ut nihil de extraneis, maxime orientalibus, eloquar, in ea reperiantur, et multi, qui vel notis latina, italica, gallica, germanica vel hispanica linguis egregie scriptitarint, penitus omittantur. At certe res esset humeris humanis superiorem, omnia huiusmodi scripta, quorum potiora in huius operis decursu citavimus, undequaque velle colligere, adeo Nazarethana Virgo laudibus, saeculorum decursu, elata est.

Huiusmodi autem scriptorum, Deiparae laudes referentium, ut nihil dicamus de innumeris opusculis, vario stylo, variis idiomatibus, varia methodo confectis, nonnulla ad pietatem confovendam praecipue sunt ordinata; alia vero de illius mysteriis, virtutibus vitaque, elaborata ratione, pertractant: quibus omnibus apparet quanta existimatione, affectu et veneratione homines, quos sub Cruce Nati ad vitam gratiae genuit, illam sint prosecuti. Nec silendum, non soluta tantum oratione, sed versibus quoque, et quidem elegantissimis, scriptores, vel a catholica religione alienos, claris eam laudibus efferre et celebrare conatos nullo non tempore fuisse.

[1] Bio-Bibliographie, art. Marie. 6e Fasc., p. 3039. Paris, 1905.

2. — Scire tamen sedulum Mariae cultorem oportet, illum ex magno horum scriptorum viridario, apis instar, eâ seligere debere, quae sacrae theologiae principiis propius innituntur, illa devitata intempestiva prurigine, de Maria omnia, etsi nova et insolita, praedicandi, aut peregrinis quibusvis opinionibus, quae de ea circumferuntur, adhaerendi: quibus plures, irrationabili obsequio distracti, ab hac tam salubri devotione, in suarum animarum perniciem, arcentur.

Profecto haud levis res est de Matris Dei dignitate, gratia et privilegiis, congruam instituere tractationem. Cum enim Maria, propter divinam maternitatem, ad Trinitatis solium quodammodo pertingat, omnes perfectiones, quas sive in ordine naturae, sive in ordine gratiae et gloriae, Deus profuderit, mirabili consensione, in se adunat, ita ut operum Dei ad extra nobile compendium, post Christum, dici possit. Et hoc quidem opus, hic quoque labor: ut de tanta creatura nil nisi dignum, nil nisi solidis theologiae principiis innixum proferatur, ne videlicet error circa Beatae Virginis dotes, in fidei, cuius summa in illa reposita est, discrimen cedat. Quo faciunt verba Angelici Doctoris, vetantis ne quis dogmata nostra insufficientibus rationibus demonstrare praetentet, *ne forte aliquis quod fidei est demonstrare praesumens, rationes non necessarias inducat, quae praebeant materiam irridendi infidelibus, existimantibus nos propter huiusmodi rationes credere quae fidei sunt* [1].

3. — At hoc praecise vitium, in iis, quae ad Deiparam pertinent, pertractandis, saepius nos animo crevisse fatemur: ea videlicet absque examine passim admitti, quae Dei Matrem prima fronte extollere videantur, etsi peregrina sint et forsan quoque rationi pugnantia: qua profecto agendi ratione sublimia ac tam nobilia fidei nostrae dogmata haud raro ab extraneis irrisioni habentur.

Quem in locum quadrant aurea Card. Caietani verba, ubi praecise de Virginis gratia sermonem inserens, ait [2]: *Hic nota contra loquaces et gratiam Beatae Virginis extendentes ad omnes effectus gratiae, quasi Matris Dei laus indigeat nostris pro voluntate, non ratione, laudibus, sub quadam pietatis*

[1] 1, Quaest. XLVI, art. 2. — [2] In 3, Quaest. VII, art. 10.

specie. Siste igitur, vir vere devote ac docte, in laudibus ratione fultis.

Et utique, amore illum vehementi in Deiparam affici oportet, qui de eius gratiis et privilegiis sermonem texere contenderit: at amor iste, ni fide et ratione collustretur, in absurda quaeque proruit, sicut evenisse diuturna historia testatur. Quapropter, cum de Beata Virgine sermo inciderit, nihil tam excludendum esse censemus, quam ut quis hoc solo, quia *de Maria nunquam satis*, dictis dicenda congerat. Tali quippe criterio, cui vaga multa et omnino peregrina a nonnullis scriptoribus saeculorum decimi sexti et septimi prolata debentur, rerum divinarum indagatores in multiplices errores abductos fuisse novimus.

4. — Dicendum igitur, in iis quae respiciunt Deiparae perfectiones, sicut etiam in omnibus Dei operibus, non exclusa ipsa Domini Nostri Iesu Christi sacrosancta humanitate, attendendum esse fixum et determinatum modum, ex fine ad quem res ordinatur, commensuratum: qui finis, a divina Sapientia praefixus, est ratio omnium eorum quae ad rem illam quoquo modo pertinent. Quapropter, cum quis in Deiparae privilegia investiganda incubuerit, non a priori quid de illis tenendum sit decernat, sed attento fine, propter quem a Deo constituta sunt: ut prius ratio investigetur propter quam istis perfectionibus Maria a Deo fuerit donata, qua habita, utique exaggerentur, quantum fas sit, huiusmodi perfectiones: quod et de Christo Domino proportionaliter dicendum est.

At si quis investigandis rebus theologicis de Christo et eius Matre Maria, hoc proprie criterio sese duci voluerit, quod de istis sanctissimis personis, quas toto nos amore prosequi oportet, nunquam sufficientia dici possunt, ei similis dicendus erit, qui navi sine gubernaculo, immenso semet oceano, commiserit, cui miserandum naufragium certissime imminet.

5. — Ceterum, quod haec proprie sit ratiocinandi methodus quam theologum, in investigandis Deiparae privilegiis, sequi oporteat, et verbis et re ipsa docet Doctor Angelicus qui, de Deipara loquens, ait [1]: (Maria) *habebat gratiam*

[1] 3, Quaest. VII, art. 10, ad 1[m].

sufficientem ad statum illum ad quem erat electa a Deo, ut esset scilicet Mater Unigeniti eius; similiter loquens de Domino Nostro, ait [1]: *Unioni* (hypostaticae) *sufficienter correspondet talis mensura gratiae, secundum definitionem divinae sapientiae.*

Quae cum ita sint, cultorem rerum ad Deiparam pertinentium de duobus monendum esse censemus: primo, inter marianos scriptores discrimen esse faciendum, ne eodem censu merito dispares, cum theologicae veritatis detrimento inducantur; secundo, a peregrinis sententiis esse omnino cavendum. Quocirca, tesserae instar erunt haec verba Seraphici Doctoris [2]: *Sufficiunt Virgini aliae dignitates, quas sibi Filius communicavit et dedit, in quibus excellit omnes humanas laudes et devotiones; et ideo non oportet novos honores fingere ad honorem Virginis, quae non indiget nostro mendacio, quae tantum plena est veritate* [3].

[1] Ibid., art. 12, ad 2[m]. — [2] 3, Dist. III. P. I, art. 1, Quaest. II. ad 3[m]. — [3] Utiliter et cum delectatione legi potest op. *Essais sur les aspects divers et les richesses de la Mariologie, par le* R. P. Augustin M. Lépicier, O. S. M.

APPENDIX II.

De Nomine Maria.

Cum supra [1] ageremus de significatione sanctissimi Nominis Mariae, sententiam protulimus probabilius videri illud ex radice מָרַר, quod est *rebellem fuit*, derivari. Placet nunc, aliis minus probabilibus etymologiis prius exsufflatis, in idem argumentum fusius reverti.

1. — Nomen מִרְיָם fuit nomen sororis Moysis, de qua legitur [2] quod praesideret mulieribus israelitis in cantando laudes Domino, post transitum Maris Rubri. De eadem narratur [3] quomodo, una cum fratre Aaron, auctoritati Moysis obsisteret et lepra propterea puniretur, a qua, eiusdem Moysis intercessione, liberata est. De eadem quoque Maria mentionem facit Michaeas, quando, populo Israel suam ingratitudinem, in nomine Domini, exprobavit, his verbis [4]: *Quia eduxi te de terra Aegypti, et de domo servientium liberavi te, et misi ante faciem tuam, Moysen, et Aaron, et Mariam?*

Altera Maria in Veteri Testamento recensetur, scilicet, in primo libro Paralipomenon [5], ubi, enumeratis Iudae descendentibus, dicitur: *Et filii Ezra: Iether, et Mered, et Epher, et Ialon; genuitque Mariam, et Sammai, et Iesba, patrem Esthamo.*

In Novo Testamento autem, praeter Beatissimam Virginem, aliae Mariae, ut notum est, memorantur: scilicet, Maria Magdalena [6], Maria, mater Iacobi minoris et Ioseph, uxor Cleophae [7]; Maria, soror Lazari et Marthae [8]; Maria, mater Ioannis Marci [9]; et alia Maria, cuius meminit S. Paulus [10].

2. — Huius nominis etymologia a S. Ambrosio assignata, *Deus ex genere meo*, solido caret fundamento. Etenim, sic,

[1] P. I, C. I, Art. 2, n. 23, p. 29. — [2] Exod., XV, 20. 21. — [3] Num., XII. — [4] VI, 4. — [5] IV, 17. — [6] Matth., XXVII, 56. — [7] Ibid. — [8] Luc., X, 39. Hanc tamen esse ipsam Mariam Magdalenam, alibi docuimus, sc. in Diatessaron, Sect. LXXX, Quaest. III, Vol I, p. 468. — [9] Act., XII, 12. — [10] Rom., XVI, 6.

nomen מִרְיָם componeretur ex verbo הָרָה, *concipere*, et ex nomine Dei tetragrammaton יהוה: at, ex priori voce invenimus tantummodo radicalem litteram ר; et ex secunda, solam י, dum nomen מִרְיָם, praeter has duas litteras, duo מ comprehendit, quae nec ex uno, nec ex altero duorum elementorum, ex quibus hoc nomen coalesceret, derivarentur.

3. — Acceptabilior, proculdubio est opinio S. Hieronymi, qui in studio linguae hebraicae multum desudaverat, iuxta quem nomen hoc significat *mare amarum*: aliunde certum est nomen מַר, ex radice מָרַר, *amarum esse*, significare *amarum*, *amaritudinem*; יָם vero significat *mare*.

4. — Quod attinet ad S. Ioannis Damasceni, S. Epiphanii et Ven. Bedae opinionem, iuxta quam nomen מִרְיָם componitur ex מָרָא et יָם et significat *dominam maris*, dicendum eam non posse sustineri. Primo quidem, in מִרְיָם, deest omnino littera א, quae est tertia radicalis illius nominis, quod esse deberet primum elementum compositionis. Secundo, hoc מָרָא significat utique *dominum*: unde in Daniele habemus [1]: מָרֵא מַלְכִין, *dominum regum*, et [2]: מָרֵא שְׁמַיָּא, *dominum caelorum*: at nomen est aramaicum, nec videtur posse introduci elementum aramaicum in nomine aliquo, quod iam in usu erat tempore Moysis, quando scilicet Hebraei nullam linguae aramaicae notionem habebant. — Revera, aramaicum idioma, quod ante suam in Palaestinam migrationem, Abraham adhibuerat, ipsemet necessario deposuerat, mox ac in hanc regionem advenit, ubi lingua chananaea vel phoenicia uti debuit; aliunde aramaicum palaestinense ab Hebraeis non prius coepit adhiberi, quam cum a captivitate babylonica reverterentur. Utique, in Novo Testamento, modi dicendi aramaici inveniri possunt, ut in hoc S. Pauli [3]: μαράν ἀθά, *dominus noster venit*; at frustra quaererentur Moysis tempore nomina aramaica in lingua Hebraeorum. Ceterum, radix illa hebraice aliam habet significationem: significat enim *bene nutritum esse*, *pinguem esse*, uti deduci potest, si attendatur non ad verbum מָרָא, quod est inusitatum, sed ad eius derivata, quae sunt adiectivum מָרִיא, quod significat *pinguem*, *impinguatum*, et interdum vim habet

[1] II, 47. — [2] V, 23. — [3] 1 Cor., XVI, 22.

substantivi et significat *vitulum saginatum*, τὸν μόσχον τὸν σιτευτόν, et substantivum מְרִיאָה, quod significat *guttur volatilium*.

5. — Pariter, accipi nequit alia interpretatio etymologica a S. Bernardo proposita, *stella maris*, ex מָאוֹר יָם, quia ex tribus radicibus prioris elementi, אור (littera מ non est radicalis), una sola, tertia, apparet in nomine מְרִים. Debet ulterius notari, quod מָאוֹר non significat *stellam*, quae hebraice dicitur כוֹכָב: מָאוֹר autem significat *lumen*. In Psalmo nonagesimo legitur [1]: עֲלֻמֵנוּ לִמְאוֹר פָּנֶיךָ ...שַׁתָּ: *ponis occulta nostra* (peccata) *in lumine vultus tui*; et in Proverbiis [2]: מְאוֹר־עֵינַיִם יְשַׂמַּח־לֵב, *lumen oculorum laetificat animum*. Quod si interdum vox haec inducitur ad significanda corpora caelestia, tunc per eam denotantur duo corpora apparenter maiora, sol et luna, non autem stellae, sic [3]: *Fecitque Deus duo luminaria*, הַמְּאֹרֹת, *magna: luminare*, הַגָּדֹל, *maius, ut praeesset diei, et luminare* הַמָּאֹר, *minus, ut praeesset nocti, et stellas* הַכּוֹכָבִים.

6. — Eruditis in linguis orientalibus magis arridet ut dicatur nomen מְרִים, vel secundum Targumim מְרִיָם, derivatum a verbo מָרָה, antiquitus מָרַי, *contumacem esse, rebellem esse*. Hinc compositum minime est nomen istud, sed littera י est tertia radicalis: notum est autem, in verbis, quae ultimam ה habent, litteram hanc non esse radicalem, sed simplex signum orthographicum, repraesentans tertiam radicalem lapsam, quae erat vel י vel ו. — Quod autem מָרָה pro ultima radicali haberet י, probatur ex suo correspondenti arabico, quod est مرى, vel ex nomine derivato hebraico, מְרִי, *rebellio, vindicatio*, praeter aliquot nomina hebraica propria, ab hac radice derivata, quae, sicut nomen praesens, antiquam י conservant. Ultima sillaba ם repraesentaret terminationem, qua mediante, nomen ex radice formatum est. Terminatio haec ם sat frequens est in adverbiis hebraicis: אָמְנָם, vel אָמְנָם, *vere*, ex אֱמֶת, *veritas*; חִנָּם, *gratuito*, ex חֵן, *gratia*; רֵיקָם, *inutiliter*, ex רִיק, *vacuum, vanum*; יוֹמָם, *diurno tempore*, ex יוֹם, *dies*. Attamen, huiusmodi terminatio interdum adhibetur

[1] Vers. 8. — [2] XV, 30. — [3] Gen., I, 16.

etiam in formatione nominum, ut in אוּלָם, *vestibulum. porticus;* ex radice אול; in כָּנָם. *culex.* ex radice כָּנַי; in סֻלָּם, *scala.* ex radice סָלַל. Quod autem, in nomine de quo agimus, syllaba finalis ם־ sit simplex terminatio addita syllabis radicalibus, posset forsan deduci, vel ex hoc quod talis terminatio, in Novo Testamento, saepe praetermittitur, et hoc quidem, pro eadem persona. Sic, Beatissima Virgo, si saepe quidem ab hagiographis vocatur Μαριάμ [1], interdum dicitur, in genitivo casu, Μαρίας, tanquam ex nominativo Μαρία [2], et etiam, saltem secundum aliquas lectiones, in nominativo Μαρία [3]: ex quo coniici posset ambas formas in usu fuisse pro eodem nomine, aut saltem ultimam syllabam praetermissam fuisse, quasi non aliud repraesentet, nisi simplicem terminationem.

7. — Demum, notabitur probabilem non esse opinionem a Gesenio, in lexico hebraico, expressam, quam ipsemet deseruit, cum scripsit *Thesaurum*, scilicet, terminationem ם־, in מֹרֵיהֶם, esse suffixum pronominale tertiae personae pluralis masculinae, ita ut nomen illud interpretari debeat, *contumacia illorum* [4].

[1] Matth., XIII, 55; Luc., I, 27, 30, 34, 38, 39, 46, 56; II, 5. — [2] Matth., I, 16, 18; II, 11; Marc., VI, 3; Luc., I, 41. — [3] Luc., II, 19. — [4] Thes. linguae hebr., p. 819. — Plura hac de re utiliter leget sedulus Deiparae Nominis indagator in egregio opere R. P. Ioseph M. Roberti. Ord. Min., *L'Onomatologia del Divin Redentore* in Nuovo Testamento. con App. sul Nome della Vergine Madre di Dio. Roma. 1900, pp. 369, seq.

APPENDIX III.

Litaniae Peruvianae.

Utile ducimus hic referre sequentes B. Virginis litanias, quas olim fertur Paulus V pro peruvianae regionis ecclesiis approbasse; quae privatim quidem recitari possunt, in publici tamen cultus caeremoniis adhiberi haudquaquam debent.

Ave, Maria . ora pro nobis
Ave, Filia Dei Patris . ora
Ave, Mater Dei Filii. . »
Ave, Sponsa Spiritus Sancti . . . . . »
Ave, Templum Trinitatis »
Sancta Maria . . . . »
Sancta Dei Genitrix. . »
Sancta Virgo virginum. »
Sancta Mater Christi . »
Quem tu peperisti. . . »
Mater purissima . . . »
Mater castissima . . . »
Mater inviolata. . . . »
Mater intemerata . . . »
Mater caritatis . . . . »
Mater veritatis . . . . »
Mater amabilis . . . . »
Mater admirabilis . . . »
Mater divinae gratiae . »
Mater sanctae spei . . »
Mater dilectionis . . . »
Mater pulcritudinis . . »
Mater viventium . . . »
Filia Patris hominum . »
Virgo fidelis . . . . . »
Dulcior favo mellis . . ora
Virgo prudentissima . . »
Virgo clementissima . . »
Virgo singularis . . . »
Stella maris . . . . . »
Virgo sancta. . . . . »
Fructifera planta . . . »
Virgo speciosa . . . . »
Pulcra velut rosa . . . »
Speculum iustitiae . . »
Causa nostrae laetitiae. »
Gloria Hierusalem. . . »
Altare thymiamatis . . »
Civitas Dei . . . . . »
Luminare caeli . . . . »
Vas spirituale . . . . »
Vas honorabile . . . . »
Vas insigne devotionis . »
Thronus Salomonis . . »
Favus Samsonis . . . »
Vellus Gedeonis . . . »
Pulcra ut luna . . . . »
Inter omnes una . . . »
Ut sol electa. . . . . »
Deo dilecta . . . . . »
Stella matutina. . . . »

Aegris medicina . . . ora
Caelorum regina . . . »
Rosa sine spina. . . . »
Rutilans aurora. . . . »
Valde decora . . . . »
Lux meridiana . . . . »
Flos virginitatis . . . »
Lilium castitatis . . . »
Rosa puritatis . . . . »
Vena sanctitatis . . . »
Cedrus fragrans . . . »
Myrrha conservans . . »
Balsamum distillans . . »
Terebinthus gloriae . . »
Palma virens gratiae . »
Virgo florens. . . . . »
Gemma refulgens . . . »
Oliva speciosa . . . . »
Columba formosa . . . »
Vitis fructificans . . . »
Navis abundans. . . . »
Navis institoris. . . . »
Mater Redemptoris . . »
Hortus conclusus . . . »

Rubus incombustus . . ora
Gloria saeculi . . . . »
Nutrix parvuli . . . . »
Radix gratiarum . . . »
Levamen molestiarum . »
Putee viventium aquarum . . . . . »
Mater orphanorum . . »
Auxilium christianorum »
Salus infirmorum . . . »
Refugium peccatorum . »
Consolatrix afflictorum . »
Mater pia minorum . . »
Regina angelorum. . . »
Regina seraphim . . . »
Regina cherubim . . . »
Regina patriarcharum . »
Regina prophetarum. . »
Regina apostolorum . . »
Regina martyrum . . . »
Regina confessorum . . »
Regina virginum . . . »
Regina sanctorum omnium . . . . . »

Ab omni malo et peccato . . . . . libera nos Domine
A cunctis periculis. . . . . » » »
Nunc et in hora mortis nostrae . . . » » »
Per immaculatam Conceptionem tuam . » » »
Per sancta nativitatem tuam . . . . » » »
Per praesentationem tuam. . . . . » » »
Per caelestem vitam tuam. . . . . » » »
Per admirabilem annuntiationem tuam. » » »
Per visitationem tuam . . . . . » » »
Per felicem partum tuum . . . . . » » »
Per purificationem tuam . . . . . » » »
Per dolorem de Christi passione . . . » » »
Per gaudium de illius resurrectione . . » » »
Per gloriosam assumptionem tuam . . » » »
Per coronationem tuam. . . . . » » »

Peccatores	te rogamus,	audi	nos
Ut illos tuos misericordes oculos ad nos convertere digneris	»	»	»
Ut veram poenitentiam nobis impetrare digneris	»	»	»
Ut cuncto populo christiano pacem et salutem impetrare digneris . .	»	»	»
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris .	»	»	»
Ut nos exaudire digneris.	»	»	»
Mater Dei	»	»	»
Genitrix Dei	»	»	»
Ave de caelis alma	succurre nobis, Domina		
Ave de caelis pia	fer opem nobis, Domina		
Ave de caelis dulcis	intercede pro nobis, Domina		

Antiphona.

Recordare, Virgo mater, dum steteris in conspectu Filii tui, ut loquaris pro nobis bona, et ut avertas indignationem suam a nobis.

℣ Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟ Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Preces nostras, quaesumus, Domine, apud tuam sanctissimam clementiam Dei Genitricis semperque Virginis Mariae commendet oratio, quam idcirco de praesenti saeculo transtulisti ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat. Per Christum Dominum nostrum. Amen [1].

[1] Alios Deiparae titulos a Patribus vel scriptoribus ecclesiasticis passim usurpatos reperire est in laudato op. P. IOSEPH M. ROBERTI. pp. 386, seq.

EPILOGUS.

Et haec scripsisse mihi periucundum fuit, quem ad sui servitium gloriosa Virgo iamdiu vocare dignata est, maternaeque benevolentiae signis iterato cumulare; quanquam illi veniam postulare cogor, tum quod rem viribus adeo superiorem aggredi ausus sim, tum quod Virginis tam excelsae privilegia dotesque adeo imperfecte tractaverim. Impulit autem amor, vires computare nescius, fervensque desiderium illius cultum ac gloriam adaugendi: spe haud exigua animum erigente fore ut, quae incomparabili sua pulcritudine opus illud inspiraverat, virtutem quoque perficiendi adiiceret; et quae vita, dulcedo et spes nostra existit, materne nos ad regnum Christi et Dei perduceret: siquidem ista gloriosa Virgo *lignum vitae est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam, beatus* [1].

Desinam praeclaris verbis B. Grignion de Montfort [2]: *J'ai déjà dit beaucoup de choses de la très Sainte Vierge: mais j'en ai encore plus à dire, et j'en omettrai encore infinement plus, soit par ignorance, insuffisance, soit par défaut de temps, dans le dessein que j'ai de former un vrai dévot de Marie et un vrai disciple de Jésus-Christ.*

Oh! que ma peine serait bien employée, si ce petit écrit, tombant entre les mains d'une âme bien née, née de Dieu et de Marie, et non du sang, ni de la volonté de l'homme, lui découvrait et inspirait, par la grâce du Saint-Esprit, l'excellence et le prix de la vraie et solide dévotion à la très sainte Vierge!

[1] Prov., III, 18. — [2] Traité de la vraie dévotion, etc., p. 80.

LAUS DEO ET DEIPARAE.

Il dì s'appressa, e non pote esser lunge;
Sì corre il tempo, e vola,
Vergine unica e sola;
E 'l cor or conscienza, or morte punge.
Raccomandami al tuo Figliuol, verace
Uomo, e verace Dio;
Ch'accolga 'l mio spirto ultimo in pace [1].

[1] Franc. Petrarca, Canzone VIII, Chiusa.

TRACTATUS

DE

BEATISSIMA VIRGINE MARIA MATRE DEI

INDEX ANALYTICUS

ORDINE ALPHABETICO DIGESTUS

A

ABEL, figura Christi Maria spectante interempti, 257.
ABIGAIL, figura Mariae, 37, 475, 553.
ABRAHAM, 409, 496, 499, 517.
ABSTRACTIO a sensibus, duplex, 370.
ACHAZ, rex Iudae, 384.
ACTIONES, sunt suppositorum, 246; humanae, undenam meriti rationem accipiant, 262.
ADAM, ex limo terrae productus, 11; ipsi praenuntiata fuit Maria, 34; costa Adae, figura Mariae, 38; non est pater Evae, 67; ad ordinem divinum ratione originis quodammodo pertinet, 98; movet omnes posteros motione generationis, 126; ipsi non est adscribenda Beatae Virginis praeservatio a peccato originali, 134; coniux ex ipso sine detrimento formata, 170; Evam sociam habuit in ruina, 172; quomodo peccavit, secundum Rosminium, 173; ex eius substantia Christus fuit procreatus, 175; non fuit in bono confirmatus, 208; ante lapsum, deceptioni non obnoxius, 208, 299; neque concupiscentiae, 229, 437; consensit gratiae in primo instanti, 221; perfecte fuit praeparatus ad gratiam, 223; in iustitia originali conditus, 253; habuit virtutem poenitentiae, 276; non vidit in vita divinam essen-

tiam, 283; nec angelos per essentiam, 289; habuit scientiam infusam per accidens, 290; aliter tamen ac Beata Virgo, 291, 296; in statu innocentiae potuit tentari, 299; eius corpus fuit a Deo formatum, 321; innocens, nec pati nec mori debebat, 350, 353, 357; propter peccatum mortalis factus, 356, 359; in eo omnes peccaverunt, 359.

ADAMUS A S. VICTORE, circa fomitis carentiam in Beata Virgine, 203; Mariam adiutricem invocat, 379; eam mediatricem nominat, 475.

ADIUTUS, P., O. F. M., 166.

ADOPTATIO in filium Dei, per Spiritum Sanctum completur, 112; quid sit, 431, 456; in passione et morte Christi fuit completa, 456; quomodo accipienda relate ad Mariam, 456.

ADORARE, quotuplici modo sumatur, 555.

ADULTERIUM, quomodo punitum apud Iudaeos, 444.

AEGEAS proconsul, 156.

AEGIDIUS Romanus, eius sententia circa Imm. Conc., 185, 193.

AFFINITAS, propria et impropria, 107; Beatae Virginis cum SS. Trinitate, 108.

AGNUS paschalis, figura SS. Eucharistiae, 476.

ALASIA, P., O. S. M., 162.

ALBERGOTTI, Augustinus, Ep. Aretin, 238, 302, 347.

ALBERTUS MANUS, B., circa praedestinationem Mariae, 19; eius devotio in Imm. Conc., 156; circa epistolam S. Bernardi ad Can. Lugdunen., 182; eius sententia de Imm. Conc., 185, 193; circa fomitem in Beata Virgine, 197; quantitatem gratiae Mariae in Incarnatione, 237; dicit Mariam suscepisse Extremam Unctionem, 241; circa fidem Mariae, 269; gratias gratis datas in Maria, 279; scientiam Mariae, 296; eius nobilitatem, 320; pulcritudinem, 323; dolores, 344; votum virginitatis, 409; liceitatem matrimonii Beatae Virginis cum S. Ioseph, 439; Mariam praedicat hominum matrem, 461; et nostrae salutis cooperatricem, 507.

ALBIGENSES, nuptias condemnabant, 447.

ALEXANDDER IV, 539.

ALEXANDER VII, circa Imm. Conc., 129, 158.

ALEXIUS FALCONERIUS, S., O. S. M., 538.

ALFWINUS Abbas, circa festum Imm. Conc., 161.

ALMAH, huius nominis significatio, 52, 384; falsae interpretationes, 386.

ALOYSIUS GONZAGA, S., virginitatem Deo vovit, 412.

ALPHONSUS LIGORIUS, S., circa quantitatem gratiae Beatae Virginis, 230, 257; augmentum gratiae, 247, devotionem in Beatam Virginem, 525.

ALTARIA, in honorem Beatae Virginis erecta, 560.

AMBROSIUS, S., circa laudem parentibus debitam, 2; Incarnationis veritatem, 13; praedestinationem Mariae, 27; nomina a Deo imposita, 28; Mariae nomen, 29, 30, 585; Christi nomen, 32; Mariae perturbationem, 50, 51, 53, 418; falso ei tribuuntur verba Virginis sanctitati detrahentia, 54, 351; circa subiectionem Christi relate ad Mariam, 104, 106; Mariae nobilitatem, 123; exultationem S. Ioannis Baptistae, 224; virtutes Mariae, 239, 266, 267; Mariae poenitentiam, 276; S. Ioannis Baptistae virtutes, 278; ait Mariam primam vidisse resurrectionem Christi, 284, circa Deiparae scientiam, 295; eius dolores, 342, 343; constantiam in patiendo, 348; mortem, 367; eius virginitatem, 381, 400, 411; virgineum partum, 391, 397, 419; votum Iephte, 409; matrimonium Beatae Virginis cum S. Ioseph, 426; rationes exponit ob quas Christus ex nupta muliere nasci debuerit, 441, 442, 444, 445, 446; circa testamentum Christi in Cruce, 458; Mariam hominum Matrem dicit, 461; circa filiationem spiritualem, 466.

AMBROSIUS CATARINUS, eius in Imm. Conc. devotio, 165.

AMEDEUS DE AMEDEIS, S., O. S. M., 538.

AMEDEUS LAUSANENSIS, B., de Mariae nomine, 30; circa somnia Deiparae, 299.

AMOR, divinus, exstasim facit, 368; Beatae Virginis in Deum, non fuit inordinatus, 369.

ANALOGIA inter ordinem naturalem et supernaturalem, 482.

ANATOLIUS, circa Imm. Conc., 152.

ANDREAS APOSTOLUS, S., quaedam ei tribuuntur circa Imm. Conc., 156.

ANDREAS CRETENSIS, S., circa Imm. Conc., 150, 153; Mariam vocat reconciliationem, 474; circa meritum Mariae, 490.

ANGELUS, divinae maternitatis nuntius, 11, 260, 466; divina hominibus defert, 46; Mariam potuit edocere, 47, 292; primus salutis nuntius, 47; virginitatem habet cognatam, 47, 309; Incarnationem naturaliter cognoscere non potuit, 48; per essentiam a nobis videri nequit, 48; gratiae primae consensit, 221; hominem potest illuminare, 226, 292; in iustitia originali fuit conditus, 234; scientiam inditam connaturalem habet, 282; corpus assumere potest, 293; Mariam coniugem appellavit, 423; mediator est ad Christum, 483; minister est et servus Mariae, sicut Christi, 536, 537, 550; quomodo Beatam Virginem honoravit, 552.

— CUSTOS, quibusdam sanctis visibiliter ostensus, 293; unicuique hominum datur a nativitate, 327; ipsi Beatae Virgini datus est, non autem Christo, 327.

ANGELIA, festum Imm. Conc. ibi celebratum, 161.
ANGLICANI, circa vocem κεχαριτωμένη, 142; impeccabilitatem Beatae Virginis, 204.
ANIMA, rationalis, quandonam corpori infunditur, 73, 130; iusti, sponsa Christi, 111; sola est peccati et gratiae capax, 130; ab omni labe purgata in caelum mox recipitur, 300; damnata, numquam resipiscit, 528; in purgatorio detenta, effectum intercessionis Mariae experitur, 529; quomodo corpus transmutare possit, 545.
ANIMALIA, quomodo homini innocenti subiicerentur, 544.
ANNA, S., Mater B. M. V., 95; laudatur, 153; suae partes in mysterio Immaculatae Conceptionis, 176; non genuit Mariam eo modo quo Maria genuit Christum, 183; Mariam non edocuit, 294; peperit Mariam sine dolore, 226.
ANNA, prophetissa, eius fides, 273.
ANNUNTIATIO, eius convenientia, 44; a quonam peracta, 48; quonam ordine, 49; quomodo turbationem Mariae attulit, 49, 418; maternitas divina inde significata, 76; necnon Imm. Conc., 141; fidem SS. Trinitatis in Maria supponit, 292.
ANSELMUS, S., circa divinam maternitatem, 14; nomina Iesu et Mariae, 31; dignitatem divinae maternitatis, 96; Imm. Conc., 153; gratiam Mariae, 234; eius sanctitatem, 249; ait Christum resurgentem apparuisse Matri suae, 285; constantiam, 348; excellentiam voti, 404; Mariae virginitatem, 411; Mariam matrem nostram appellat, 468; circa intercessionem Mariae, 517.
ANTHOLOGIUM, 150, 151.
ANTIDICOMARIANITAE, 80, 366; circa cultum Deiparae debitum, 548.
ANTONINUS, S., circa praedestinationem Mariae, 26; eius sententia de Imm. Conc., 193; dicit Mariam suscepisse Extremam Unctionem, 241; circa sacerdotii participationem in Mariae, 244; ait Christum resurgentem apparuisse Matri suae, 285; scientiam Deiparae, 296; perfectionem corporalem Mariae, 321, 322; pulcritudinem, 322; constantiam, 248; Mariam vocat Matrem nostram, 462; circa sacrificium Mariae, 499.
ANTONIUS PADUANUS, S., 525.
APOLLINARISTAE, circa corporis Christi formationem, 65.
APOSTOLI, post Pentecostes dono intellectus instructi sunt ad intelligendas Scripturas, 42; quomodo in bono confirmati, 209; confirmationem quomodo receperunt, 441; circa fidem nutarunt, 274; a Maria de mysteriis fidei instructi, 280, 296, 464, 468; Beata Virgine intercedente, Spiritu Sancto sunt repleti, 497, 520.
APPARITIO B. M. V. IMMACULATAE apud Lourdes, 132, 256.
ARCA NOE, figura Mariae, 38, 524; Imm. Conceptionis, 140.

ARCA SANCTIFICATIONIS, figura Imm. Conc., 140; incorruptionis corporalis Deiparae, 300.
ARENDT, Gulielm., S. I., 137.
ARISTOTELES, circa hominem, 28; concept. activam et passivam, 189.
ARMENI, circa concepl. S. Ioannis Bapt., 161; festum Imm. Conc., 161; incorruptionem corporis Deiparae, 374; Mariae assumptionem, 374.
ARNALDI, Dominicus, negavit Deiparam esse mortuam, 362.
ARNOLDUS BONAEVALLENSIS, Abbas B., circa officium Matris in Maria, 457.
ARNOLDUS CARNOTENSIS, circa Mariae sacrificium, 489; dominium Mariae in mundo, 538.
ASCENSIO Christi, 302; testes habuit discipulos, 377.
ASSEMANI, circa festum Imm. Conc., 160.
ASSUMPTIO B. M. V., 299; est idem ac ascensio, 301; est tenenda de fide divino-catholica, 322; festum, 303; fidem nostram in resurrectionem adaugel, 306; quisnam illam testificatus est, 377; ordinata ad virtutem intercessionis in Maria, 523.
ATANAGENSE monasterium, altare ibi B. V. Conceptioni dicatum, 184.
ATHANASIUS S., Mariam vocat reginam, 535.
ATTRIBUTA Dei, in divina maternitate manifestata, 10.
AUCTOR ANONYMUS, circa officium Matris in Maria, 454.
AUCTOR ROSMINIANUS, circa Imm. Conc., 137.
AUGMENTUM, in formis, dupliciter attendilur, 235; in gratia, cadit sub merito de condigno, 238; in animalibus, 246; in caritate, quo modo cadat sub merito, 246; gratiae in Maria, 246.
AUGUSTINUS, S., circa divinam maternitatem, 10, 13, 395; Incarnationis veritatem, 13; satisfactionem, 15; praedestinationem, 18, 20, 24; vaticinia B. V. in veteri Testamento (int. opp.), 36; annuntiationem, 44; Mariae perturbationem (int. opp.), 53, 213; Christi conceptionem ex Virgine, 61; (int. opp.), 83; Mariam appellat formam Dei, 66; haereseon utilitatem, 89; gratiam Beatae Virginis, 93; Mariae perfectiones (int. opp.), 122; liberationem praeservativam, 133; Ieremiae sanctificationem, 141; passiones, 201; Mariae sanctitatem, 205; falso ipsi tribuuntur quaedam Beatae Virginis sanctitati detrahentia, 213; circa Christi responsum ad Matrem suam, *Quid mihi et tibi*, etc., 217; caritatem, 218, 463; gratiam angelorum, 221; S. Ioannis Baptistae exultationem et usum rationis in matris utero, 224; augmentum gratiae, 238, 260; dicit Christum discipulos suos baptizasse, 240; circa dona Spiritus Sancti, 265; deceptionem intellectus, 298; ortum Beatae Virginis ex David, 318; ex genere sacerdotali, 319; perfectionem primi hominis, 322; eiusdem immortalitatem, 353; Christi mortalitatem,

357, 359; corpus glorificatum, 357; mortem Mariae, 363; visionem divinae essentiae, 370; incorruptionem corporis Deiparae (int. opp), 374; universalitatem mortis, 357; Mariae virginitatem, 383, 389, 391, 397; virgineum partum, 391, 393, 397; (int. opp.); 396; explicat quomodo S. Ioseph Christi pater dicitur, 394, 430, 431; cur Christi generatio per S. Ioseph texitur, 394; circa votum virginitatis Mariae, 409, 413; virginitatem in Veteri Lege, 415; eius suppositium testimonium circa votum virginitatis Mariae, 415; circa veritatem matrimonii B. M. V. cum S. Ioseph, 416, 420, 423, 424; modum interpretandi S. Scripturam, 423, 456, 465, 466; iustitiam S. Ioseph, 428; matrimonii bona in Beata Virgine et S. Ioseph, 438; virginitatem voventes, 439; virtutem diaboli, 443; Ecclesiam Christi sponsam vocat., 446; Christi nativitatem dicit miraculum, 447; circa officium Matris in Maria, 454, 456; consensum Ecclesiae, 465; sacrificium, 492, 493, 498; nitercessionem sanctorum, 511, 518; quomodo Beatam Virginem invocat (int. opp.), 516; circa beneficentiam, 521; officium regendi, 535; cultum sanctorum, 555, 557, 612, 613, 622; Ecclesiae traditionem, 607; cultum latriae et duliae, 618; dignitatem Mariae, 626; (int. opp.), 627; reliquias, 632.

AUREOLA, pertinet ad gloriam accidentalem, 307; quid sit, 310; triplex, 310; Christo et Mariae non debetur, 311.

AVITUS, S., 301.

B

BAIUS, eius error de morte Mariae, 158, 366; de pravis motibus, 174; de redemptione, 501.

BALLERINI, Ant., S. I., 145, 182.

BALLERINI, P. A., 351.

BANNEZ, 283.

BAPTISMUS, ianua sacramentorum, 240; a Maria et Apostolis susceptus, 240; Christo incorporat, 240.

BARDENHEWER, 404.

BARONIUS, circa infelicem exitum Nestorii, 88; Patrum traditionem de voto virginitatis Mariae, 408.

BASILICA SS. Annuntiationi Florentiae dicata, 57, 412.

BASILIUS MAGNUS, S., circa Christi subiectionem relate ad parentes, 105; Christi salvificam virtutem, 213; eius dubia in Beatam Virginem verba, 213; circa sensum litteralem in S. Scriptura, 423; rationem cur Christus ex nupta virgine nasci voluerit, 442; conve-

nientiam matrimonii Beatae Virginis, 447; cultum Mariae debitum, 557; eius liturgia, 558; circa cultum imaginum, 570.

BASSI Alexander, O. M., negat Christum resurgentem primo apparuisse Mariae, 284.

BASILIUS SELEUCENSIS, S., circa dolores Mariae, 337.

BEATI, in patria, quomodo sunt filii Mariae, 465.

BEATITUDINES, in Maria, 264, 277.

BEATITUDO, in quonam consistat, 18, 22, 94; Mariae, 108; Christi viatoris, non redundabat in parte inferiores, 336.

BEATRIX DE SYLVA, fundatrix Religiosarum Imm. Conc. B. M. V. in Lusitania, 158.

BEDA, S., de Mariae nomine, 30, 587; circa annuntiationem, 45; divinam maternitatem, 80, 89; Iesu curam de discipulis, 101; compassionem Mariae, 343; appellationem Patris Christi relate ad S. Ioseph, 394; partum virgineum, 397; votum virginitatis in Maria, 408; verba Christi de Cruce ad Matrem, 457; honorem Mariae debitum, 554.

BELLARMINUS, R., Card., 213; circa fidem Ecclesiae in triduo mortis Christi, 273; officium Matris in Maria, 462.

BELLORD, Iacobus, Ep. Milev., circa rationem sacrificii, 495.

BENEDICTUS, S., non vidit in vita divinam Essentiam, 283.

BENEDICTUS XI, B., 539.

BENEDICTUS XIV, circa divinam maternitatem, 78; conceptionem activam et passivam, 130; assumptionem Mariae, 302; eius compassionem, 342; breve tempus quo corpus Mariae iacuit in sepulcro, 374; mortem Mariae et S. Ioannis Apostoli, 376; Mariae votum virginitatis, 405, 413; eius matrimonium, 422, 426; salutationem angelicam, 553.

BENEDICTUS XV ait Mariam, cum Iesu, humanum genus redemisse, 506.

BENEFICENTIA, non aequaliter omnibus praestanda, 521.

BERGAMASCHI, Petrus, circa locum mortis et sepulturae Mariae, 365.

BERNARDINUS DE BUSTIS, circa officium Imm. Conc., 157; dicit Mariam suscepisse Extremam Unctionem, 241.

BERNARDINUS SENENSIS, S., circa dignitatem Mariae, 17; excellentiam dinae maternitatis, 97; Christi subiectionem relate ad Mariam, 105; eius devotio in Imm. Conc., 167; circa passiones in Maria, 201; usum rationis in Beata Virgine in matris utero, 225; gratiae quantitatem Deiparae in Incarnatione, 237; sommum Deiparae, 254; humilitatem Mariae, 270; explicat cur apparitio Christi Matri suae, post resurrectionem, in Scriptura non recenseatur, 286; circa Mariae dolores, 345; eius votum virginitatis, 408; officium Matris in Maria, 454; Christi in Cruce commendationem, 457; intercessionem

Mariae, 517, 519; quomodo S. Ioseph adprecatur, 518; Mariam vocat Dominam, 536, 537, 543; circa honorem Mariae debitum, 533, 574.

BERNARDUS, S., circa laudes Beatae Virginis, 5; divinam maternitatem, 10, 12; praedestinationem Mariae, 28; SS. Mariae nomen,30; figuras et vaticinia B. M. V. in Veteri Testamento, 34, 35; animas iustorum sponsas Christi dicit, 111; circa id quod maternitas divina Trinitati contulit, 115; de Ieremiae sanctificatione, 141; eius epistola ad Canonicos Lugdunenses, 178, 224; non est adversarius Immac. Concept., 179, 184; circa Mariae sanctitatem, 180, 184, 205; conceptionem; 180; inquisitionem, 215; usum rationis in Beata Virgine in utero matris, 224; virtutes Mariae, 267; eius humilitatem, 270; fidem et spem (int. opp.), 274; scientiam beatam, 283, 295, 296; assumptionem, 304; privilegia, 326, 573; falso ei tribuuntur inepta verba de dolore B. V., 351; circa Mariae virginitatem, 390; purificationem, 398; votum virginitatis Mariae, 405, 406, 407; (int. opp.), 411; appellationem patris Christi et viri Mariae de S. Ioseph, 436; Christi nativitatem ex nupta virgine, 442, 445; ignorantiam virginei partus ex parte diaboli, 443; Beatam Virginem mediatricem nostram vocat, 469, 470, 474, 475, 483; circa Beatae Virginis consensum in Incarnationem, 486; meritum Mariae, 490; intercessionem Mariae, 517; devotionem in Beatam Virginem (int. opp.), 524.

BESELEEL, 169.

BETHSABEE, figura Mariae, 100, 534.

BEZA, Theodorus, circa cultum latriae et duliae, 566.

BIBLIOGRAPHIA marialis, sedulo seligenda, 581.

BILLUART, circa votum virginitatis in Maria, 413.

BIRGITTA, S., circa Beatae Virginis Conceptionem, 199; Mariae fidem, 274; dolorem, 467; mediationem, 475.

BOCCACIUS, eius elegantes versus in Deiparam, 379.

BOETIUS, circa nobilitatem originis, 317.

BONA matrimonii, tria numerantur, 438; non defuerunt in matrimonio Beatae Virginis, 438.

BONAIUNCTA MANETTUS, S., O. S. M., 538.

BONAVENTURA, S., circa Christi nativitatem, 83; dignitatem Matris Dei, 96; tractationem de Beata Virgine, 121, 584; carnem immaculatam Christi, 126; falsam quorumdam sententiam de Imm. Conc., 173, 176; epistolam S. Bernardi ad Canon. Lugdunen., 182; eius sententia de Imm. Conc., 191; quo pacto illius festum admisit, 182; circa fomitem in Beata Virgine, 197; paupertatem Mariae (int. opp.), 271; eius dolores, 271, 345; temperantiam (int. opp.),

275; de apparitione Christi resurgentis Matri suae (int. opp.), 285; vocat Mariam Evangelistarum magistram (int. opp.), 296; falso ei tribuuntur inepta verba de Beata Virgine, 351; circa Mariae virginitatem, 406, 411; votum virginitatis in Maria, 413; liceitatem matrimonii eiusdem, 439; Mariam hominum Matrem dicit, 461; (int. opp.), 462; et mediatricem (int. opp.), 475; circa cooperationem Mariae in nostra salute, 505; intercessionem Mariae (int. opp.), 519; devotionem in Beata Virginem (int. opp.), 524, 527; Mariam vocat Dominam (int. opp.), 537; circa cultum Mariae debitum, 553, 573; Mariae nomen, 575; devotionem erga Beatam Virginem, 579.

BONFILIUS MONALDUS, S., O. S. M., 538.

BONIFACIUS IV templum Pantheon Romae consecravit, 341.

BONITAS Dei per divinam maternitatem manifestata, 12.

BOOZ, quomodo Ruth salutavit, 553.

BOSSUET, circa divinam maternitatem, 10; affinitatem Mariae cum Patre, 108; gratiam Mariae, 249; eius mortem, 372; commendationem Iesu in Cruce, 460; Mariam agnoscit Patri consociatam in nostra adoptione, 462; circa devotionem erga Beatam Virginem, 525.

BOURDALOUE, circa privilegia Deiparae, 451, 452; Mariam mediatricem, et reparatricem nostram vocat, 508.

BULLA *Ineffabilis*, 2; circa accommodationem locorum S. Scripturae ad Beatam Virginem, 18; praedestinationem Mariae, 19, 20, 25; divinae maternitatis dignitatem, 116; Imm. Conc., 128, 129, 136; definitionis in ea contentae sensus et vis, 131; circa redemptionem Mariae, 132; figuras Imm. Conc., 139; annuntiationem, 141; canticum *Magnificat*, 144; potestatem Mariae, 145; traditionem de Immac. Concept., 145, 148, 157, 159; liturgiam, 160, 161; sensum fidelium, 164; congruitatem Imm. Conc., 170; immunitatem Beatae Virginis a peccato, 217, 219; gratiam Beatae Virginis, 219, 220, 228, 234; quantitatem gratiae Deiparae, 248; privilegia Mariae, 358; mediationem Mariae, 470; efficaciam intercessionis Mariae, 520; honorem Mariae debitum, 550.

BUONCONTE di Montefeltro, 576.

BUONPENSIERE, P., O. P., 283.

BUSELLI, 306.

C

CAELESTINUS I, S., circa sepulcrum Beatae Virginis, 365.

CAELIBATUS catholicus, in Maria et Ioseph auspicium habuit, 403.

CAIETANUS, Card., circa peccatum originale, 127; usum rationis in Beata Virgine in utero matris, 227; caritatem viae, 250; cari-

tatem Mariae, 251; usum rationis in somno, 280; usum sapientiae quoad doctrinam, in Beata Virgine, 254; Mariae dignitatem, 293; 302; perfectionem corporalem Mariae, 223; spasmum Beatae Virginis, 223; Christi consanguineos, 575; laudes Beatae Virgini debitas, 582.

CALENDARIUM, neapolitanum, et novi Monasterii Wintoniensis, de festo Imm. Conc., 161.

CALVINISTAE negant Beatae Virginis impeccabilitatem, 204; intercessionem sanctorum, 510.

CALVINUS, eius circa Mariae perturbationem respuenda sententia, 53; Beatae Virginis impeccabilitatem negat, 204; circa exultationem S. Ioannis Bapt., 224; nobilitati Mariae detrahit, 317; votum virginitatis Mariam emisisse negat, 383.

CAMPANA, E., eius egregium opus citatur, 113, 306, 530.

CANA Galileae, 269, 427.

CANDELABRUM AUREUM, figura Mariae, 38.

CANISIUS, Petrus, S., vocat Mariam Apostolorum Magistram, 297; circa matrimonium Beatae Virginis, 422; cultum latriae et duliae, 566.

CANONICI Lugdunenses, circa festum Imm. Conc., 161; cur a S. Bernardo correpti, 178.

CANTICUM BEATAE MARIAE VIRGINIS, 98, 143, 260, 279, 309, 513; a quibusdam falso S. Elisabeth tributum, 143.

CANTICUM CANTICORUM, accommodatum Beatae Mariae Virgini, 39, 207.

CAPISUCCHIUS, Raymundus, Card., circa matrimonium Beatae Virginis, 422.

CAPTIVUS Mariae, 541.

CARITAS, quomodo augeatur, 246; quilibet actus caritatis vitam aeternam meretur, 246; viae, est alterius rationis, ac caritas patriae, 250; Beatae Virginis, in infinitum pene crevit, 258, 268; causa impellens martyrii, 339; magis ad dandum quam ad accipiendum inclinat, 417.

CARMELITARUM ordo, 536.

CARNES et ossa, non sunt materia de qua formatur, fetus, 66.

CARO Christi Domini, non concepta antequam a Verbo assumeretur, 74; quo sensu possit dici caro Mariae, 109; cultu latriae absoluto adoranda, 571.

CARPOCRATES, virginitatis Mariae adversarius, 383.

CASTITAS, in Beata Virgine, 270; est quid virginitate minus, 381.

CATAPHRYGAE, haeretici, circa sacramentum Ordinis, 243.

CATECHISMUS ROMANUS, 264; circa Christi mancipia, 541.

CAUSAE, secundae, a Deo effectibus producendis adaptae, 15, 182; doloris Mariae, 339; miraculi, 391.
CEDRENUS, de Nestorii, infelici exitu, 88.
CEDRUS, figura incorruptionis corporis Deiparae, 300.
CELSUS epicureus, nobilitati originis Beatae Virginis infensus, 317.
CENTURIATORES, circa matrimonium Beatae Virginis, 421.
CENTURIO, eius fides a Christo extollitur, 272.
CERINTHUS, contra virginitatem Mariae, 383.
CHAUCER, circa magnificentiam et bonitatem Deiparae, 118.
CHEVALIER, Ulysse, 581.
CHRISTIFIDELES, filii Mariae, 449, 457, 467; in loco repraesentati, 458, 468.
CHRISTUS, nequit cognosci, non cognita Maria, 2; cur ex muliere Virgine nasci voluerit, 10; eius generatio complet omnem diversitatem generationis humanae, 11; Mariae subditus, 13, 86, 503; primogenitus inter multos fratres, 14; ad totum rigorem iustitiae Deo pro nobis satisfecit, 15, 487, 490; est vere filius Virginis, 15, 503; unionem hypostaticam non meruit, 21; nec divinam maternitatem, 22; causa praedestinationis nostrae, 27; spiritualiter concipitur per fidem, 46; quantum ad statum viae, angelis minoratus, 47, 292; non tamen ab angelo fuit edoctus, 47; conceptus est de Spiritu Sancto, 58; non tamen est filius aut Trinitatis aut Spiritus Sancti, sed Mariae, 60; est filius Dei naturalis, 60, 393, 398; ipse sibi corpus formavit ex Beata Virgine, 65; eius conceptio fuit miraculosa, 67, 83, 98; est verus homo, 68; nobis similis, 68; conceptus est in instanti, 68; in determinata corporis quantitate, 70; statim habuit animam rationalem, 70; eius corpus formatum fuit in utero Virginis, 91; cur novem mensibus in utero matris manere voluit, 73; unam tantum hypostasim habet, 74, 81, 99; eius nativitas fuit miraculosa, 82; eius antecessores, 84; filius Ioseph, 85, 431; cur Mariam appellavit mulierem, 86, 395, 460; Mariae filius haberi et vocari voluit, 86; Mariam reverentia et amore prosecutus est, 100, 305, 499; omnia concedit Matri petenti, 100; Matrem in angustiis sublevavit, 101; quo pacto Mariae subiectus, 102, 533; necnon Patri, 102; legibus Caesaris non tenebatur, 103; humilitatis et obedientiae exemplar, 104; sancto Ioseph subditus, 104, 532; duplicem habet generationem, 105; Ecclesiae caput, 106, 202, 293, 487, 488; unicus Filius Matris, sicut et Patris, 108, 398; originale peccatum non contraxit, 126, 187; imo nullo modo fuit ei obnoxius, 132; est omnium Redemptor, 133, 134, 187, 192, 458; cur vocatur semen mulieris, 138; iure naturae a peccato originali exemptus, 168. Immaculata Conceptio Mariae ma-

nifestat eius dignitatem, 168; potentiam, 170; filialem pietatem, 170; est principium in genere accipientium gratiam, 171, 487; non seminaliter ab Adam conceptus, 175, 183; est vere de semine David et Abrahae, 176; fomitem non habuit, 197, 437; concupivit delectabilia sibi secundum rationem, 200; habuit propassiones, 201; antiquos Patriarchas quomodo redemit, 202; diversimode gratiae causa in Veteri ac in Novo Testamento, 202, 230, 255, 516; est essentialis sanctitas, 206; fuit statim a conceptionis momento perfectus comprehensor, 209, 236, 251, 268, 277, 284, 289, 292; sensus eius responsionis ad Parentes in templo, 215; et ad Matrem in Cana Galilaeae, 217; non fuit sanctificatus formaliter gratia unionis, 219; sanctificatus fuit proprio voluntatis motu, 221; in primo instanti suae conceptionis potuit mereri, 222; usum rationis habuit in utero Matris non eodem modo ac Beata Virgo 226; habuit scientiam infusam per se, 226, 288; non crevit in gratia, 236, 237; quomodo gratia plenus, 237; Beatam Virginem et discipulos baptizavit, 240; eius opera infiniti valoris fuerunt, 247; habuit gratiam infinitam, 249; omnis gratia ab eo dericatur, 255; mediante Maria, sanctum Ioseph gratia cumulavit et Praecursorem sanctificavit, 261; non habuit fidem nec spem, 268; nec poenitentiam, 276; habuit gratiae gratis datas, 279; non est usus dono linguarum, 280; resurgens, apparuit pluribus, 283; resurgens, primo Matri suae apparuit, 284; eique suam divinitatem ostendit, 287; a nullo instrui debuit, 293; Mariam et Ioseph ipse edocuit, 294, 298; exterius tantum tentatus fuit, 299; virtute propria in caelum conscendit, 302; Matris suae corpus in caelum assumi voluit, 305; cognovit omnia quae sunt in potentia creaturae, 308; aureola ipsi non competit, 311; cur eius genealogia per S. Ioseph deducitur, 318, 395, 424, 442; non est ortus ex stirpe figuralium sacerdotum, 320; morbo non subiacuit, 322; spasmum non est passus, 323; eius pulcritudo, 323, 324; non habuit angelum custodem, 327; quanam necessitate defectibus subiacuit, 331; plus passus est pro matre sua quam pro aliis, 334; vir dolorum, 336; pluries lacrymatus est, 349; numquam desiit aut desinet esse filius Mariae, 350; iure fuit immortalis, 359; cur defectibus et morti subiacere voluit, 362; cur resurrectionis testem non ascivit, 376; aliter ac in ascensione, 377; cur Matrem Ioanni commendavit et vicissim, 390, 449, 456, 468; non vi subtilitatis e clauso Virginis utero exivit, 392; ex Virgine concipi debuit, 393; patrem in terris non habuit, 394; virginaliter nasci debuit, 396, 434; cur legis onera suscepit, 397; nominatus Iesus a S. Ioseph, 432; cur ex virgine nupta nasci voluit, 441; S. Ioseph defuncto, caput S. Familiae remansit, 449; Matrem suam Ecclesiae Matrem constituit, 449; vita

nostra, 454; omnes Christifideles in Ioanne Matri commendavit, 458; nos sibi similes fecit, 462; quomodo homines ipsi uniuntur, 464; est perfectus Dei et hominum mediator, 496, 482, 483; ad ipsum per Mariam ire debemus, 470; intuitu potissime Matris suae, SS. Eucharistiam instituit, 477; alios ad se mediatores admittit, 482, 484; salutem nostram operatus est, 484; per Mariam nobis datus, 485; qualiter gratiam habuit, 487; verum, proprium et stricte acceptum sacrificium obtulit, 487, 497, 501; huius sacrificii effectus, 496; est vere et proprie sacerdos, 497; solus perfectus Redemptor noster, 501, 503; est principalis mediator noster, 511; pro nobis oravit, 512; non aequaliter pro omnibus oravit, 521; conformen habuit cum Patrem voluntatem, 521; qualem servitutem abstulit, 532; iure hereditario, est supremus rex hominum et angelorum, 534; temporale regnum non administravit, 534; iudiciaria potestas ipsi competit, 534; qua homo, universi orbis est dominus, 536; habet ius proprietatis in omnes res creatas, 543; in ipsum redundat honor Mariae praestitus, 550; de Matris honore sollicitus, 553; quonam cultu adorandus ipse, 566, 568; eius imagines, 570; eius vestes, 571.

CHRYSOSTOMUS, IOANNES, S., circa annuntiationem, 49; eius circa Deiparae perturbationem respuenda sententia; 53, 214; circa femineum sexum, 241; eius liturgia, 301; 558; circa officia matrum, 326; Mariae dignitatem, 400; matrimonium Mariae; 427; (int. opp.), 428, 435; (int. opp.), 444; Christi nativitatem ex nupta, (int. opp.), 442; cultum Mariae debitum, 557; cultum imaginum, 577.

CIBUS, homini necessarius etiam in statu innocentiae, 354.

CIRCUMCISIO, quomodo gratiam conferebat, 293.

CISTERNA bethlehemitica, figura Mariae, 38.

CIVITAS Hierusalem, figura Mariae, 38; Imm. Conceptionis, 140.

CLARAVALLENSE monasterium, 182.

CLEMENS VII, Ioannis Monsonii propositionem damnavit, 163.

CLEMENS VIII, circa divinam maternitatem, 79.

CLEMENS XI, circa festum Imm. Conc., 159.

CLEMENS ALEXANDRINUS, circa nomina, 148.

COLLYRIDIANI, haeretici, circa sacramentum Ordinis, 243; cultum Deiparae debitum, 548, 571.

COLUMBA, figura Mariae, 38; imm. Conc., 140; mediationis Mariae, 475.

COMMUNIO Sanctorum, est articulus fidei, 511.

COMNENUS, Manuel, Imp., circa festum Imm. Conc., 161.

COMPASSIO Mariae, 108, 309, 333, 334; saluti nostrae cooperata est, 487; Christo causa doloris, 492.

COMPREHENSIO, dos gloriae essentialis, 307.
CONCEPTIO, in quonam formaliter consistat, 69; activa et passiva, 129, 179; quandonam sit formaliter humana, 130.
— CHRISTI, 55; est opus ad extra, 56; a tota Trinitate perfecta, 56; specialiter tribuitur Spiritui Sancto, 57; fuit miraculum, 58, 82, 98, 186, 326, 387, 391, 392; duo in ea attendenda, 66; differt a formatione Evae, 67; fuit instantanea, 68; perfectior conceptione aliorum hominum, 72.
— BEATAE VIRGINIS, Immaculata, ex praevisis Christi meritis, 22, 133, 134; vindicatur, 125; non necessaria ut Christus sine peccato nasceretur, 126; in primo instanti, 128; uni Beatae Virgini, post Christum, propria, 132; ab ipsamet Beata Virgine proclamata, 132, 143; quibus figuris praesignata, 140; in annuntiatione significata, 141; in salutatione Elisabeth, 143; in cantico Beatae Virginis, 143; in Conciliis declarata, 146; eius festum, 146, 157; in Patrum Traditione contenta, 148; Romanorum Pontificum auctoritate confirmata, 151; ab universitatibus defensa, 162; a sanctis proclamata, 164; quibus rationibus ostenditur, 167; non repugnat, 168; imo maxime convenit, 169; Christo iniuriam non irrogat, 169; Dei omnipotentiam manifestat, 169; necnon Christi dignitatem, 169; potentiam, 170; filialem pietatem, 170; ab officio Coredemptricis in Maria exigebatur, 172; generis humani dignitatem auget, 172; a Rosminio non recte explicata, 172; falso intellecta, 179; difficultates contra eam ex S. Bernardo desumptae, 180; iuxta S. Thomam, 186; S. Bonaventuram, 191; ipsa gratiae infusione perfecta, 219; potest dici santificatio, 220; ratio mediationis Mariae, 470; necnon excellentiae satisfactionis eiusdem, 491.
CONCILIABULUM MOGUNTINUM, circa festum Imm. Conc., 161.
CONCILIATRIX nostra ad Deum, ita Beata Virgo appellatur, 469, 470.
CONCILIUM ARAUSICANUM II, circa mortem corporalem, 356.
— AVENIONENSE, circa Imm. Conc., 147.
— BASILEENSE, circa Imm. Conc., 146.
— CHALCEDONENSE, circa Mariae virginitatem, 388.
— CONSTANTIENSE, circa Imm. Conc., 146; orationes specialiter factas, 512.
— CONSTANTINOPOLITANUM II, (*gen. V*), circa divinam maternitatem, 73.
— EPHESINUM, (*gen. III*), circa divinam maternitatem, 77; sepulcrum Beatae Virginis Ephesi, 365; virginitatem Mariae, 388, 396.
— LATERANENSE, circa Mariae virginitatem, 388.
— NICAENUM II, circa vocem *adorare*, 556; cultum imaginum, 577.
— TOLETANUM XI, circa Christi conceptionem, 61.

CONCILIUM TRIDENTINUM, circa peccatum originale, 144; Imm. Conc., 147; concupiscentiam, 174; Beatae Virginis impeccabilitatem, 205; poenam mortis, 356; intercessionem Sanctorum, 510, 511, 512.
— VATICANUM, circa definibilitatem assumptionis Beatae Mariae Virginis, 303.
CONCUPISCENTIA, ut habitus, non est peccatum, 174; in renatis remanet ad agonem, 174; non fuit in Beata Virgine, nec in Adam ante lapsum, 208, 210; sed in aliis sanctis fuit, 309.
CONDUCTIO virginitatis servandae non tollit perfectionem matrimonii, 433.
CONFIRMATIO in bono, quomodo habeatur, 207; in Beata Virgine, 208.
CONIUGATI, trigesimus fructus ipsis adsignatur, 313.
CONIUX, sensus huius vocis, 422, 426.
CONSANGUINEI Christi, coli non debent cultu hyperduliae, 575.
CONSANGUINITAS, undenam oriatur, 107.
CONSILIA evangelica, in Beata Virgine aliquo modo inchoata, 409, 411.
CONSTANTIA Mariae, in patiendo, 348; in gestis Resphae figurata, 349.
CONSTITUTIONES apostolicae, circa sacramentum Ordinis, 243.
CONTINENTIA, quid sit, 275; non fuit in Maria, 275.
COOPERATIO Beatae Virginis relate ad nostram redemptionem, 471, 484; superavit aliorum sanctorum cooperationem, 506.
COR, non aptum conceptui, 71; quid sit, Mariam corde concepisse Christum, 71.
COREDEMPTRIX generis humani, Maria in Veteri Testamento sic praenuntiata, 35; Immaculata esse debuit, 172; et fomite carere, 188; ab Ecclesia sic appellata, 207, 492, 506; quantam gratiam accipere debuerit, 257; quanta scientia pollere, 290; quantaque gloria coronari, 310; mortem subire debuit, 362; non est titulus exaggeratus, 451; consequenter ad officium Matris exurgit, 484; quo pacto intelligendus, 500, 502, 503, 504.
CORNELIUS A LAPIDE, circa subiectionem, 103; dicit Mariam baptismum suscepisse, 240; eam vocat Apostolorum doctricem, 297; circa universalitatem mortis, 375.
CORNOLDI, P., S. I., 189.
CORPORA, Christi et Mariae, non fuerunt in Adam actu, sed solum virtute, 176; post mortem incorrupta manserunt, 300, 360, 370; Sanctorum glorificata, agilitatis dote donantur, 302; Christi et Mariae, in sepulcro surrexerunt, 304; perfectissime fuerunt formata, 321; naturaliter tamen morti subiecta manebant, 354, 356, 358.
CORPUS humanum, de se est incapax culpae, 175; in poenam peccati post mortem corrumpitur, 300; proportionatur animae, 321; non obedit per omnia imaginationi, 545.
COSTA Adae, figura Mariae, 38.

COZZA, Iosephus, circa festum Imm. Conc. apud Graecos, 160.
CREATIO fuit instantanea, 222.
CREATURA, pura, Deo satisfacere nequit, 15, 503; in miraculis cum Deo cooperatur tamquam instrumentum, 98, 477; totaliter Creatori subiecta, 168; non omnes immutationes facere potest, 546; rationalis, non debet coli cultu latriae, 571.
CRUCIFIXORES Christi peccatores obumbrant, 459.
CRUX adoratur cultu latriae respectivo, 570.
CULPA, sinē infusione gratiae remitti nequit, 219; per gratiam deletur, 496.
CULTUS, hyperduliae, Mariae debitus propter divinam maternitatem, 94; est altior cultu duliae, 94; Mariae tributus, quomodo pensitandus, 451; quid sit, 547, 554; civilis et religiosus, 554; externus et internus, 555; erga Sanctos a protestantibus impugnatus, 561, 565, 577; supremus et inferior, 561; erga Deiparam, quam sit excellens, 563; quibus signis ostenditur, 564; latriae et duliae, 565; absolutus et respectivus, 568.
CYPRESSUS, figura incorruptionis corporis Mariae post mortem, 300.
CYRILLUS ALEXANDRINUS, S., 77; in divinam maternitatem, 79, 87; eius respuendae sententiae Beatae Virginis sanctitati detrahentes, 214; circa matrimonium Beatae Viriginis, 435; eius mediationem, 472.

D

DAEMON, quomodo, iuxta Rosminium, animalitatem hominis ingressus est, 173; hominibus insidiatur, 328; Mariae dominio subditur, 536.
DAMASCENUS, IOANNES, S., de Mariae nomine, 29, 586; circa Christi conceptionem de Spiritu Sancto, 64, 65, animationem Corporis Christi, 68; divinam maternitatem, 80; Imm. Conc., 150, 154; parentes Beatae Virginis, 199; appetitum delectabilium in Christo, 200; incorruptionem corporis Deiparae, 300; assumptionem Beatae Virginis, 304; miracula in ordine ad Incarnationem, 325; dolores Mariae, 343; eius mortem, 361, 373, 374; virginitatem, 410, 411; meritum, 490; Mariam appellat *Virginem sacerdotalem*, 500; circa orationem, 513; devotionem in Beatam Virginem, 525; immutabilitatem animae post mortem, 527; Mariam vocat Dominam, 537, 543; circa honorem Mariae debitum, 549, 555; cultum imaginum, 570.
DAMNATI, nullo modo sunt filii Mariae, 464.
DANTES ALIGHERIUS, circa Mariae meritum, 23; dignitatem, 97, 106; pulcra eius in Deiparam invocatio, 117; circa gaudium S. Annae de Maria, 177; describit gloriam Beatae Virginis, 309, 314; eius

dolori alludit, 333; circa efficaciam intercessionis Mariae, 529; Mariam vocat Reginam, 538, honorem Beatae Virgini debitum, 550; circa efficaciam invocationis SS. Nominis Mariae, 576.

DE, sensus huius particulae, 59.

DEBITUM contrahendi peccatum originale, 131; patiendi, 330.

DEBORA, typus Mariae, 37; quomodo Iahelem salutavit, 553.

DECEPTIO, est malum, 210; in Beata Virgine non fuit, 211; quandonam habeatur, 298.

DEFECTUS, quinam fuerint in Christo et in beata Virgine, 331.

DEFINITIO lata ab Ecclesia de aliquo dogmate, quid praestet, 358.

DEFORMITAS nulla in Christo et Maria, 324.

DESPONSATIO, vis huius vocis in S. Scriptura, 425, 435.

DEUS est essentialis bonitas, 7; eius attributa per divinam maternitatem manifesta, 10; est pater noster, 14; factus est homo, 74; hoc nomen potest supponere pro hypostasi habente humanam naturam, 81; est conceptus et natus de Virgine, 81; assumere potuit naturam humana inferiorem, 94; aliquid melius Incarnatione aut divina maternitate in praesenti ordine non fecit, 97; non est dicendus effectus Beatae Virginis, 99; novae relationes ex divina maternitate extrinsecus ei advenerunt, 114; Mariam ab originali peccato praeservavit, 127, 134; omnipotentiam suam in hostibus debellandis potissime manifestat, 144; quomodo alicui adsistat ne peccet, 208; quomodo Beatae Virgini adstitit, 210; non statim simul omnia etiam dilectis suis revelat, 298; quonam affectu corpora primi hominis et Beatae Virginis formavit, 321; cur mortem Mariae non impedivit, 371; est causa miraculi, 391; eius providentia in matrimonio B. V. relate ad finem Incarnationis, 420, 434, 437, 441; cur voluit ut Verbum nasceretur ex desponsata, 441; ipsi proprie competit adoptare, 455; dicitur non generare, 463; in constituenda Beata Virgine hominum Matre, 466; gratias per Mariam largitur, 477, 480, 515; quomodo in ordine gratiae operatur, 482; est causa principalis salutis nostrae, 484; et hoc per Christi passionem, 487, 496; per sacrificium Christi placatus est, 497; cur Beatam Virginem paulo post dilatatam Ecclesiam, in caelum transferri voluit, 523; quomodo Mariam honorari voluerit, 552, 555, 564, 579; proprie adoratur cultu latriae, 566, 569; aliquando duliae, 566; supremum dominium habet in omnes res creatas, 566; cultum reliquiarum miraculis comprobavit, 579; in eius operibus attendendus est fixus et determinatus modus, 583.

DEVOTIO in Beatam Virginem, cum devotione in SS. Eucharistiam pari gressu, procedit, 477; qualis debeat esse, uti sit vera, 526, 541; in Beatam Virginem Dolorosam, quam utilis Ecclesiae, 539.

DEXTER Lucius, circa scientiam Mariae, 297.
DIABOLUS, serpente usus est ut instrumento ad tentandam Evam, 138; et ipse est serpens, 138; non cognovit virgineum partum, 442.
DILECTIO, quid sit, 18.
DIONYSIUS AREOPAGITA (pseudo), circa annuntiationem, 47; Beatae Virginis sanctificationem, 197; sanctitatem, 204; angelorum perfectionem, 232; pulcritudinem Mariae, 324; mortem Deiparae, 364.
DIONYSIUS CARTUSIANUS, Mariam in Cantico Canticorum figuratam agnoscit, 39; circa Mariae perturbationem, 51; Verbi Incarnationem, 115; Imm. Conc., 164; gratiam Deiparae, 262; eius virtutes theologicas, 270; scientiam, 292; aureolas, 313; perfectionem corporalem, 321; pulcritudinem, 324; causam tristitiae, 335; incorruptionem corporalem et assumptionem, 373; meritum, 490; dominium in res creatas, 544, 547; honorem Mariae debitum, 549, 564.
DISCIPULI Christi, ipsis competebat miracula facere, 279; quo sensu dicantur in ipsum credidisse post miraculum Canae Galilaeae, 427; Beatae Virginis intercessione, Spiritu Sancto sunt repleti, 479.
DOCTORES, ipsis aureola competit, 311.
DOGMA, quomodo evolvitur, 562.
DOLOR sensibilis, fuit in Beata Virgine, 332; in quonam consistat, 332; eius obiectum, 333; quid sit, 336.
DOLORES, Mariae, sub Cruce Domini, 257, 459, 467; dolores animi vere passa est Beata Virgo, 332; a Simeone ipsi sunt praenuntiati, 333; eorum causae, 334; habent rationem poena satisfactoriae, 334, 502; usque ad rationem superiorem pertigerunt, 336; solemniter ab Ecclesia coluntur, 346; saluti nostrae cooperati sunt, 487, 502, 507; huius vitae, rationem satisfactionis habent, 501; Mariae, nunc specialiter colendi, 563.
DOMINICUS, S., eius devotio in Imm. Conc., 165.
DOMINIUM, quotupliciter sumi possit, 539; in res creatas, aliter et aliter Deo et homini competit, 566.
DOMINUS, quisnam dicatur, 532.
DOMUS sapientiae, figura Imm. Conc.,, 140.
DONA Spiritus Sancti, simul cum gratia infunduntur, 264; quid sint, 264; in Beata Virgine, 265.
DONEC, sensus huius particulae, 401.
DOTES gloriae essentialis tres numerantur, 307; undenam proveniant, 392.
DULIA, quid sit, 566; aliquando etiam Deo tribuitur, 567; late et stricte accepta, 567.
DURANDUS, eius sententia circa Imm. Conc., 185, 193.

E

EADMERUS, circa scientiam acquisitam in Maria, 291; eius dolores, 344; constantiam, 349; officium Matris, 461; potentiam in impetrando, 519; Mariam vocat Dominam, 543.
EBIONITAE, contra virginitatem Mariae, 383.
ECCE, huius particulae vis in vaticinio *Ecce Virgo*, etc., 383.
ECCLESIA, quomodo Beatam Virginem salutat, 116, 153, 247, 260, 318, 450, 453, 463, 480, 518, 525, 527, 532; custos fidei, 145; quomodo a Christo dilecta, 177; Beatam Virginem mundi Coredemptricem agnoscit, 207; ac serpentis debellatricem, 223; quomodo Beatam Virginem honorat, 310, 451; pro martyribus non orat, 338; Deiparam tanquam patientiae et constantiae exemplum fidelibus proponit, 363; est sponsa Christi, 446; in Beata Vergine figurata, 446; Mariam Matrem a Christo accepit, 449; omnes fideles in Ioanne repraesentatos semper agnovit, 468; sanctos particulariter orat, 512; specialiter tamen Beatam Virginem, 515, 516, 518, 523, 573; Mariam vocat *Reginam*, 532, 535; Mariae subditur, 538; per Mariam honoratur, 550.
ELECTIO, quid sit, 18.
ELIAS, votum virginitatis non emisit, 408; caelebs permansit, 414.
ELISABETH, S., eius ad Beatam Virginem salutatio, 77, 141, 143, 230, 260, 269, 553; quomodo cognata Mariae, 319.
ELISEUS, caelebs permansit, 414; eius cadaver mortuum suscitavit, 579.
EMMANUEL Palaelogus, circa laudes Deiparae, 5.
EPHREM, S., circa divinam maternitatem, 79, 115; Mariae gratiam et sanctitatem, 284; compassionem, 342; virginitatem, 390, 411; Mariam mediatricem celebrat, 474, et *redemptionem* vocat, 505; circa devotionem in Beatam Virginem, 524, 527.
EPIPHANIUS, S., circa Mariae dignitatem (int. opp.), 3; nomen (int. opp.), 29, 586; divinam maternitatem, 80; vitam Mariae usque ad Christi ascensionem, 239; sacramentum Ordinis apud quasdam haereticos, 324; cur de morte Mariae sileat, 365, 376; circa Deiparae virginitatium, 390, 411; matrimonium, 436; Mariam vocat matrem nostram, 461; mediatricem celebrat, 474; circa cultum Mariae debitum, 571.
EPISTOLA, S. Bernardi ad Canon. Lugdun., 178, supposititia, ad S. Paulum, circa pulcritudinem Mariae, 324.
ERASMUS, eius error circa fidem Mariae, 272.

ESSENTIA divina, quomodo videri possit, 369, 370.
ESTHER, typus Mariae, 38, 168, 323; eius cum Assuero occursus, figura obitus B. M. V., 376.
ESTIUS, circa Christi conceptionem, 57; universalitatem mortis, 375; matrimonium Mariae, 427.
EUCHARISTIA, non continet carnem Mariae, 109; non conservatur in caelo in pectore Beatae Virginis, 377; mysterium fidei, 473; per fidem in Mariam, ad Eucharistiam perducimur, 473; Incarnationis continuatio, 473; per mediationem Mariae instituta, 476; fructus uberes gignit, 478; quomodo devotio erga sanctissimam Eucharistiam cum devotione in beatam Virginem coniungitur, 479.
EUGENIUS IV, 147.
EUSEBIUS, in obitu Constantini, 301.
EUTHYMIUS ZAGABENUS, circa exultationem S. Ioannis Baptistae in utero matris, 224; dicit a Christo baptizatam fuisse Beatam Virginem, 240.
EVA, ex Adam orta, 10, 11; mortis causa extitit, 12, 172, 472; typus Mariae, 38; eius formatio diversa a formatione Christi, 67.
EVANGELIA apocrypha, de infantia Beatae Virginis et Christi, 294.
EVANGELISTAE, cur pauca de Beata Virgine recoluerint, 266, 287.
EX, sensus huius particulae, 59.
EXTREMA UNCTIO, confortat hominem in ultima pugna, 242.

F

FABER, P., circa Mariae perfectiones, 122; dolores, 336; titulum Coredemptricis, 504.
FAMILIA SACRA, sancti Ioseph curae commissa, 294, 429, 432, 443; eius perfectio, 420.
FAMILIAE religiosae, in honorem Beatae Virginis institutae, 560.
FAUSTUS manichaeus, contra nobilitatem originis in Beata Virgine, 317.
F. C. D., theologus, eius falsa interpretatio de semine serpentis, 137.
FECUNDATIO, quomodo completur, 63.
FESTUM, Imm. Conc., 146, 157, 158, 159, 160, 161; Nativitatis Mariae, 158, 160, 573; Imm. Conc., quonam sensu intelligendum, 184; secundum sanctum Thomam, 187; et sanctum Bonaventuram, 192; assumptionis, 303; dolorum Mariae, 346; SS. Nominis Mariae, 576.
FIDELES a Spiritu Sancto in cognitionem Deiparae perducuntur, 41; eorum sensus erga Imm. Conc., 164; sunt filii Mariae, 449, 456, 463, 468; quo sensu dicantur sacerdotes, 493, 495.

FIDES, via ad Deum, 45; quid sit de eius ratione, 268; Mariae, 270, 272, 273, 309; Ecclesiae, in triduo mortis Christi non in sola Beata Virgine permansit, 273, 351; quomodo per Mariam promota, 472, 473, 551; praecipue circa SS. Eucharistiam exercetur, 473.

FIDES CONIUGALIS, unum ex bonis matrimonii, 438.

FIGURAE B. M. V., in V. Testamento, 32; sensus mysticus in eis attendi debet, 39; legitime usurpantur a theologis et concionatoribus, 43; Imm. Conceptionis, 138; sanctitatis et gratiae Beatae Virginis, 249; viriginitatis Mariae, 390; meditationis Mariae, 475.

FILIATIO, una tantum in Christo, 16; eius subiectum est hypostasis, 16, 17, 102; perfecta et imperfecta, 60; adoptiva, mediate ad Deum refertur, 92; Christo non competit, 102.

FINIS, in ordine executionis, 21; compassionis Mariae, 334; martyrii, 338, 340.

FOIX, de, Card., 147.

FOMES peccati, quid sit, 194; in renatis remanet, 194; dupliciter accipi potest, 194; non fuit in Beata Virgine, 195, 196, 209, 437; neque in Adam ante lapsum, 208, 209, 437; non fuit in Christo, 437.

FONS SIGNATUS, figura Mariae, 39.

FORMA DEI, Maria sic dicta, 66.

FORTITUDO, Dei, in divina maternitate manifestatur, 12; eius effectus, 340; Mariae, Christi poenis compatientis, 341.

FRANCISCA, S., Romana, Angeli custodis consuetudine visibili donata, 293.

FRANCISCUS ASSISIENSIS, S., eius, eiusque familiae devotio in Imm. Conc., 165.

FRANCISCUS SALESIUS, S., circa Imm. Conc., 135, 170; usum rationis in Beata Virgine in utero matris, 225; in somno, 253, 254; caritatem Mariae, 268; eius dolores, 346; extases, 369; mortem, 372.

FRANCISCUS XAVERIUS, S., 528.

FRIDERICUS, Patriarcha Aquileien., circa festum Imm. Conc., 161.

FRUCTUS, Spiritus Sancti, 265; in Beata Virgine, 277; virginitatis, in Maria, qualis fuerit, 313; triplex assignatur, 313.

FRUITIO, dos gloriae essentialis, 307.

FUGA Christi in Aegyptum, 443, 445.

FULBERTUS Carnoteusis, circa assumptionem Mariae, 304; angelorum obsequia erga Beatam Virginem, 328; votum virginitatis in Maria, 410; devotionem in Beatam Virginem, 527.

FULGENTIUS, S., circa assumptionem corporis humani a Verbo, 68, 74, 82; Ecclesiam, 446.

FUNDATORES VII, Sancti, Ord. Servor. B. M. V., 379, 538; quam fructuose devotionem in Beatam Virginem propagarunt, 539.

G

GABRIEL Archangelus, annuntiavit Incarnationis mysterium, 46. 47, 52, 292; sufficienter illud cognovit, 48; convenienter apparuit Beatae Virgini sub forma corporea, 48; eius salutationis et nuntii explicatio, 49, 292; Beatam Virginem illuminavit, 387; creditur fuisse custos Beatae Virginis, 329.

GARRUCCI, circa imagines antiquas Beatae Virginis dolorosae, 351.

GELASIUS I, S., 304.

GENEALOGIA Christi, secundum sanctos Matthaeum et Lucam, 98; evincit nobilitatem originis Beatae Virginis, 318; per S. Ioseph deducitur 395, 442; ex ea probatur veritas matrimonii Beatae Virginis cum sancto Ioseph, 423.

GENERATIO, stricte et late accepta, 60; in quonam consistat, 62; ad suppositum terminatur, 82; quomodo peccatum originale inducit, 134; naturalis et spiritualis, 462.

GEORGIUS NICOMEDIENSIS, circa Imm. Conc., 149; ait Christum resurgentem primo apparuisse Matri suae, 285.

GEORGIUS VARDANUS, Armenus, circa Imm. Conc., 151.

GERMANUS, S., circa figuras Beatae Virginis, 33; Imm. Conc. 151; mediationem Mariae, 472; devotionem in Beatam Virginem, 524, 525.

GERSONIUS, circa sancti Ioseph paternitatem relate ad Christum, 85; Christi subiectionem, relate ad Mariam, 105; tractationem de Beata Virgine, 120; Imm. Conc., 146; perfectionem corporalem Mariae, 323; dominium Beatae Virginis in res creatas, 544.

GIANIUS, circa festum Imm. Conc. in Ordine Serv. B. M. V., 147.

GIBSON, E., circa impeccabilitatem Mariae, 204.

GLADIUS doloris, a Simeone Beatae Virgini praenuntiatus, 333, 467.

GLORIA in caelo correspondet gratiae et caritati, 246, 308; Beatae Virginis, superat gloriam omnium simul Sanctorum et Angelorum, 259, 299, 307; essentialis et accidentalis, 307; lumen gloriae, 370.

GLOSSA, circa cultum latriae et duliae, 567, 574.

GNOSTICI, 447.

GONETUS, I. B., O. P., circa matrimonium Beatae Virginis, 433.

GOTTI, Card., Vinc. Lud., O. P., circa assumptionem Mariae, 302.

GRAECI, circa Imm. Conc., 153; S. Ioannis Baptistae conceptionem, 161; festum assumptionis B. M. V., 303; immortalitatem S. Ioannis Apostoli, 376; meritum Mariae, 490.

GRATIA, principium merendi, 22; adulto nonnisi consentienti datur, 46; facit Dei filium adoptivum, 92; Mariae, alterius rationis, non

tamen alterius speciei, ac nostra, 210; necessaria ad culpae remissionem, 219; habitus animae, 219; distincta a caritate, 219; unionis, de se non sanctificavit Christum, 219; Mariae, in eius conceptione, 228; in Incarnatione, 229; initialis, 230; non augetur sine nostra cooperatione, 231; dupliciter augeri potest, 235; Mariae, potuit augeri, non autem Christi, 234; plenitudo gratiae alia in Christo, alia in Maria, 237; augmentum, cadit sub merito, 238; quomodo augetur, 246; Christi, infinita, Mariae vero finita, 250; omnis, a Christo derivatur, 255, 515; perficit naturam, 278; gratis data, quid et quotuplex, 278; quomodo fuit in Maria, 279; omnis per Mariam nobis datur, 515.

GRATIANUS, circa matrimonium, 416, 421.

GREGORIUS MAGNUS, S., circa meritum Mariae, 23; annuntiationem, 48; Christi conceptionem, 56; formationem corporis Christi, 68; usum rationis in sancto Ioanne Baptista in utero matris, 224; gratiam Mariae, 231; Christi tentationem, 299; assumptionem Mariae, 304; eius mortem, 363; sensum spiritualem in Sacra Scriptura 458; holocaustum perfectum religiosorum, 494; cognitionem animarum sanctarum, 510; dogmatis evolutionem, 562.

GREGORIUS X, 539.

GREGORIUS XIII, 173, 360, 559.

GREGORIUS XV, circa Imm. Conc., 158, 159.

GREGORIUS XVI, 174.

GREGORIUS NAZIANZENUS, S., circa divinam maternitatem, 79; cognationem Mariae cum S. Elisabeth, 320; fortitudinem Mariae, 323.

GREGORIUS NEOCAESARIENSIS, S., circa Imm Conc., 149.

GREGORIUS NYSSENUS, S., circa nomina a Deo imposita, 28; Mariae virginitatem, 389; votum virginitatis, 404, 416; matrimonium, 421.

GREGORIUS TURONENSIS, S., in obitu S. Aviti, 301; circa assumptionem Beatae Virginis, 304.

GREGORIUS III, Patriarcha Armenor., quomodo Mariam compellat, 579.

GREGORIUS NAREGHENSIS, Armenus, circa Imm. Conc., 151; incorruptionem corporalem Beatae Virginis, 374.

GREGORIUS AB ARIMINO, eius sententia circa Imm. Conc., 185.

GRIGNION DE MONTFORT, B., circa cultum Deiparae, 4; relationem Mariae ad Iesum, 503; Mariae cooperationem ad nostram salutem, 508; falsam devotionem in Beatam Virginem, 526; regnum Mariae, 535; verae in Beatam Virginem devotionis propagator, 541, 542; circa exercitia devotionis erga Beatam Virginem, 563; veram devotionem in Beatam Virginem, 592.

GROTIUS, circa cultum latriae et duliae, 566.

GUERRICUS Abbas, circa dolores Mariae, 344; eius constantiam, 349; purificationem, 393

GULIELMUS, Abbas, S., Mariam hominum Matrem dicit, 461; circa dolores Mariae, 492.

H

HABACUC, 301.

HABITUS, quomodo augentur, 246; tripliciter se habent ad actum, 246.

HADRIANUS I, circa cultum sacrarum imaginum, 577.

HAERESES, provocant ad veritatis cognitionem, 179; contra virginitatem Mariae, 383.

HAERETICI, Christum impetentes, Mariam quoque impetunt, 2; Mariae dotes et privilegia obtuscare nituntur, 4; eorum praecipui errores, 75; circa praeceptum vacandi generationi, 414; matrimonium et virginitatem, 446; intercessionem Sanctorum, 509, 512; cultum Deiparae debitum, 548.

HALENSIS, Alexander, circa epistolam S. Bernardi ad Canon. Lugdun., 182, 185; eius sententia de Imm. Conc., 193; circa augmentum gratiae in Maria, 236.

HEBRAEI, cur virginitatem probro haberent, 415; adulterium severe puniebant, 444.

HELVIDIUS, contra virginitatem Mariae, 383, 399, 436.

HENNO, circa gratiam Mariae, 258.

HENOCH, 301.

HENRICUS Gandavensis, circa relationem Christi ad Matrem, 16; eius sententia de Imm. Conc., 193.

HERMESIUS, eius errores, 174.

HEZYCHIUS, dicit Mariam habuisse Trinitatis complementum, 113; circa fomitis carentiam in Beata Virgine, 195.

HIERONYMUS, S., circa meritum Mariae, 23; Mariae nomen, 29, 586; figuras Beatae Virginis in Cant. Cantic. (int. opp.), 39; Christi conceptionem (int. opp.), 60; semen mulieris in narratione Mosaica, 139; peccati fomitem, 195; hunc locum: *Sanctificavit*, etc., 220; gratiam Mariae (int. opp.), 231; virginitatem Mariae et S. Ioseph, 270; stirpem Mariae, 319; angelum custodem, 327; dolores Mariae (int. opp.), 342; eius virginitatem, 383, 389, 399; vocem *Almah*, 384; fecunditatem Mariae, 389; Christi generationem, 395; votum virginitatis Mariae, 407; virginitatem Ieremiae, 409; appellationem patris Christi relate ad sanctum Ioseph, 422; matrimonium Beatae Virginis, 436; rationem exponit cur Christus nasci voluerit ex

nupta, 442, 444; circa intercessionem Sanctorum, 509; cultum Mariae debitum, 557; cultum sanctarum reliquarum, 561, 578; cultum latriae, 569.

HIERUSALEM, figura Mariae, 38; Imm. Conceptionis, 140; locus, ut putant, mortis ac sepulturae B. M. V., 365.

HILARIUS, S., circa matrimonium Mariae, 435.

HOLWECK, F. G., 304.

HOMO, Incarnatio ordinata ad eius reparationem, 14, 19, 255, 500; peccato originali infectus nascitur, 125, 144; peccati capax non est nisi per animam, 130; a momento conceptionis est gratiae capax, 142; est aut amicus Dei aut inimicus, 220; eius actiones, undenam meriti rationem accipiant 262; ad ordinem angelorum assumi potest, 306; cum triplici hoste pugnare debet, 310; quilibet, angelum habet custodem, 327; in statu innocentiae, fuit immortalis, 352; ex munere gratiae, 353; naturaliter est mortalis, 354; in statu innocentiae, indigebat cibo et ligno vitae, 354; per gratiam non recuperat immortalitatem, 356, 360; a morte subeunda nullus excipitur, 375; a Maria in filium adoptatus, 449, 453; quandonam incipiat esse Christi frater et Mariae filius, 454; quomodo ad sacrificium tenetur, 493, 495; et ad actus virtutum, 494; Mariae subdi et famulari debet, 536, 538, 549; Deo naturaliter subiectus, 540; in statu innocentiae, animalia sibi subiecta habebat, 544; non tamen vires proprii corporis, 545; nec plantas, 546; debet sensus internos devotionis per externa cultus signa manifestare, 564; quale dominium habeat in res creatas, 566.

HONOR, quid sit, 547; cuinam exhiberi debeat, 550; Mariae praestandus, 550.

HORTUS conclusus, figura Mariae, 39; Imm. Conceptionis, 140.

HUGON, R. P. Ed., O. P., 244, 262; circa mediationem Mariae, 481; titulum *Virgo sacerdotalis*, 500.

HUMANITAS Christi, divinitatis instrumentum in nostra salute procuranda, 484; adoratur adoratione latriae, 570.

HUMILITAS in Beata Virgine, 270.

HYPERDULIA, altior cultus est cultu duliae, 94; quid sit, 567; quomodo distinguitur a dulia, 567; debetur Beatae Virgini, 568; non tamen ceteris Christi consanguineis, 575; debetur etiam nomini, imaginibus et reliquiis eiusdem Deiparae, 575.

HYPOSTASIS, est subiectum filiationis, 16; una tantum in Christo, 16, 74, 81; ipsius est concipi et nasci, 81; alicuius naturae, potest significari nomine concreto illius, 81; est terminus generationis, 82.

I

IACOBUS, S., Apostolus, de Extrema Unctione, 242; eius liturgia, circa cultum Beatae Virginis, 558.
IAHEL, typus Mariae, 38; quomodo a Debora salutata, 553.
IANSENISTAE, contra Deiparae intercessionem, 481.
IANSSENS, Exc. Dom. L., O. S. B., 418.
ICONOCLASTAE, 570.
IDIOTA, vide IORDANUS.
IDOLOLATRIA, quid sit, 569.
IEPHTE, 408.
IEREMIAS, quonam sensu dicatur in utero sanctificatus, 141; a S. Bernardo laudatur, 180; votum virginitatis non emisit, 408; pro populo oravit, 512.
IGNATIUS Martyr, S., rationem reddit cur Christus nasci voluerit ex desponsata virgine, 442; circa officium Matris in Maria, 464.
IGNATIUS DE LOYOLA, S., 528.
IGNORANTIA, nulla fuit in Beata Virgine, 331.
ILDEPHONSUS, S., circa Mariae assumptionem (int. opp.), 304; eius gloriam (int. opp.), 308; nobilitatem (int. opp.), 321; dolores, 343; votum virginitatis, 407; officium Coredemptricis, 505; quomodo Mariam invocat, 517.
IMAGINATIO, altior potentia quam sensus, 49; quomodo corpus movere potest, 545.
IMAGINES, Beatae Virginis, quales non probandae, 294, 349; antiquae, 560; idem est motus in imaginem et in prototypum, 570, 576, 577; ut res non adorantur, 571, 576; quomodo colendae, 576.
IMMORTALITAS, primi hominis, in statu innocentiae, 352; fuit ex munere gratiae, 353, 355; privilegium immortalitatis in Beata Virgine non fuit revocatum, 358, 360, 369.
IMMUTATIONES, in rebus creatis, non quaslibet creatura facere potest, 546.
IMPECCABILITAS, quid sit, 204; in Maria 204; soli Christo et Beatae Virgini plene competit, 207; quorumdam Sanctorum, in quonam differat a Mariae impeccabilitate, 209, 211.
INCARNATIO, 7; per divinam maternitatem manifestatur, 13, 473; eius motivum et finis, 14, 19, 393, 500; illius circumstantias Beata Virgo et Patres de congruo meruerunt, 21, 23, 24, 485, 520; est omnis gratiae et meriti principium, 21, 22, 24; fuit praenuntiata, 34; fieri potuisset etiam in Beata Virgine dissentiente, 44;

quomodo a consensu Beatae Virginis pependerit, 44, 485; fuit connubium Verbi cum humana natura, 45, 111; fons gratiarum in Maria, 46, 229, 255; ab angelo annuntiata, 46; non est ascensus naturae humanae, 74, 81; est optimum in praesenti ordine, 97; fuit miraculum, 98; fons perfectionum in Christo, 122; totum rerum ordinem irradiat, 135; ex morte Christi et Mariae confirmata, 362; ex cognito matrimonio Deiparae augetur cognitio incarnationis, 420, 423, 434; in SS. Eucharistia quodammodo continuata, 473, 476; totius religionis christianae fundamentum, 551.

INDULGENTIAE, in honorem Imm. Conc., 147, 162; assumptionis B. M. V., 305; septem Dolorum B. M. V., 346; per eas applicantur nobis satisfactiones Christi et Sanctorum, 491.

INNOCENTES, SS., sunt martyres, 337.

INNOCENTIUS III, circa sacramentum Ordinis, 243; Mariae cooperationem in opere salutis nostrae, 505.

INNOCENTIUS IV, 539.

INNOCENTIUS VIII, circa Imm. Conc., 158.

INNOCENTIUS XI, festum SS. Nominis Mariae instituit, 576.

INNOCENTIUS XII, circa festum Imm. Conc., 159.

INQUISITIO, S., prohibuit imagines Beatam Virginem spasmo collapsam repraesentantes, 349; item confraternitatem mancipiorum Matris Dei, 541.

INSTRUMENTA passionis D. N. I. C., quomodo adoranda, 568, 570, 571.

INSTRUMENTUM, duplicem operationem habet, 99; ut sic, nihil confert principali agenti, 115.

INTELLECTUS, donum Spiritus Sancti, ad finem pertinet, 41; quid praestet, 42, 43; a Spiritu Sancto fidelibus infusum, 42; facultas, in somno non potest iudicare, 252, 275; eius connaturale obiectum, 289.

INTERCESSIO, Beatae Virginis, valet ad omnes gratias obtinendas, 479, 481; a Ianseniistis impugnata, 480; est efficacior intercessione omnium simul Sanctorum, 514; quam tamen non excludit, 518; Sanctorum, ab haereticis impugnata, 509; Christi interessionem non evacuat, 511.

IOACHIM, S., pater B. M. V., 95; suae partes in mysterio Immaculatae Conceptionis, 176.

IOANNES BAPTISTA, S., cur ita vocatus, 141; non tantam gratiam habuit in sua prima sanctificatione, quantam habuit Maria, 141, 228; festum eius conceptionis, 161; a S. Bernardo laudatur, 180; habuit usum rationis in utero matris, 223, 226; eius exultatio in utero materno fuit supernaturalis, 224; nunc etiam crevit in gratia,

228; mediante Beata Virgine sanctificatus, 261, 479; eius fides, 273; cur nullum signum fecerit, 279.
IOANNES DAMASCENUS, vide DAMASCENUS.
IOANNES EVANGELISTA, S., eius supposita immortalitas, 376; a Iesu Mariae commendatus, 390, 449 456, 457, 468; sub Cruce fideles omnes repraesentavit, 458, 468.
IOANNES II, eius epistola ad Senatores CP., 78.
IOANNES XXII, circa Imm. Conc., 157; privilegium sabbatinum, 530.
IOANNES BERCHMANS, S., circa devotionem in B. Virginem, 524.
IOANNES A S. THOMA, circa Imm. Conc., 165.
IOANNES A TURRE CREMATA, eius sententia de Imm. Conc., 193.
IOANNES DE SEGOVIA, 164.
IOANNES GEOMETRA, circa divinam maternitatem, 116; Imm. Concept., 155.
IORDANUS, Raymundus, communiter dictus *Idiota*, circa nomen Mariae, 31.
IOSEPH, S., angelum in somno vidit, 49; nullam in conceptione Christi partem habuit, 85; imo eam ignorabat, 85; non est pater Iesu secundum carnem, 86; sed ratione eius veri cum Maria coniugii, 86, 430, 432, 443; Christum sibi subitum habuit, 104; non fuit conceptus sine peccato, 132, 171; a Gersonio celebratur, 146; caruit omni peccato actuali, 212; non fuit a Christo reprehensus, 216; probabiliter ante vitam Christi publicam defunctus, 245; magnam gratiam ex Mariae societate obtinuit, 261; virgo fuit, 269; eius fides, 273; non vidit in vita divinam Essentiam, 283; curam Sacrae Familiae habuit, 294, 430; a Christo fuit edoctus, 295, 298; non statim omnia Christi mysteria cognovit, 298; cur per ipsum Christi genealogia texitur, 318, 395, 423, 442; fuit pauper, 319; quo sensu Christi pater dicitur, 394, 420, 423, 429, 436; vocatur vir Mariae, 395, 422, 425; proprius Mariae coniux, 420, 422, 424, 429, 432; cur non dicitur maritus, 424; Beatam Virginem dimittere voluit, 425, 428; Mariam tamquam veram uxorem habuit, 426; nomen Iesu imposuit, 432; virginitatem probabiliter ante matrimonium vovit, 438, 439; testis perpetuae virginitatis Mariae, 445, 446; quonam tempore Mariae nupsit, 448; efficax intercessor ad Beatam Virginem, 518.
IOSEPH AB ARIMATHAEA, S., 54, 274; inepte Beatae Virgini a quibusdam comparatus, 351.
IOSEPH A LEONISSA, P., O. M., 193.
IOSEPH PATRIARCHA, typus Christi, 38; quo sensu quasi Pater Pharaonis dicitur, 430.

IOSEPHUS Hymnographus, circa corporis Christi formationem, 65; Imm. Conc., 152, quomodo Mariam invocat, 517.
IOSUÆ, caelebs permansit, 414.
IOVINIANUS, circa Mariae virginitatem, 383; virginitatem matrimonio inepte coaequat, 446.
IRENAEUS, S., circa exultationem S. Ioannis Baptistae in utero matris, 224; Mariae obedientiam, 271.
IRIS, figura Mariae, 575.
ISAIAS propheta, eius vaticinium *Ecce Virgo*, etc, 384; in Maria completum, 386; hoc vaticinium est messianicum, 387.
ISENBIEHL, circa prophetiam Isaiae: *Ecce virgo*, etc., 388.
ISIDORUS, S., circa nomen *Martyr*, 337, Mariam vocat *caput virginum*, 411.
IUBARU, F., S. I., 144.
IUDITH, typus Mariae, 38, 323; quomodo ab Ozia salutata, 141.
IULIANA FALCONIERI, S., Tertii Ord. Serv. Mariae fundatrix, eius pretiosa mors, 371; eius devotio in Beatam Virginem et in SS. Eucharistiam, 478.
IULIANUS Pelagius, eius error circa matrimonium Beatae Virginis, 420.
IULIUS III, 559.
IUSTI, quo pacto Mariae filii dicuntur, 464.
IUSTIFICATIO, adultorum, 221; Mariae, fuit per propriam dispositionem, 221.
IUSTINUS, S., circa angelum custodem (int. opp.), 327.
IUSTITIA Dei, in divina maternitate manifestata, 11.

K

KEXAPITΩMENH, huius vocis significatio, 142.
KNABENBAUER, Iosephus, S. I., 216.

L

LAC Beatae Virginis, non fuit caelitus immissum, 327.
LAMBRUSCHINI, Card. Aloysius, 156, 288.
LANDSPERGIUS Mariam vocat cooperatricem salutis, 484.
LATRIA, quid sit, 566; proprie soli Deo debetur, 566, 569.
LATRO, bonus, poenitentes, malus, incredulos, obumbravit, 459; bo-
LAUNOIUS, 167.
nus, conversus est mediante Beatae Virginis intercessione, 525.

LAURENTIUS IUSTINIANUS, S., de cura Iesu pro Matre sua, 107; eius devotio in Imm. Conc., 166; circa Mariae caritatem, 239; officium Matris in Maria, 457; Mariam mediatricem praedicat, 476; circa consensum Mariae in Incarnationem, 486; Mariam vocat reparatricem saeculi, 505; circa privilegia Mariae, 543.
LAURENTIUS OPIMUS, O. S. M., Imm. Conceptionis defensor, 166, 186.
LECTULUS Salomonis, figura Mariae, 38.
LEDOUX, R. P. S., O. S. M., 490, 539, 563.
LEO MAGNUS, S., circa corporis Christi animationem, 73; exultationem S. Ioannis Bapt. in utero matris, 224; resurrectionem Christi, 374; servitutem Creatori praestandam, 540.
LEO X, circa Indulgentias, 491; Rosarium mariale, 559.
LEO XIII, circa relationes Mariae ad Spiritum Sanctum, 109; dona Spiritus Sancti, 264; Mariam vocat Magistram Apostolorum, 296, 468; circa dolores Mariae, 346; Mariam hominum Matrem praedicat, 468; mediatricem nostram, 468, 471, 472; circa SS. Eucharistiam, 473; sanctificationem S. Ioannis Bapt. per Mariam, 479; efficaciam intercessionis Mariae, 479, 520; servitutem, 532; cultum Beatae Virginis, 557; eius litterae encyclicae de hac re, 557; circa mariale Rosarium, 559.
LEONARDUS A PORTU MAURITIO, S., eius devotio in Imm. Conc., 166.
LEONARDUS DE NOGAROLIS, circa officium Imm. Conc., 157.
LEX supplicandi legem credendi statuit, 160, 364, 557.
LIBELLUS repudii, 428.
LIBER DE CAELESTI HIERARCHIA, circa Mariae annuntiationem, 47; angelorum perfectionem, 232.
— DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA, circa Mariae sanctificationem, 197.
— DE DIVINIS NOMINIBUS, circa sanctitatem, 204; mortem Mariae, 364.
LIBERALITAS, in Maria, 275; eius ratio formalis, 275; quomodo differt a magnificentia, 381.
LIBERI, quinam dicantur, 532, 542.
LIBERTAS, non auferitur per hoc quod quis Beatae Virginis servum se constituit, 540, 542.
LIBERUM ARBITRIUM, eius motus quomodo se habeat ad iustificationem, 222.
LIBRI, apocryphi, de morte Mariae, 364, 366.
LIELL, H. F. I., 562.
LIGNUM vitae, homini necessarium in statu innocentiae, 354.
LITANIAE LAURETANAE, 266, 532; peruvianae, 589.
LITURGIA, locos S. Scripturae Beatae Virgini accommodat, 41; circa

Imm. Concept., 160; Beatae Virginis impeccabilitatem, 207; Ecclesiae Romanae, 301, 558; Orientalis, 301, 558; circa mortem Mariae, 363, 364; eius virginitatem, 384; intercessionem, 515, 523; cultum eidem debitum, 557; S. Iacobi, S. Cyrilli, S. Basilii, S. Ioannis Chrys., 558; ambrosiana, mozarabica, gallicana, 558.

LIVIUS, Thomas, O. SS. R., 266, 305, 306, 364, 365, 366, 377.

LOISY, A., 143.

LONGFELLOW, circa Italorum in Beatam Virginem devotionem, 143; influxum Beatae Virginis in societatem, 552.

LORENZELLI, Card., 84.

LOURDES, 132, 256, 478.

LUCAS, S., Evangelista, a Beata Virgine edoctus, 45, 296; quonam ordine genealogiam Christi texuit, 98.

LUDOLPHUS, circa stationem apud S. Mariam Maiorem in die Paschatis, 286.

LUDOVICUS BERTRANDUS, S., eius devotio in Imm. Conc., 165.

LUDOVICUS BLESENSIS, circa devotionem in Beatam Virginem, 527.

LUDOVICUS GRANATENSIS, Ven., eius devotio in Imm. Conc., 165.

LUDWINA, S., 326.

LUMEN gloriae, beatos in bono confirmat, 208; quid importet, 208, 211; Beata Virgo illud non habuit permanenter in hac vita, 209.

LUNA, figura Mariae, 457.

LUTHERANI, contra Mariae impeccabilitatem, 204; fidem, 272; intercessionem Sanctorum, 510.

LUTHERUS, eius damnata propositio circa Imm. Conc., 163; contra Maria nobilitatem, 317; circa cultum Mariae debitum, 548; cultum latriae et duliae, 566.

M

MABILLONIUS, circa epistolam S. Bernardi ad can. Lugdun., 178, 182.

MACEDO, Franciscus, 358, 361.

MACHABAEORUM, mater, typus Mariae, 37.

MAGI, ad praesepe Domini, 77; eorum fides, 273.

MAGISTER SENTENTIARUM, circa conceptionem activam et passivam, 130; Imm. Conc., 185; votum virginitatis in Maria, 413, 415.

MAGNES, figura Mariae, 457.

MAGNIFICAT, 143, 260, 279, 309, 513.

MAGNIFICENTIA, eius ratio formalis, 275; fuit in Maria, 275; potior liberalitate, 381.

MALDONATUS, eius falsa positio circa Imm. Conc., 163; explicat quid sit *traducere*, 428; circa Christi nativitatem ex nupta, 442.
MANCIPIA Matris Dei, cur condemnata, 541; quo sensu admitti possint, 541.
MANETTUS ANTELLENSIS, S., O. S. M., 538.
MANGENOT, circa vocem *Almah*, 388.
MANICHAEI, 447.
MANNA, figura SS. Eucharistiae, 476.
מָרָה, radix nominis *Maria*, 585.
MARIA VIRGO, fines creati transcendit, 1; luci comparata, 1; cognita ducit ad cognitionem Christi, 2, 3, 43; eius dignitas, 2, 97, 491, 549; eius in Ecclesia partes, 3; Mediatrix nostra, 3, 230, 256, 451, 468; eius cultus cur hodie adauctus, 4, 562; Ecclesiae χειμήλιον, 4; eius canticum, 143, 260, 279, 309, 513; est Mater nostra, 13, 449, 453, 458, 481, 515; de congruo pro nobis satisfecit, sicut Christus de condigno, 15, 490, 502; consensu suo ad Incarnationem concurrit, 15, 485, 487, 503; praedestinata fuit Mater Dei dependenter ab Adae peccato, 19; tanquam Redemptoris Mater, 19; ante praevisa cuiuscumque merita, 20; absque suiipsius meritis, 20, 22; aliquas Incarnationis circumstantias meruit, 21, 485; praedestinata fuit Mater Dei absque ipsius Christi meritis, 22; immaculata, ex praevisis Christi meritis, 22; quomodo dici possit meruisse fieri Mater Dei, 23; praedestinata ad gloriam non post praevisa sua merita, 24; non tamen sine suis meritis, 25; ante omnem creaturam, 25; quodammodo causa praedestinationis aliorum, 26, 27; eius nominis significatio, 29, 585; efficacia, 31, 575; diabolum debellavit et contrivit, 31, 136, 145, 223, 549; a fidelibus invocanda, 31; in Veteri Testamento praenuntiata, 32, 40; ut Coredemptrix, 35; ex S. Scripturis penitius cognoscitur, 40; in quibusdam Veteris Testamenti vaticiniis et figuris praesignata, 40; testis insignis Incarnationis, 45; sub sancti Ioseph potestate non fuit, 46; quantum ad statum viae, minor angelis, 47; ideo ab eis potuit edoceri, 47, 292, 328; non fuit comprehensor in hac vita, 47, 209, 237, 269, 282, 289, 292; in annuntiatione vidit divinam essentiam, 48; vidit angelum sub forma corporea, 48, 289; quomodo ab angelo salutata, 49, 358, 552; qua ratione perturbata, 50, 418; visionibus angelorum assueta, 51; cur ab angelo quaesivit: *Quomodo fiet istud?* etc., 51, 404, 418; in conceptione Christi, nihil active operata est, 61, 62; non debet dici pater Christi, 62; materiam ministravit Christi generationi, 63, 406; dici debet Mater Dei, 64, 75, 76, 122, 452, 573; appellata *forma Dei*, 66; in eius utero formatus est Christus, 71; omnium haereseon interemptrix, 76, 120, 473, 549; Mater Iesu appellatur, 77, 84; est vere

et proprie Θεοτόκος, 80, 88; quonam sensu *mulier* vocatur, 86, 395, 460; Iesum vocat Filium suum, 86; est vere *mulier fortis*, 87, 460; non est mater divinitatis, 87; ratione divinae maternitatis finem divinitatis attingit, 93, 97, 492, 549, 572, 574; honoratur cultu iperduliae, 94, 569, 573; Adae comparata, 97; propriam dignitatem agnovit, 98, 554; instrumentum fuit in Incarnatione Verbi, 98; non est causa Dei, 99; Christum sibi subiectum habuit, 101, 103, 104; Christo fuit ipsa subiecta, 106; quomodo a Christo iudicanda, 106; secunda post Trinitatem praedicatur, 107; quamnam ad Deum relationem habeat, 107; affinitatem habet cum Patre, 108, 110; cum Filio, 108, 111; cum Spiritu Sancto, 109, 112; Filia Patris, Sponsa Christi, sacrarium Spiritus Sancti, 110; prima inter filios Dei adoptivos, 110; in Sponsa Cantici Canticorum figurata, 111; typus Ecclesiae, 111, 446; dicitur complementum Trinitatis, 113; per divinam maternitatem contulit Patri auctoritatem in Filium, 113; Filio generationem temporalem, 114; Spiritui Sancto fecunditatem, 114; quomodo fuit instrumentum in Incarnatione, 15; quomodo figuratur, 117; pest Christum Deo omnibus propinquissima, 119; gratiae cooperata est, 122, 260; est immaculata, 125; vi conceptionis materialis debuisset contrahere peccatum originale, 131; sola immaculata, 132; *Imm. Conceptionem* seipsam proclamavit, 132; redemptorum primitiae, 133, 135; in Genesi praenuntiata, 136; salutata immaculata ab angelo, 140; ab Elisabeth, 141; inter omnes mulieres benedicta, 142; omnium miraculorum apex, 144; a Patribus celebrata, 148; Ioanne Baptista, ipsisque angelis purior, 153; a RR. Pontificibus immaculata proclamata, 157; item in Liturgia, 160; item a fidelibus, 164; quod excellentius est, ei tribui debet, 168, 543; divinorum operum synthesis, 170; cur debuerit concipi sine peccato, 171, 172; omni culpa etiam veniali caruit, 171, 211; eius sanctitatis, 171; a sanctis Patribus Ecclesiae comparata, 171; post Christum, est prima in ordine gratiam accipientium, 171; hominum Coredemptrix, 172, 198, 207, 257, 290, 310, 362, 451, 500, 502, 504; eius sanctitas, a S. Bernardo laudata, 180, 184; quomodo sanctificata in sua Conceptione, 182; scilicet passiva, 183; est concepta seminaliter, 183; non habuit peccati fomitem, 195, 210, 437; etiam ligatum, 196; concupivit delectabilia sibi secundum rationem, 200; habuit passiones, 200, typus perfectae et integrae naturae, 203; fuit impeccabilis, 204, 246, 277; baptismum suscepit, 205, 240; fuit confirmata in bono, 208; quomodo, 209, 276; aliquando in vita vidit divinam essentiam, 209, 283; quandonam fuerit in bono confirmata, 212, 238; fuit et ipsa per Sanguinem Christi iustificata, 213; non fuit sancti-

ficata formaliter per divinam maternitatem, 219; sanctificata in primo instanti suae conceptionis passivae, 220; per propriam dispositionem, 221, 225; in primo instanti suae conceptionis potuit mereri, 222; habuit usum rationis in matris utero, 223, 225, 227; quomodo, 226; quo pacto habuerit scientiam infusam, 226, 288; plus gratiae habuit in sua conceptione quam quaelibet creatura in sua prima sanctificatione, 228; vel etiam in sua consummatione, 228; quid de gratia omnium simul sanctorum in sua consummatione, 228, 229, 230; propinquisima Christo, 230; quomodo Mediatrix, 232; crevit in gratia per totam vitam, 234, 236, 247, 295, 368; eius puritas, secundum Angelicum, 235; quomodo gratia plena, 237; Evangelistarum et Apostolorum magistra, 238, 280, 296, 464, 468, 477; semetipsam Deo in templo obtulit, 238; quomodo crevit in gratia, 238; suscepit remedium peccati originalis, 239; a Christo baptizata, 240; suscepit SS. Eucharistiam, 240; quomodo confirmata, 241; secundum aliquos suscepit Extremam Unctionem, 241; Poenitentiam et Ordinem minime suscepit, 243; cur ritui purgationis se subiecit, 243, 397; quo sensu sacerdos appellatur, 243, 499; forsan matrimonii sacramentum habuit, 224; quale caritatis augmentum sit in ea ponendum, 246; quantitas eius gratiae, 247; non infinita, 250; in somno non meruit, 252, 299; quo sensu in sommo Deum diligebat, 253; eius gratiae quantitas in Incarnatione, 255; sub Cruce, 256; doloris gladio transfixa, 257, 459, 467; eius gratiae quantitas in fine vitae, 258; super omnes in caelo exaltata et glorificata, 259, 306; quales progressus in gratia fecerit, 259; sublimiori modo a Christo sanctificata, 262; quaenam merita habuerit, 262; habuit virtutes et dona Spiritus Sancti, 265; caritatem, 268; finem et spem, 268, 272; virtutes morales, 270; fuit pauper, 271, 319; *Regina Martyrum* ab Ecclesia appellatur, 271, 309, 330, 336, 337, 341, 342, 492; omnes virtutes habuit, 272; quo sensu dici possit sola habuisse fidem in triduo mortis Domini, 273; habuit liberalitatem et magnificentiam, 275; temperantiam, non autem continentiam, 275; virtutem poenitentiae, 276; beatitudines et fructus, 277; gratias gratis datas, 278; non tamen usum omnium, 280; quomodo habuit usum sapientiae et miraculorum, 281; probabiliter quaedam miracula patravit, 281; non habuit permanenter scientiam beatam, 282; habuit eam transeunter, 283; plus omnibus Sanctis passa est, 283, 337; sub Christo et per Christum, principium salutis nostrae, 283; Christus resurgens primo ei apparuit, 284; gratiae sanctis concessae ei uberius datae sunt, 285; in Christi resurrectione, eius divinitatem vidit, 287; in hac vita mortali fuit simpliciter viatrix, 289; non vidit in vita mortali habitualiter angelos per essentiam,

289; habuit scientiam infusam per accidens, 290; aliter tamen ac Adam, 291, 296; scientiam proprio marte acquisivit, 291; quomodo in ea profecit, 291; in annuntiatione cognovit mysterium SS. Trinitatis, 291; nihil ab hominibus didicit, 293; per omnia Christo conformis, 293, 302, 305, 331, 371; a Christo fuit edecta, Christi mysteria cognovit, 298; decipi non poterat, 298; nec interius tentari, 299; somnia ordinata habuit, 299; mortem subiit, 300; eius anima mox in caelum recepta, 300; in caelum secundum corpus assumpta, 302; minorem scientiam habuit quam Christus, 308; Regina angelorum, patriarcarum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, 309; virginum, 309, 446; ipsi aureola proprie non debetur, 310; martyr fuit solum per similitudinem, 311, 338; virginitatem voto obfirmatam perpetuo servavit, 312, 402, 404, 410; eminenter aureolas omnes habet, 313; fructus virginitatis, 312; eius gloria descripta a Dante, 314; fuit genere nobilissima, 317; de stirpe regia, 317; cognata stirpi sacerdotali, 319, 444; perfectam complexionem corporalem habuit, 321, 324; in qua ipsi Evae non cessit, 321; morbo non subiacuit, 322; spasmum non est passa, 323, 347; eius pulcritudo, 323; eius nativitas dolorem S. Annae non attulit, 325; miraculose Christum edidit, 326, 525; Christum ipsa lactavit, 326; habuit angelum custodem, 327; caruit debito patiendi, 329; conveniens tamen fuit ut pateretur, 330; quanam necessitate defectibus subiacuit, 331; vere passa est animi dolores, 332; causae illius tristitiae, 333; magnitudo, 334; cur non ad mortem usque passa est, 341; Christo patienti compassa est, 342, 487; in suis doloribus non est perturbata, 347; eius in patiendo constantia, 348; non fuit immortalis ex titulo naturae aut gloriae, 356; sed ex titulo gratiae, 357; in Adam non peccavit, 360; revera mortua est, 361; ab Ecclesia exemplum patientiae et constantiae fidelibus proposita, 363; qua ratione propter peccatum Adae mortua, 363; ubinam sit mortua, 365; post mortem statim resurrexit, 365; eius corpus non debuit diu manere sine anima, 367; non est mortua ex morbo aut ex senio, 367; amorem inordinatum non habuit, 368; quomodo sit mortua, 369, 371, 372; cur eius resurrectio testem non habuit 376; secus ac eius assumptio, 377; in caelo non conservat in pectore species eucharisticas, 377; fidelibus servis in morte adsistit, 378; virgo per antonomasiam, 382, 411; de fide est Mariam virginem mansisse toto vitae tempore, 383, 437; ab Isaia praenuntiata, 386; cur Ioanni et non alii a Christo commendata, 390, 449; fuit virgo in concipiendo, 393; in partu, 396; permansit virgo post partum, 398; exemplar virginibus, 406, 414, 440; cur virginitatem vovit, 406;

prima omnium votum virginitatis emisit, 407, 414; quodammodo inchoavit observantiam consiliorum Christi, 408, 414; quonam tempore virginitatem vovit, 410; vovit absolute, 412, 413; pluris fecit virginitatem quam divinam maternitatem, 417; aliquando ignoravit se futuram esse Matrem Dei, 419; vocatur *coniux* aut *uxor* sancti Ioseph, 422, 425; cur eius sponsa dicitur, 425, 435; eius matrimonium fine non caruit, 433; quomodo sponsalia contraxit, 434, 436; a Spiritu Sancto ducta hoc fecit, 437; sola mater et virgo, 437, 438; licite matrimonium contraxit, 439; imo cum laude et merito, 439; quanam aetate sancto Ioseph nupsit, 448; quomodo honoranda, 449; mater misericordiae, 453; nova Eva, 454, 460; sub Cruce Nati, nos in filios accepit, 455, 468; quomodo ei competit adoptare, 456; in generatione Filii et in nostra adoptione sociata Patri, 462; Christifideles spiritualiter genuit, 463; quomodo Matris munia gessit, 463, 468, 477; omnium hominum Mater, 464; excellentissima ad Christum mediatrix, 470, 483; per eam ad Christum ire debemus, 470, 540; saluti nostrae est cooperata, 471, 487, 506; fides per Mariam promota est, 472, 551; praesertim fides in SS. Eucharistiam, 473; Virgo pacis sequestra, 475; in SS. Eucharistiae institutione mediatrix, 476; quanto fervore eam sumpserit, 477; curam habet de sacerdotibus, 477; fideles ad SS. Eucharistiam ducit, 478; physicum instrumentum in gratia conferenda, 478, 480, 487; et in miraculis, 479; eius intercessione omnia nobis proveniunt, 479, 516, 517, 541; *Mater divinae gratiae* a fidelibus salutata, 481; *de congruo* meruit omne id quod Christus *de condigno*, 488, 516, 521, 534; sacrificium excellentissimum Deo obtulit, 492; sed late acceptum, 498; quomodo nos redemisse dici potest, 503; pro se et nobis oravit, 513; semper exaudita est, 513, 514, 521; pro nobis orat in particulari, 514; omnes simul sanctos superat in efficacia impetrandi, 514, 519; orat etiam pro non petentibus, 515; eius influxus diversus in Veteri ac in Novo Testamento, 515; omnipotens in impetrando, 519; *cultum* Ecclesiae appellatur, 520; non aequaliter pro omnibus intercedit, 520; in caelum assumpta, efficacius intercedit, 523, 546; eius devotio, signum praedestinationis, 523; quo pacto, 525; orat etiam pro peccatoribus, 525; in iudicio clientibus suis adsistit, 527; quo sensu dicitur divina iudicia frangere, 528; animabus Purgatorii subvenit, 529; Regina hominum et angelorum, 532; qui ipsi famulari debent, 536, 549; Ordinem Servorum suorum instituit, 538; Redemptionis testis et cooperatrix, 539; ipsi servire regnare est, 540; ius proprietatis habet in omnes res creatas, 542; animalia ipsi ad nutum obediunt, 544; non tamen vires corporis, 545; nec plantae, nec corpora inanimata, 546; ante divinam ma-

ternitatem, legibus humanis subiecta, 547; etiam ut Mater Dei, subiecta legi mosaicae, 574; quonam honore digna, 549; per eam Christus honoratur et Ecclesiae ac societatis bonum procuratur, 550; typus perfectionis humanae, 551; honorata ab angelo, 552; ab Elisabeth, 553; a Christo, 554; a Deo, 554; meretur cultum, 554; a primitiva Ecclesia honorata, 562; coli debet cultu externo, 563; non latriae, sed hyperduliae, 569; quo pacto coli possit etiam cultu duliae, 572; errores circa Mariae dotes redundant in detrimentum fidei, 582; eius nomen ex radice מָרָה derivatum, 587.

MARIA MAGDALENA, S., Christus resurgens ei apparuit, 284, 286; eius nomen in Novo Testamento, 585.

MARIA, soror Moysis, 385; 585.

MARIA ANTIQUA, S., Ecclesia in honorem B. Virginis Romae dicata, 560.

MARINI, Nicolaus, Card., 154.

MARITUS, quisnam dicatur, 424, 435.

MARTINENGO, Magdalena, B., 378.

MARTINUS I., S., S. P., circa perpetuam Mariae virginitatem, 388.

MARTINUS, S., Ep., 184.

MARTYRIUM, Beatae Virginis sub Cruce, quantam gratiam ipsi contulerit, 258; aureola debetur martyribus, 311, 339; Beatae Virginis, fuit tale solum per similitudinem, 311, 338; quid sit, 337; dupliciter accipitur, 337; eius causae, 339; ad fortitudinem pertinet, 340; Beatae Virginis, fuit excellentissimum, 341.

MATER BONI CONSILII, Beata Virgo cur ita ab Ecclesia proclamata, 297.

MATERIA, non agit ad sui formationem, 61; de qua formatur fetus, 66.

MATERNITAS, divina, a quibusdam impugnata, 9; eius convenientia, 9; quamnam unionem faciat cum Deo, 12, 95; ad redemptionem ordinata, 13; non ponit mutationem in Deo, 16; eius ratio formalis, 19; transcendit omnem ordinem creatum, 20, 34, 113, 228, 572; praenuntiata in Veteri Testamento, 34; eius intima connexio ad cetera fidei dogmata, 75; vindicatur, 76; quaenam ad eam consequuntur, 91; superat totum ordinem gratiae et gloriae, 92, 95; mensura charismatum Mariae, 93, 116, 122, 219, 259, 543, 573; est quodammodo bonum infinitum, 97, 491, 549, 573; confert potestam in prolem divinam, 102; quantum Beatam Virginem sublimaverit, 104, 452; quid personis SS. Trinitatis contulerit, 113, 114; Beatam Virginem Deo propinquissimam constituit, 170, 230, 514; per se non sanctificat Maria, 219, cedit unioni hypostaticae, 237; maioris meriti ratio in Beata Virgine, 247; ad virginitatem comparata, 417; pertinet ad unionem hypostaticam, 418; spiritualis, in Maria, relate ad nos, sub

Cruce completa, 455; quomodo ex verbis S. Ioannis probatur, 465; in prophetia Simeonis praesignata, 467; fides in divinam maternitatem auget fidem in Incarnationem, 473.

MATRIMONIUM, Beatae Virginis cum sancto Ioseph, fuit verum et perfectum, 244, 422, 433, 434, 437, 438; ante baptismum contractum, suscepto baptismo evadit sacramentum, 245; in quonam consistat, 380, 415, 420, 433, 437; Beatae Virginis, ad Incarnationis mysterium ordinatum, 420, 423; a quibusdam impugnatum, 420, 446; nil contra fidem et mores in matrimonio Beatae Virginis habetur, 431; eius finis, 433; tria eius bona, 438; Beatae Virginis, quam sit singulare, 438; unionem Christi cum Ecclesia significavit, 446; quanam aetate Beata Virgo illud contraxit, 448.

MATTHAEUS EVANGELISTA, S., Christi genealogiam quonam ordine texuit, 98.

MATTHAEUS A CASTRO PLEBIS, B., O. S. M., eius in Imm. Conc. devotio, 166.

MATTHAEUS PARISIUS, circa festum Immaculatae Conceptionis penes Armenos, 161.

MAXIMUS, S., 48; in divinam maternitatem, 72; circa Imm. Conc., 149.

MECHTILDES, S., vocat Mariam *microcosmon*, 119; circa constantiam Mariae, 349.

MEDIATOR, quisnam dicatur, 469, 470, 471, 476; ad Christum, quisnam esse possit, 482.

MEDIATRIX, Maria recte ita vocatur, 207, 230, 232, 256, 468, 469, 470, 475, 483; non est titulus exaggeratus, 451.

MEDINA, de, Michaël, circa matrimonium, 421.

MEESTER, de, Placidus, O. S. B., 165.

MELCHIOR CANUS, circa fidem Apostolorum in triduo mortis Domini, 273; Mariae assumptionem, 302.

MELITO (pseudo), circa mortem Mariae, 364.

MENAEA Graecorum, circa Imm. Conc., 152, 153.

MENOCHIUS, circa vocem *desponsata*, 426.

MENOLOGIUM Ecclesiae Graecae, circa Imm. Conc., 151, 152.

MERITA, Beatae Virginis, non praecesserunt eius praedestinationem, 20; hominis, ordinantur ad beatitudinem, 22; Christi, non fuerunt causa praedestinationis Mariae in Matrem Dei, 22; supponunt usum liberi arbitrii, 225; hominis, quomodo pensitanda, 254; undenam deriventur, 262; Mariae, quae et quanta fuerint, 262, 263, 308, 487; quantitas meriti undenam attendatur, 263; Mariae, Christi meritis innituntur, 334; de *condigno* et de *congruo*, 488.

METAPHRASTES, circa dolores Mariae, 343.

MINISTRI sacramentorum, sunt causae instrumentales gratiae, 480, 487.

MIRACULUM, quomodo creatura in eo cooperatur, 98; debet esse visibile, 227, 348, 447, 479; in ordine ad Incarnationem, 326, 327; habet causam nobis ignotam, 391; contra, praeter, et supra naturam, 392; ad fidem, et de quo est fides, 447.
MONICA, S., 498.
MONS umbrosus, figura Mariae, 38.
MONSONIUS, Ioannes, eius error circa Imm. Conc., 162.
MORBUS, undenam oriatur, 322; in Christo et in Maria nullus fuit, 322, 331.
MORGOTT, Fr., circa femitis carentiam in Maria, 196; gratiam Mariae, 262.
MORINI, Augustinus, R. P., O. S. M., 347.
MORS, pro Christo tolerata, conditio ad martyrium proprie dictum, 338; est naturalis et simul poena peccati, 354, 356, 363; necessaria sequela peccati originalis, 358; eius universalitas, 360, 375; Mariae, fidem incarnationis adstruit, 362; illius sanctitati non detrahit, 363; fuit potius dormitio, 368; cupr Deus eam non impedivit, 371.
MOTUS, localis, non fit in instanti, 69; liberi arbitrii, quomodo se habeat ad iustificationem, 222; in imaginem, idem est ac in prototypum, 570, 576.
MOYSES, in via vidit divinam essentiam, 283; ex Dei colloquio clarificatus, 400; veniam a Deo pro populo impetravit, 509.
MULIER, sensus huius nominis in Sacra Scriptura, 9, 395, 460; eius status per Mariam nobilitatus, 12; publice docere prohibetur, 279, 312; non tamen private, 280; in statu innocentiae, sine dolore filios peperisset, 325, 329.
MULLAN, Elder, S. I., 560.

N

NATALIS ab Alexandro, eius devotio in Imm. Conc., 165; circa rationem cur Christus ex nupta Virgine nasci voluerit, 442.
NATHAN, quo pacto dicitur adorasse David, 556.
NATIVITAS, Christi, fuit miraculosa, 83, 447; Mariae, dolorem matri non attulit, 325.
NATURA, ad unum determinata, 68; hoc nomen in divinis potest supponere pro qualibet hypostasi, 81; humana, Christi, non habet propriam hypostasim, 99.
NECESSITAS defectibus subiacendi, in Christo et in Maria, qualis fuerit, 331.
NESTORIUS, maternitatis divinae adversarius, 9, 84, 88, 452, 551; duas

hypostases in Christo posuit, 74, 81; eius lingua a vermibus exesa, 8.
NICODEMUS, S., 274.
NICOLAI, Ioannes, 188.
NICOLAS, Auguste, circa fomitem, 203; fomitis carentiam in Maria, 203; negat Christum resurgentem primo apparuisse Mariae, 284; cultum Mariae debitum, 452, 539.
NOBILITAS originis, quid sit, 317; Mariae, 317.
NOMEN, est signum intellectus, 28, 148; Mariae, ex divina inspiratione impositum, 29; eius significatio, 29; invocationis efficacia, 31, 576; Iesu et Mariae, saepe invocandum, 31; multiplex nomen metaphoricum uni eidemque personae competere potest, 110; triplex genus nominum, 482; Mariae, quomodo colendum, 575; festum Nominis Mariae, 576.
NOVATORES, circa Mariae virginitatem, 383; eius mediationem ad Christum, 469; intercessionem Sanctorum, 509.
NUBES, noctem illuminans, figura Mariae, 38; tabernaculum operiens, pariter figura Mariae, 38.
NUPTIAE, sensus huius nominis, 435; a quibusdam condemnatae, 447.
NUTRITIUS Christi, S. Ioseph ita vocatus, 429, 432, 443.

O

OBLATIO, quomodo differt a sacrificio, 495.
OBEDIENTIA Mariae, 271.
OBSERVANTIA, species duliae, 567.
OCHAMUS, 185.
OECOLAMPADIUS, circa cultum Mariae, 548.
OFFICIUM, patris in sancto Ioseph, relate ad Christum, 432; Matris in Maria, relate ad nos, 454, 463, 467; Mediatricis, 468; Coredemptricis, 484; Intercessoris,, 509.
OMNIPOTENTIA Dei, in divina maternitate manifestata, 12; in Imm. Conceptione relucet, 144, 168.
ONKELOS, Rabbi, circa praedestinationem Mariae, 28.
ORATIO, quid sit, 513; Mariae, semper exaudita, 513; secundum rationem et secundum sensualitatem, 513; Mariae, efficacior oratione omnium simul Sanctorum, 514; quam tamen non excludit, 518.
ORDINES religiosi, in honorem Beatae Mariae Virginis instituti, 560.
ORDO, hypostaticus, 7; reparationis nostrae, comparatus ordini lapsus, 11; divinus, per peccatum Iesus, per poenam reparatur, 336, supernaturalis, analogice procedit cum naturali, 48.

ORIGENES, circa Mariae perturbationem, 50; narrationem mosaicam de lapsu hominis, 137; eius falsa de Maria existimatio, 212; circa exultationem S. Ioannis in utero, 224; scientiam acquisitam in Maria, 292; nobilitatem originis eiusdem, 317; eius dolores, 333; virgineum partum, 391; appellationem patris Christi de sancto Ioseph, 430; matrimonium Mariae, 442; salutationem angelicam, 552; salutationem Elisabeth, 553.
OZIAS, 141.

P

PALERMO, Iosephus, de Imm. Conc., 185.
PALUDANUS, circa nomina, 482.
PANES propositionis, figura SS. Eucharistiae, 476.
PARADISUS voluptatis, figura Mariae, 38.
PARENTES Deiparae, ad ipsos non pertingit dignitas divinae maternitatis, 95; Mariam sine libidine conceperunt, 199, 326; Iesu, sic indiscriminatim vocantur Maria et Ioseph, 429.
PARTICULAE *ex* et *de*, 59.
PARTUS virginei Mariae, in Veteri Testamento praenuntiatus, 35; eius miraculum, 82, 326, 387, 391; contra naturam, 392; de eo est fides, 447.
PASCHALIS II, 184.
PASCHASIUS Rathbertus, Abbas Corbeien., 83.
PASSAGLIA, Carolus, S. I., eius commentarium in Imm. Conc., 149, 154.
PASSIO, propria et impropria, 329; corporalis et animalis, 329; Christi, potissima doloris Mariae causa, 333, 334; habuit rationem poenae satisfactoriae, 335, 501; causa nostrae redemptionis et adoptionis, 455; ad Dei dilectionem nos pertrahit, 484; nostram salutem est operata, 487, 501; et quidem merito de condigno, 487, 496, 501.
PATIENTIA Mariae, 271.
PATRES, Veteris Testamenti, meruerunt de congruo circumstantiis Incarnationis, 24, 485; Graeci, circa Maria electionem, 27; circa figuras Mariae in Veteri Testamento, 40; Ecclesiae, circa Imm. Conc., 147, 148; divinam maternitatem, 170; Mariam Ecclesiae comparant, 171; circa Mariae impeccabilitatem, 207; quomodo intelligendi, si quid Mariae sanctitati detrahens protulisse deprehenduntur, 212, 213; circa gratiam Mariae, 249; eius virtutes, 266, 267; scientiam, 295; mortem, 366; partum virgineum, 391; matrimonium, 422, 434; sponsalia, 435; mediationem, 473; officium Coredemptricis, 489, 490; intercessionem, 517; dominium in res creatas, 542; cultum ei debitum, 557.

PAULUS APOSTOLUS, S., circa originem Christi, 84, 318, 320; peccatum originale, 168; concipiscentiam, 202; caritatem, 219; gratias gratis datas, 278; in vita vidit divinam essentiam, 283; circa Christi sacerdotium, 320; officium mediatoris in eo, 470, 497; sacrificium a Christo oblatum, 497; conversus mediante Beatae Virginis oratione, 525; circa Christi dominium in omnia, 534; se servum Christi appellat, 542.

PAULUS IV, circa divinam maternitatem, 79.

PAULUS V, circa Imm. Conc., 158; privilegium sabbatinum, 530.

PAUPERTAS, Mariae, 271; non impedit nobilitatem, 319.

PAUSATIO, festum Assumptionis sic vocatum apud Graecos, 374.

PAUWELS, O. F. M., 166.

PECCATORES, semen diaboli, 174; in crucifixoribus obumbrati, 459; quomodo Mariae filii, 464; per Christi sacrificium Deo sunt reconciliati, 497; in Maria refugium habent, 525.

PECCATUM, originale, quid sit, 125; quomodo transmittatur, 125, 134, 173, 174; debitum illud contrahendi, 131; quomodo transmittatur, iuxta Rosminium, 173, 174; formale et materiale in eo, 193; veniale, non poterat in statu innocentiae praecedere mortale, 206; in Maria nullum fuit, 210; veniale, per sacramentalia remittitur, 242; causa tristitiae Doctae Virginis, 334; est actus inordinatus, 335; originale, in omnes pertranslit, 359; duo in eo attendenda, 497; duplici servituti hominem sublicit, 503.

PELAGIUS, Alvarus, 185.

PEPUTIANI, haeretici, circa sacramentum Ordinis, 243.

PEREZ, P., circa Imm. Conc., 144.

PEFECTIO, prima et secunda, 433; matrimonii Beatae Virginis, 433.

PERFECTUM, quid sit, 317.

PERSONAE, in Veteri Testamento, figurantes Deiparam, 37.

PETAVIUS, Dionysius, circa vocem θεοτόκος, 88; eius monitum circa tractationem de privilegiis Beatae Virginis, 120. 121.

PETRARCA, Franciscus, Deiparam pie invocat, 6, 539, 594.

PETRUS CHRYSOLOGUS, S., circa matrimonium Mariae, 435; officium Coredemptricis, 505.

PETRUS DAMIANUS S., circa assumptionem Mariae, 304; virgineum partum, 391; mediationem Mariae, 474, 517; eius efficaciam in impetrando, 519; conversionem boni latronis, 525.

PETRUS LUGENSIS, eius peregrina opinio circa conceptionem Christi, 72.

PETRUS, S., Martyr, circa dignitatem Mariae, 116.

PETRUS A TARENTASIA, eius sententia circa Imm. Conc., 193.

PETRUS MARTYR, haereticus, circa matrimonium Mariae, 421.

PHACEE, rex Israël, 384.

PHOTINUS, eius error circa Incarnationem, 74, 81.
PIE, Card., circa pulcritudinem Mariae, 325.
PIERI, Card. Petrus, Ven., O. S. M., circa devotionem in Beatam Virginem dolorosam, 524.
PIETAS, species duliae, 567.
PIUS V, S., circa officium Imm. Conc., 158; in propositiones Michaëlis Baii, 360, 501; circa Rosarium Mariale, 559.
PIUS VI, circa prophetiam Isaiae: *Ecce Virgo*, etc., 388.
PIUS IX, circa figuras Beatae Virginis in Veteri Testamento, 40; quomodo Imm. Conceptionem definivit, 128; Mariam *Virginem sacerdotem* appellat, 500.
PIUS X, circa figuras Beatae Virginis in Veteri Testamento, 38, 137; consuetidinem Mariae cum Christo, 108; sensus fidelium de Imm. Conc., 164; virtutes theologicas in Maria, 269; officium Matris in Maria, 455; eius mediationem, 471; relationes ad SS. Eucharistiam, 478; meritum, 488; cultum Beatae Virginis promovet, 557.
PIUS XI, ait Virginem perdolentem redemptionis opus cum Christo participasse, 506; circa privilegium sabbatinum, 530.
PLANCH, Alexius, O. S. M., 90, 142, 238, 350, 391, 410, 460.
POENA, satisfactoria, quaenam sit, 336; peccati, per satisfactionem tollitur, 496.
POENITENTES, in bono latrone obumbrati, 459.
POENITENTIA, sacramentum, nequit recipi ab eo qui nullum peccatum habet, 243; virtus, in Maria, 276; quid sit, 276; quomodo fuit in Adam ante lapsum, 276; in Christo non fuit, 277.
PONTIFICES SUMMI, circa Imm. Conceptionem, 157; cultum Mariae debitum, 557.
PORTA orientalis, figura Mariae, 38.
POTESTAS, multiplex, 531; iudiciaria, in Christo, 534.
PRAEDESTINATIO, quid sit, 18; ad gratiam et ad gloriam, est una et eadem, 18; Mariae, 19; non post praevisa merita, 24; non fit, in executione, nisi homine consentiente, 46; causam non habet nisi divinam voluntatem, 522; devotio erga Beatam Virginem est signum praedestinationis, 523.
PRISCILLIANISTAE, 447.
PRIVILEGIUM, quid sit, 131; Imm. Conceptionis, falso intellectum a quibusdam, 134; immortalitatis, in Maria, 360; sabbatinum, 530.
PROCLUS, eius circa Mariae perturbationem respuenda sententia, 52.
PROLES, ad utrumque coniugem spectat, 433, bonum matrimonii, 478.
PROPASSIONES, in Christo et in Maria, 201; quomodo distinguuntur a passionibus, 201.
PROPHETIA, Simeonis, de Mariae doloribus, 243, 257, 294, 332, 459,

466, 467; donum, in mulieribus quoque inveniri potest, 243; in Maria, 279, 309; Isaiae: *Ecce Virgo*, etc., 387; Malachiae, de SS. Eucharistia, 476.

PROPOSITIO singularis, aequiparatur propositioni universali in sua logica ordinabilitate, 84.

PROSPER, S., circa martyrii efficaciam, 338.

PROTESTANTES, eorum error de gratia Mariae, 143; circa devotionem in Beatam Virginem, 143; Mariae sanctitati adversantur, 212; circa Mariae mediationem, 482; cultum Sanctorum, 561; cultum externum, 565; reliquias, 578.

PROTOEVANGELIUM, 163.

PROVIDENTIA Dei, in propagatione cultus Beatae Virginis, 4, 563; in ordinando matrimonio Beatae Virginis ad finem Incarnationis, 420, 434, 437, 441; in constituenda Beata Virgine hominum Matre, 466; in gratiarum dispensatione, 481; in Christi passione et morte, 496; in praedestinatione, 522.

PRUDENTIUS, circa Christi conceptionem, 72.

PUERI, in statu innocentiae non fuissent impeccabiles, 208; quomodo in baptismo iustificantur, 221; in utero existentes, sunt quonammodo aliquid matris, 328; martyres esse possunt, 337.

PULCRITUDO Mariae, 323, 324.

Q

QUANTITAS, corporis animati, 70; corporis Christi, 70.

R

RACHEL, figura Mariae, 38, 323.

RASIN, rex Syriae, 384.

RATIO superior, in Christo non est passa tristitiam, 363.

RATRAMNUS, monachus Corbeien., 83.

RAYNAUD, Theophilus, circa epistolam S. Bernardi ad Can. Lugd., 182.

REBECCA, figura Mariae, 37, 323.

REDEMPTIO, liberativa et praeservativa, 133; in Cruce completa, 455; Trinitati, Christo et Sanctis tribuitur, sed diversimode, 501.

REDEMPTOR, quisnam dicatur, 501, 503.

RELATIO, rationis, in Deo, 16; Christi ad Matrem, 17; Mariae ad Deum, 107.

RELIGIO, in quonam consistat, 494.

RELIGIOSI, perfectum holocaustum Deo offerunt, 494.
RELIQUIAE, corporis Beatae Virginis, non habentur, 304; Sanctorum, virtute miraculosa interdum donantur, 480; quomodo colendae, 578.
REPARATRIX, ita Beata Virgo nuncupata, 451, 496, 504.
RES, in Veteri Testamento figurantes Deiparam, 37; Imm. Conceptionem, 140; creatae, Beatae Virgini subduntur, 542; quibus utimur, ad Dei cultum, 563.
RESPHA, figura Mariae, 37, 349.
RESURRECTIO Christi testem non habuit, 376; nec resurrectio Mariae, 376; utraque fuit miraculum de quo est fides, 447.
REVELATIONES, in somno fieri possunt, 254; privatae, caute accipiendae, 378.
RICHARDUS A S. LAURENTIO, quomodo Mariam invocat, 90; circa poenitentiam in Maria, 276.
RICHARDUS A S. VICTORE, circa fomitis carentiam in Beata Virgine, 197, 198; augmentum gratiae in ea, 236; eius caritatem, 268; dolores, 345.
RITUALISTAE, cultum SS. Eucharistiae et Beatae Virginis instaurare nituntur, 473.
RITUS institutus in Veteri Lege pro delictione peccati originalis, 239.
ROBOREDO, Iul. Ant., O. S. M., 401.
ROSARIUM mariale, quam fidelibus utile, 517; a Romanis Pontificibus saepe commendatum, 559.
ROSMINIUS, 137; eius falsa de Imm. Conc. sententia, 172; circa peccati originalis traductionem, 173, 174; essentiam, 174, 175.
RUBUS, incombustus, figura Mariae, 38; Imm. Conceptionis, 140.
RUPERTUS, Abbas, circa Mariae scientiam, 297; dolores, 344; matrimonium, 438; Mariam vocat Reginam, 535.
RUPES deserti, figura Mariae, 38.
RUTH, quomodo a Booz salutata, 553.

S

SACERDOS, mediator ad Christum, 483; SS. Eucharistiam conficit et administrat, 477; sub Mariae cura specialiter informandus, 477; sacrificium offerre debet, 493, 498.
SACRAMENTA, quaenam Deipara susceperit, 239; instrumentaliter gratiam conferunt, 479, 487.
SACRAMENTALIA, 31; tollunt peccatum veniale, 242.
SACRAMENTARIUM S. Gregorii Magni, circa Mariae assumptionem, 304.

SACRAMENTUM, unum ex bonis matrimonii, 438.
SACRIFICIUM, quid sit, 492; Mariae, 492, 499; interius, 493; exterius, 493; stricte acceptum, 494; in Veteri et in Nova Lege, 495, 498; definitur, 495; Christi, 496; quale fuerit, 496; in sacrificiis Veteris Legis figuratum, 498; quatuor in eo consideranda, 498.
SALMERON, circa dolorem Mariae, 298; circa votum virginitatis in Maria, 406; vocem *maritus*, 424.
SALOMON, quomodo Matrem Bethsabee reveritus est, 100, 534; in somno a Deo illuminatus, 253; in scientia, a Deipara superatus, 296.
SALUTATIO, angelica, explicatur, 49; quomodo turbationem Mariae attulit, 50, 418; Elisabeth, 77, 143, 553; angelica, Imm. Conceptionem implicite significat, 140; Mariae dignitatem evincit, 552.
SALVATRIX, Beata Virgo ita nuncupata, 504.
SANCTI, non sunt exempti a peccato originali et fomite, 209; subiecti concupiscentiae motibus, 211; magis exoptant Deum amare quam ab eo gratificari, 418; miracula patrant ex potestate, 480; mediatores ad Christum, 482, 483, 511; pro nobis quodammodo satisfaciunt, 501; quomodo dici possunt coredemptores nostri, 502; preces nostras cognoscunt, 510; sunt invocandi, 510; pro nobis orant, 511; formaliter, 512; merentur cultum, 555.
SANCTIFICATIO, Ieremiae, quonam sensu intelligenda, 141; Mariae, 141; sancti Ioannis Baptistae, 229.
SANCTITAS, Mariae, quomodo a Patribus designata, 149; maior cuiuscumque sanctitate, 171; parentum, in prolem non transit, 199; quid sit, 204.
SANGUIS Mariae in conceptione Christi, 66, 67; est potentia caro, 67.
SAPIENTIA, Dei, in divina maternitate manifestata, 10; donum, in Maria, 279.
SARA, typus Mariae, 37.
SARDI, Vincentius, Exc. Dom., 128, 183, 185.
SATISFACTIO, quomodo possibilis, 14, 490; Christi, 15, 490; Mariae, 15, 490, 502; Sanctorum, nobis prodest, 491, 401; perfecta, 491; tollit poenam peccato debitam, 496.
SCAGLIA, P. Xistus, O. C. R., 117, 559.
SCALA Iacob, figura Mariae, 38; Imm. Conceptionis, 140.
SCAPULARE Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, 503.
SCIENTIA, infusa per se, in Christo, 226; infusa per accidens, in Maria, 225, 226, 292; triplex, 282; beata, quomodo fuit in Maria, 282; infusa per se, et infusa per accidens, quid sit, 288; acquisita Mariae, quomodo creverit, 295; quanta fuerit, 295.
SCOTUS, circa relationem Christi ad Matrem, 16; Imm. Conceptionem, 167, 193; augmentum gratiae in Maria, 236; votum virginitatis,

413; liceitatem matrimonii Deiparae, 440; explicat cur Christus ex nupta Virgine nasci voluerit, 442.

SCRIPTURA SACRA, plura de increata Sapientia profert, quae Beatae Virgini applicari possunt, 18; quomodo intelligenda 423, 456, 457, 458.

SCULPTILIA, quo pacto a Deo prohibita, 577.

SEDLMAYR, Virgilius, O. S. B., 373.

SEDULIUS, Caelius, circa Mariae virginitatem, 90, 388; Imm. Conceptionem, 149; ait Christum resurgentem primo Matri suae apparuisse, 284; eius verba de Beatae Virginis scientia minus congrua respuuntur, 285.

SEGNERI, P., circa Imm. Conc., 144.

SEMEN, in generatione, 62; resolutum, in conceptione Christi non adfuit, 62; mulieris, quid sit, 65; viri, in generatione, 70; diaboli, sunt peccatores, 174.

SENENSIS Respublica, Imm. Conceptioni dedita, 162.

SENSO LAZARO, Antonius, 194.

SENSUS, accommodatus est sensus litteralis secundarius, 18; multiplex in S. Scriptura, 39, 41, 422, 457; externus, principium cognitionis, 49; fidelium, circa Imm. Conc., 164; communis, in somno remanet ligatus, 252; fidelium, circa mortem Mariae, 363.

SEPULCRUM Beatae Mariae Virginis, 364.

SERGIUS archimandrita, circa festum Imm. Conc., 160.

SERPENS, in narratione mosaica, quomodo intelligendus, 138.

SERRY, Hyacinthus, O. P., 72, 239; circa apparitionem Christi resurgentis ad Mariam, 284; Mariae assumptionem, 302; matrimonium, 415.

SERVI MARIAE, eorum erga Imm. Conc. devotio, 147, 166; Ordo Serv. Mariae, 166, 538.

SERVITUS, peccati, duplex, 500; civilis, a peccato inducta, 532, 539; in statu innocentiae non fuisset, 539; Mariana, quam nobis, 540, 576; aliter Deo et homini debita, 566.

SGAMAITA, Fr. Phil., O. S. M., 166.

SHELLEY, poeta, laudat Beatam Virginem, 90.

SIDUS, figura virginitatis Mariae 390.

SIXTUS IV, 147; indulgentias concessit festum Imm. Conceptionis celebrantibus, 157, 158; circa Rosarium mariale, 559.

SODALITATES marianae, 4, 305, 560.

SOMNIA Mariae, ordinatissima, 299.

SOMNUS, Beatae Virginis, qualis fuerit, 252, 253, 254; impedit meritum, 252, 254, 299.

SOPHRONIUS, S., circa Imm. Conc., 152, 154.

SOSTENEUS DE SOSTENEIS, S., O. S. M., 538.
SOULIER, R. P. Peregrinus, O. S. M., 539.
SPADA, Marianus, O. P., 189.
SPASMUS, non fuit in Christo, 323; nec in Maria, 323, 377.
SPECIES Eucharisticae, in pectore Beatae Virginis in caelo non asservantur, 377.
SPECULUM, figura virginitatis Mariae, 391.
SPES, in Maria, 268, 269.
SPIERA, Ambrosius, O. S. M., in Imm. Conc., 166; Mariam vocat lucem mundi, 509.
SPIRITUS SANCTUS, fideles ad cognitionem Deiparae perducit, 41, 564; Beatae Virgini supervenit, 56, 62, 112, 114; fuit principium activum in conceptione Christi, 56, 247; aliquando vocatur Virtus Altissimi, 57; ei attribuitur conceptio Christi, 57, 62; gratia, sanctitas et adoptio, 58, 112; necon miraculorum patratio, 58; duplex eius habitudo ad Christum, 58; se habuit ut semen in Christi conceptione, 59; non debet dici pater Christi, 60; est agens infinitae virtutis, 73, 226; non est causa Christi, 99; eius cum Maria relationes, 109, 112; quid divina maternitas ei contulerit, 114; dona Spiritus Sancti, 289; fructus, 277; Apostolos et discipulos replevit, 479, 520; *cor* Ecclesiae vocatus, 520.
SPONSA, sensu huius vocis in Sacra Scriptura, 425, 435, 436.
SPONSALIA, quid sint, 434, 436; Beatae Virginis cum S. Ioseph, 435, 436.
STANISLAUS KOSTKA, S., 326.
STATUS innocentia, non secumferebat confirmationem in bono, 207; excludebat rebellionem virium inferiorum, 210; deceptionem, 211, 298; passibilitatem ac mortem, 330, 357.
STEPHANUS PROTOMARTYR, S., conversionem S. Pauli precibus suis obtinuit, 498; pro persecutoribus exoravit, 509.
STOICI, circa passiones, 200, 334.
SUAREZ, circa cognitionem de Deipara, 3; relationem Christi ad Matrem, 16; convenientiam annuntiationis, 46; maternitatis divinae dignitatem, 92, 97; subiectionem legalem, 104; Christi redemptionem relate ad Mariam, 135; usum rationis in Maria in utero matris, 225, 227; eius fidem, 273; assumptionem, 302; nobilitatem, 318; votum virginitatis, 413, 416; matrimonium, 422; aetatem qua Maria S. Iosepn nupsit, 448; exponit quomodo Maria Matris munia erga fideles gesserit, 464; circa intercessionem Mariae, 514, 518.
SUBIECTIO, respicit non solum personam sed etiam naturam, 102; triplex, 102; Christi ad Matrem, 102, 103; naturalis et legalis, 104; Mariae ad Christum, 106.

SYLVIUS, Franciscus, circa sacramentum Extremae Unctionis, 242; votum Iepthe, 409; votum virginitatis in Maria, 413.
SYMBOLISMUS in repraesentanda Beata Virgine, 117.

T

TABERNACULUM testimonii, figura Mariae, 220.
TARASIUS S., circa figuras Beatae Virginis, 33; vaticinia, 36; Imm. Conc. 152; Beatam Virginem Reparatricem vocat, 469.
TEMPERANTIA, quid sit, 275; in Maria, 275.
TEMPLUM DEI, figura Imm. Conc., 140.
TERRIEN, P. I. B., S. I., 197, 222, 233, 272, 290, 306, 363, 364, 452, 480, 528, 530, 560.
TERTULLIANUS, 215; circa formationem corporis primi hominis, 321; mortem Mariae et S. Ioannis Apostoli, 376; matrimonium Beatae Virginis, 435; prophetiam Simeonis, 467.
TESTAMENTUM, Vetus, figura Novi, 35; Christi in Cruce, 449, 459, 468.
THEODORUS, Ancyranus, de exitu Nestorii, 88; circa Mariae virginitatem, 396.
THEOLOGIA, eius officium, 2, 3.
ΘΕΟΤΟΚΟΣ, Beata Virgo ita nuncupata, 80; sensus huius vocis, 88.
THERESIA, S., 290, 326.
THOMAS APOSTOLUS, S., eius dubitatio fidem nostram roboravit, 445.
THOMAS AQUINAS, S., circa Mariae dignitatem, 3; errores contra diviniam maternitatem, 9; partes Mariae in redemptione (int. opp.), 15; meritum Mariae, 23; Mariae nomen, 30; figuras in Veteri Testamento (int. opp.), 33; habitudinem Spiritus Sancti ad Christum, 58; Christi conceptionem dicit miraculosam, 68; appellationem Matris Iesu, 77; dignitatem Matris Dei, 84, 87, 94, 96, 97, 116, 549, 573; Christi subiectionem, 102; obedientiae rationem, 102; festa Beatae Virginis, 114, 579; eius puritatem, 127, 235; peccati originalis traductionem, 127, 175; Ieremiae sanctificationem, 141; festum Nativitatis Beatae Virginis, 158; esum ligni vetiti, 174; epistolam S. Bernardi ad Canonicos Lugdunenses, 182; eius sententia de Imm. Conc., 186; circa festum Imm. Conceptionis, 188; peccati fomitem, 195; cur fomitem in Maria posuerit, 196, 197, 201; duplicem sanctificationem in Beata Virgine posuit, 197; circa electionem ad specialem statum, 206; confirmationem Mariae in bono, 207, 211, 212; perfectionem status innocentiae, 210; interpretatur dubias Patrum voces, 213, 214; iustificationem primi hominis, 221; sancti Pauli, 223; usum rationis in S. Ioanne Baptista in utero

matris, 224; prophetae rationem, 224; usum rationis in Beata Virgine in utero matris, 225; gratiam Mariae, 230, 232, 237, 248, 256, 583; Christi, 232, 584; baptismi naturam, 240; purgationem Mariae, 243; augmentum in gratia, 246; differentiam inter caritatem viae et caritatem patriae, 251, 251; somnum, 252, 299; virtutes et dona in Beata Virgine, 265, 267; fidem Mariae, 274; virtutes infusas et acquisitas, 278; gratias gratis datas in Beata Virgine, 279; usum sermonis, 280; privilegia Mariae, 283; scientiam infusam, 289; illuminationem angelorum, 292, 293; perfectum usum sensuum in Christo, 293; incorruptionem corporis Deiparae, 300; assumptionem Mariae, 304; eius gloriam, 307, 309; aureolam virginitatis in Deipara, 312; perfectionem Beatae Virginis, 317, 414; cognationem Mariae ad Elisabeth, 320; sacerdotium Christi, 320; carentiam doloris in Maria in parturiendo, 330; vires inferiores, 332; doloris causam, 333; passiones, 334; martyrii causas, 337, 338, 339; restaurationem hominis per Christum, 356; Christi mortalitatem, 359; eius defectus, 362; amorem, 368; abstractionem a sensibus, 370; resurrectionem S. Ioannis Apostoli, 377; Christi ascensionem, 377; virginitatem, 382, 393, 399; particulam *Ecce* in vaticinio Isaiae, 386; integritatem corporalem, 402; continentiam in statu innocentiae, 402, 403; virginitatem in Veteri Lege, 412; dicit Mariam prius virginitatem conditionale vovisse, 413, 415; circa Mariae matrimonium, 422; vocem *traducere*, 428; liceitatem matrimonii Beatae Virginis, 439, 440; rationes exponit cur Christus ex nupta virgine nasci voluerit, 442, 447; circa mutua officia Mariae et Ioannis, 449; honorem Mariae praestandum, 451, 457, 574; sensum spiritualem in Sacra Scriptura, 458, 465; mediatoris officium, 469; Christi mediationem, 470; SS. Eucharistiam, 477; miracula Sanctorum; 480; meritum, 487; holocaustum perfectum religiosorum, 494; sacrificia Veteris Legis, 497; Mariae cooperationem relate ad nostram salutem, 507; passiones Sanctorum, 507; cognitionem quam Sancti habent de nostris precibus, 510; intercessionem Sanctorum, 510, 514; voluntatem ut est *natura* et ut est *ratio*, 521; inaequalitatem beneficentiae, 521; providentiam Dei, 526; devotionem, 526; poenas purgatorii, 529; dominium, 531; regnum Christi, 534; officium regendi, 535; ius dominandi, 537; servitutem, 539, 542; dominium primi hominis in animalia, 544; in vires corporis, 545; circa potentiam creaturae, 546; salutationem angelicam, 552; romanam liturgiam, 558; cultum externum, 565; cultum latriae et duliae, 566; hyperduliam, 567; cultum sacrarum imaginum, 570, 576, 577; velat ne dogmata fidei insufficientibus rationibus demonstremus, 582.

THOMAS A VILLANOVA, S., eius devotio in Imm. Conc., 166; circa

fomitis carentiam in Beata Virgine, 199, 212; excellentiam Mariae, 258; eius pulcritudinem, 324.
THRONUS Dei excelsus, figura Imm. Conc., 140.
THURIBULUM aureum, figura Mariae, 38.
TOSCANI, Theodorus, circa festum Imm., Conc., 160.
TRADUCERE, sensus huius vocis, 427.
TRANSMUTATIO naturalis, quid sit, 61.
TRINITAS, SS., tota, Christi conceptionem operata est, 56; non est dicenda pater Christi, 60; quid Beata Virgo extrinsecus Trinitati contulerit, 113; causa prima redemptionis nostrae, 501.
TRIODIUM, de Imm. Conc., 151.
TRISTITIA, eius obiectum, 333; quanta fuerit in Maria, 334; Mariae, aliquo modo maior tristitia Christi, 336; Christi, ad rationem superiorem non se extendit, 336; Mariae, illius rationem non turbavit, 347.
TURBATIO Mariae, undenam orta, 51, 418.
TURCAE, opera Beatae Virgini a Christianis devicti, 576.
TURMEL, Iosephus, 215.
TURRIS inexpugnabilis, figura Imm. Conc., 140.

U

UGUCCIO UGUCCIONUM, S., O. S. M., 538.
ULPIANUS, circa legis obligationem, 132.
UNIO, quam facit maternitas divina ad Deum, est maior unione gratiae et gloriae, 92, 93; per gratiam, cessare potest, salvo subiecto, 93; gloriae, facit hominem formaliter beatum, 94; divinae maternitatis, reductive pertinet ad unionem hypostaticam, 96; hypostatica, maior alia quacumque unione, 98, 237.
UNIVERSITAS Parisiensis, circa Imm. Conc., 162.
URBANUS IV, 559.
URBANUS VIII, 78, 158, 360.
USUS, rationis, in Beata Virgine in utero matris, 223, 225, 227; et in S. Ioanne Baptista, 223, 225, 226; fuit miraculum, 227; non fuit permanens, 227; matrimonii, non pertinet ad eius essentiam, 415.

V

VACCARI, Aloysius, de transitu Beatae Virginis, 377.
VALENTINUS haereticus, circa corporis Christi formationem, 65.
VAS aureum, figura Mariae, 38.

VASQUEZ, circa maternitatis divinae dignitatem, 92; Deiparae gratiam, 258; votum virginitatis in Maria, 413.
VATICINIA, circa Beatam Virginem in Veteri Testamento, 33, 35, 40.
VEGA, de, Christoporus, S. I., circa fomitis carentiam in Maria, 198.
VENANTIUS FORTUNATUS, circa pulcritudinem Mariae, 327.
VENTURA, R. P. Ioachim, 334, 459.
VERBUM, assumpsit corpus mediante anima, 72; per Incarnationem nihil destruxit, 74; eius cum Maria relationes, 108; quidnam ei contulerit Deipara per divinam maternitatem, 114; Virginis claustra, nascens, non violavit, 390; debuit virginaliter, concipi, 393; et nasci, 396, 441.
VESTALES, virginitatem non vovebant, 410.
VESTES Christi, quomodo colendae, 571.
VIDUAE, sexagenarius fructus ipsis competit, 313.
VIGILANTIUS, contra orationes Sanctorum, 510, 569; reliquias, 578.
VINCENTIUS FERRERIUS, S., eius devotio in Imm. Conc., 165.
VINCENTIUS LUMENSIS, S., circa dogmatis evolutionem, 562.
VIRDIA, Ios. Ant. ep. Cariat., O. M. C., censuit Deiparam non obiisse, 362.
VIRES inferiores, 332; homini non subiiciuntur, 545.
VIRGA aaronica, figura Mariae, 38.
VIRGINITAS, Mariae, 9, 309, 380; virtus angelis cognata, 47, 309; aureola ipsi competit, 311, 313; eius fructus in Maria, 313; in quonam consistat, 380, 381; eius formale, 381; et materiale, 381; Mariae perpetua, 383; quibus figuris significata, 390; potest consistere etiam sine integritate corporali, 396, 401; Maria exemplum virginitatis, 406; per se cedit divinae maternitati, 417; Mariae, non laesa per divinam maternitatem, 437, 438; per eius matrimonium credibilior reddita, 445.
VIRGO, centenarius fructus ipsi competit, 313; sensus huius vocis, 383; exemplum habet in Beata Virgine, 406, 414, 440, 445; peccans, quomodo puniebatur penes Hebraeos, 444.
VIRTUS, Altissimi, quisnam dicatur, 57; naturalis ad unum determinata, non vero virtus divina, 67; moralis, debilitat vim fomitis, 198; infusa, quid sit, 265; in Maria, 265; in gradu heroico, 265, 277; acquisita, quid sit, 277.
VIRTUTES, simul cum gratia in animam infunduntur, 264; inter se connexae, 272; theologicae, in Maria, 267; morales, 270.
VISIO BEATIFICA, qualem unionem faciat cum Deo, 95; hominem reddit impeccabilem, 210; in Deipara, 307; transiens et permanens, 370.

VITA AETERNA, terminus gratiae, 238; correspondet gratiae et caritati, 246.
VITIS, figura perfectionis Mariae, 266.
VIVES Y TUTO, Card., 146, 382.
VOCES a Patribus usurpatae ad designandam Imm. Conc., 148.
VOLUNTAS, ut natura et ut ratio, 331, 521; contrarietatis, quandonam habeatur, 331; non fuit in Maria, 331; Dei, ultima ratio praedestinationis, 522.
VON LEHNER, F. A., 562.
VOTUM, virginitatis, a Maria emissum, 402, 403; quomodo matrimonium impedit, 403, 415, 440; eius excellentia, 405; auget perfectionem et meritum operum, 405; solemne, quomodo differat a simplici, 412; triplex religiosorum, est perfectum holocaustum, 406.

W

WICLEFFUS, eius error circa matrimonium, 421, circa orationem, 512.
WIDENFELDT, Adamus, 451.
WORDSWORTH, poeta, laudat Beatam Virginem, 90.

TRACTATUS

DE

BEATISSIMA VIRGINE MARIA MATRE DEI

INDEX CAPITUM ET ARTICULORUM

PAG.

PROOEMIUM 1

PARS I.

DE BEATISSIMA VIRGINE
CONSIDERATA PER RESPECTUM AD DEUM.

PROLOGUS 7

CAPUT I.

De iis quae divinam maternitatem praecedere intelliguntur.

PROLOGUS 8
Art. I. De convenientia divinae maternitatis 8
— II. De praedestinatione Beatissimae Virginis Mariae . . 17
— III. De figuris et vaticiniis Beatae Mariae Virginis in Veteri Testamento 33
— IV. De annuntiatione Beatae Mariae Virginis . . . 44

CAPUT II.

De divina Maternitate.

PAG.

PROLOGUS 55
Art. I. De eo quod Beata Virgo egit in conceptione Christi . 55
— II. De modo quo Beata Virgo Christum concepit . . 64
— III. Utrum Beatissima Virgo sit Mater Dei . . . 75

CAPUT III.

De consequentibus divinam maternitatem.

PROLOGUS 91
Art. I. De Matris Dei dignitate 91
— II. De Christi erga Matrem officiis 100
— III. De relationibus Beatae Virginis ad Deum . . . 107

PARS II.

DE BEATA VIRGINE CONSIDERATA PER RESPECTUM AD SEMETIPSAM

PROLOGUS 119

CAPUT I.

De perfectionibus animae Beatae Virginis Mariae.

PROLOGUS 122
Art. I. De Immaculato Conceptu Beatae Mariae Virginis . 125
APPENDIX. § I. De S. Bernardo 178
— § II. De S. Thoma Aquinate e S. Bonaventura . . 186
Art. II. Utrum Beata Virgo habuerit fomitem peccati . . . 193
— III. De Beatae Mariae Virginis impeccabilitate . . . 204
— IV. De prima sanctificatione Beatae Mariae Virginis, scilicet in momento suae conceptionis 217
— V. De secunda sanctificatione Beatae Mariae Virginis, seu de eius profectu in gratia 235
— VI. De virtutibus et donis Beatae Mariae Virginis . . 264
— VII. De scientiae Beatae Mariae Virginis 281
— VIII. De scientia indita et acquisita Beatae Mariae Virginis . 288
— IX. De assumptione et gloria Beatae Mariae Virginis . 299

CAPUT II.

De qualitatibus corporalibus Beatae Mariae Virginis.

PAG.
PROLOGUS 316
Art. I. De perfectione corporali Beatae Mariae Virginis . . 317
— II. De passibilitate Beatae Mariae Virginis 329
— III. Utrum Beata Virgo fuerit mortalis 352

CAPUT III.

De Virginitate et Matrimonio Beatae Mariae Matris Dei.

PROLOGUS 380
Art. I. Utrum Mater Dei fuerit Virgo 381
— II. Utrum Beata Virgo votum virginitatis emiserit . . 401
— III. De desponsatione et matrimonio Beatae Mariae Virginis cum sancto Ioseph 419

PARS III.

DE RELATIONIBUS BEATAE MARIAE VIRGINIS AD HOMINES

PROLOGUS 449

CAPUT I.

De officiis Beatae Mariae Virginis erga homines.

PROLOGUS 451
Art. I. De officio Matris hominum in Maria 453
— II. De officio Mediatricis in Maria 468
— III. De officio Coredemptricis in Beata Virgine . . . 484
— IV. De intercessione Beatae Mariae Virginis . . . 509

CAPUT II.

De iuribus Beatae Mariae Virginis in homines.

PAG.

PROLOGUS 531
Art. I. De Beatisimae Virginis potestate sive dominio in mundo 531
— II. De cultu Beatissimae Virgini debito 547

APPENDIX I. — Bibliographia marialis 581
APPENDIX II. — De Nomine Maria 585
APPENDIX III. — Litaniae peruvianae 589

EPILOGUS 592

PIA AD BEATAM VIRGINEM PRECATIO 593

INDEX ANALYTICUS ORDINE ALPHABETICO DIGESTUS 595

233.8
L 557

29851

LEPICIER, ALEX HENRI MARIA

AUTHOR TRACTATUS (O.S.M.

De Beatissima Virgine Maria

TITLE Matre Dei

(ed. 5)

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	Moholy JUN 9
	Sexton
	Brady
	[redacted]
MAY 22 1987	

29851